This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 07578897 0


2424

LENOX LIBRARY

AUCTOR PRETIOSA FACIT

Purchased in 1889.

NKT
Desbill



N. Blakey inv. et delin. C. Baquoy Scu

FRANCISCI-JOSEPHI DESBILLONS

FABULÆ ÆSOPIÆ,

CURIS POSTERIORIBUS

OMNES FERÈ EMENDATÆ:

QUIBUS ACCESSERUNT

PLUS QUAM CLXX NOVÆ.

SEXTA EDITIO.



PARISIIS,

Typis J. Barbou, viâ Mathurinensium.

M DCC LXXVIII.

LENOX LIBRARY
NEW YORK

PRÆFATIO.

CAPUT I.

I. Antiquitas Apologorum, dignitas, natura expenduntur. II. Bonos latinitatis auctores, his etiam temporibus, exiſtere poſſe, demonſtratur. III. Quid præſtitum sit, ut hæc nova ſabellarum editio fieret peritorum ſuffragiis paulò dignior, indicatur.

GRATI, memoriſque hominis officium eſt, omni curâ providere, ut, quam operam ſuam favore fuiſſe publico exceptam reſciverit, hanc ipſam novâ ſubinde operâ, utcumque res poſtulabit, augeat atque perficiat. Cùm igitur viderem fabulas meas a viris approbari cùm eruditis, tum ingenio judicioque præſtantibus; atque alios literatos complures,

qui eas legiſſent, idem ferè ſentire, intelligerem: ſtatim in animum induxi, nihil prætermittere, quin liberalem, jucundamque iſtam benignitatem, quantùm efficere meditando atque elucubrando poſſem, remunerarer. Quid autem præſtiterim, mox indicabo, poſtquam primùm de hoc, in quo me exercui, fabularum genere, pauca diſſeruero; deinde oſtendero, bene latinè, his etiam temporibus, ſcribi aliquid poſſe, contra quàm homines gentis noſtræ nonnulli, ingeniosi quidem, & eruditionis gallicæ non expertes, at ejuſmodi quæſtionis judices minimè idonei, exiſtimârunt ac pronuntiârunt.

I. Apologi, sive narrationes de animantibus, rebuſve etiam ſenſu carentibus inſtitutæ, & ad utilitatem hominum tranſlatæ, omnes olim ab Æſopi nomine, qui inventor ipſarum vulgò habebatur, Æſopiæ 1 Fabulæ dictæ ſunt. Quintilianus 2 tamen hoc inventum Hesiodo, qui multò ante Æſopum vixit, tribuendum videri ſignificat. Exſtat reverà de Accipitre & Aëdone fabella 3 Hesiodi. Sed altiùs repetere licet originem apologorum, ipsiſque etiam ab indubitabili veritatis ac ſanctitatis omnis fonte arceſſere dignitatem. An-

1 *Fabulæ*, inquit Priſcianus, *nominantur aliæ Æſopiæ, aliæ Cypriæ, aliæ Libycæ, aliæ Sybariticæ: omnes autem communiter Æſopiæ.*

2 Inſtitut. Orat. L. V. Cap. XI.

3 Oper. & dier. V. 201.

nis enim, poſtquam obierat Moſes, circiter trecentis, fictam de arboribus, Regem ſibi poſtulantibus, fabellam ſacri Codices 4 nobis offerunt.

Neque id redarguat animadverſionis cenſoriæ ſeveritas:

Quòd arbores loquantur, non tantùm feræ 5:

licet enim, ſemperque licebit ægras hominum mentes innocentibus jocis delenire, ſenſimque ad bonam appetendam frugem ludendo allicere. Fabellæ tamen ita fingendæ, contexendæque ſunt, ut ſuas plerumque partes in iis beſtiæ ſuſtineant; quippe quæ propiùs abſunt ab hominibus corporis animati ſimilitudine.

Multa igitur poſſunt in hoc ſcribendi genere adhiberi, quæ falſa ſunt. Nam, verbi gratiâ, lupum & agnum non modò loqui falſum eſt; ſed naturæ etiam lupinæ repugnat, illum in altercationem delabi, dum potens illecebra cogit, ut ſtatim in prædam irruat. Tunc autem feritas ejus cohiberi, & quaſi ſuſpendi fingitur. Quo dato, jam eos ſermones, quos Phædrus & Fontana referunt, hu-

4 Judic. Cap. IX. V. 8. Apologi quoque ſunt, qui leguntur Reg. L. II. Cap. XII. V. 1. Cap. XIV. V. 5. Lib. IV. Cap. XIV. V. 9.

5 Phædr. Lib. I. Prol. V. 6.

pum inter & agnum haberi verisimile eſt.

CETERUM ſcriptor fabellarum diligens

Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique 6.

Et ab iſta lege si qui receſſerint, vix eos & ſuavitas narrationis, & præceptionis utilitas excuſant. Quapropter critici quidam, paulò fortè rigidiores, id approbari sibi non poſſe dixerunt, quòd apud Phædrum 7 vacca, capella, ovis, & leo non modò ſocietate junguntur, ac venentur simul; ſed captum etiam cervum partiri velint. Prædam totam, ait Phædrus, leonis improbitas abſtulit. At singulæ partes quid, inquiunt illi, juvare ſocias poterant, quæ carne non veſcuntur? Verumtamen hæc, & alia hujuſcemodi nonnulla, quæ Fontanæ 8 minimè abſurda viſa ſunt, adduci ego certè non poſſum ut improbem. Neque, opinor, poëma quodlibet tam ſeverè accipiendum eſt, ut expendatur, an delectare 9, an prodeſſe etiam debuerit, poſtquam utrumque præſtitit.

QUÆ quidem duæ res maximè requirun-

6 Horat. Art. Poet. V. 316.
7 Lib. I. Fab. V.
8 Lib. I. Fab. VI. &c.
9 Horat. Art. Poet. V. 333.
Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ:
Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

tur, ut laudem fabellæ ſuam obtineant. Eas ergo neceſſe eſt continere nihil, quo virtus, pudor, honeſtas possint offendi. Quam legem Phædrus, ex ipſa apologorum natura emanantem, quòd bis, terve neglexit, illud miſerrimis ævi tiberiani, quo vixit, corruptelis imputo.

DEINDE oportet ſtili ſuavitate apologos eſſe commendabiles. Quod eveniet, si comprehensio verborum omnis laborioſa repudietur; adhibeatur autem elocutio pura, nativi lepôris plena, ad narrationem dilucidam, brevemque, id eſt, circuitione vanâ carentem, accommodata; ac demum feſtivitas quædam, minùs arguta, quàm ingenua, cum simplicitate ſermonis perpetua conjungatur.

HANC porrò ſcribendi rationem, ſtudio fortè inutili incenſus, cùm in 1 fabellis repræſentare percuperem; & nunc Phædrum, nunc Fontanam, ſummos ambo artifices, inſpicerem: hic ad extremum videbatur mihi tam plenus, tamque perfectus, ut me deterreret, ne linguâ gallicâ auderem propositum exſequi: at ille, præterquam quòd fabellas nobis haud ita multas reliquit, habet præterea ñonnullas, quæ ingeniis, qualia nunc ſunt, convenire vix possint: atque ut id, quod ſentio,

1 Paucæ Phædri fabulæ cum ipsius prima libri primi, de lupo & agno, exæquari dignitate ac venuſtate posſunt.

magis fortè candidè, quàm prudenter, aperiam, fatebor, me olim, cùm iſtas Auctoris ceteroqui politissimi fabellas attentè perpenderem, etiamque commentariis illuſtrarem, animadvertiſſe, deeſſe pleriſque nonnihil utilitatis illius, quâ præditum tale eſſe debere ſcribendi genus, modò significavi. Itaque Phædrum minore mihi cum periculo, quàm Fontanam, eligendum eſſe credidi, cujus inſtitutum perſequerer:

Nec hæc invidia, verùm eſt æmulatio 2.

II. At quid moræ eſt, quin turba eruditulorum hîc mihi reclamitet, contendatque, hominem gente Gallum latinè ſcribere, id certè eſſe periculosissimum? Ego verò rationem eorum omnem facilè, utì ſpero, breviterque refutabo.

Tenemus, inquiunt, in manibus ſcriptores nonnullos exterarum gentium, qui poſtquam præcepta grammaticæ gallicæ omnia diligenter didicerunt, gallicoſque auctores optimos quoſque ſtudiosissimè legerunt, ſcribere gallicè ausi ſunt: riſumque nobis ad extremum excitârunt. Igitur (sîc enim colligunt) quæcumque hominum recentiorum opera latinè ſcripta laudantur maximè; ea ipſa auctores antiqui irriderent, si reviviſcerent.

2 Phædr. Lib. II. Epil. V. 7.

At primùm intelligere adverſarios noſtros cupio, quantum sit latinum inter gallicamque linguam hoc diſcrimen; quòd verborum illa ad concentum, qui judicatus fuerit optimus, diſponendorum libertate commodissimâ gaudeat : *Hæc* 3 *contrà sit ſerva legum perpetuarum, quibus oportet omnes voces ita gubernari, ut non possint recedere vel levissimè de ſtatione præſcripta, quin faciant offenſiunculam.* Unde evenire prope neceſſe eſt, ut, qui linguam gallicam, commoratione apud ipſos Gallos diutinâ, & exercitatione longâ, propriam sibi quodammodo non reddiderit, at ex ſolis libris perceperit; is, in opere præſertim paulò longiore, mendis interdum ridiculis illam inficiat.

Tum deinde velim considerari, quid Paulus Manutius, quid Marcus-Antonius Muretus (ut alios complures omittam) legendo atque imitando auctores latinitatis optimos, profecerint. Hic epiſtolas, ille orationes, ſummâ

3 Servilem, de qua loquor, verborum diſpositionem loco iſto, quem idcirco putavi diversis eſſe literis diſtinguendum, adhibere, ut fit in oratione gallica, volui ; & iſtis legibus, quas ignorat latinitas, mihi per ipſam obtemperare parumper licuit : tantam illa videlicet noſtram eſſe vult ſcribendi libertatem, quantam requirit adhibenda ſtili varietas, quantamque ſenſus aurium doctus ac delicatus poſtulat. Cujus quidem libertatis afferri ex auctoribus optimis facilè poſſent exempla, quibus eædem ſententiæ omnibus ferè modis expreſſæ demonſtrarentur.

ambo curâ atque induſtriâ, ſcripſerunt. Quid porro contigit? utrumque fetum annis abhinc ducentis eruditi lectores evolverunt, & admirati ſunt: critici ſagaces excuſſerunt; & qui latinitatem in pleriſque *argenteæ*, quam vocant, ætatis ſcriptoribus paulùm de ſtatu priſtino declinantem animadverterant, vix quidquam, quod non ætatem *auream* omnino redoleret, in hac omni ſcriptione deprehenderunt. Neque objiciendum nobis eſt, illam ipſam non idoneorum eſſe judicum approbationem; quippe qui tam errare in dijudicanda latinitate, quàm iſti in latinè ſcribendo, potuerint. In re enim hujuſcemodi, quæ rationem hominum ac diligentiam minimè ſuperat, erratum universè fuiſſe totis ducentis annis, verisimile non eſt. Quod ut confirmetur exemplis, nonne hos intra ducentos annos ſtilus Lipsianus, quem ſtatim amplexati ſunt imitatores pessimi complures, mox a peritis judicibus rectè damnatus eſt? Nonne Thuanum, nonne Stradam, nonne alios, qui tantis primùm laudibus excepti fuerant, poſtmodum animadverſum eſt, non eſſe latinitatis auctores vel ſatis ingenuos, vel etiam ſatis accuratos? atque, ut meamet ipſe vineta cædam, nonne has fabellas, quas properanter nimis, parumque consideratè, ſemel, atque iterum, atque tertiò in lucem emisi, recognovi demum, & nunc offero meliore, ut opinor, ſtilo retractatas, a maculis etiam vindicatas nonnullis, quas incuria noſtra ſuderat? Ve-

rum Mureti, Manutiique opera modò laudata, cùm ſuffragationibus peritorum omnium tam diuturnis comprobata sint, bene latina eſſe, fatendum eſt.

Postremo, si quis vulgarem gentis alicujus exteræ linguam, ſolâ librorum ope adjutus, optimè didicerit; ille certè linguam latinam eâdem viâ perdiſci poſſe, tali exemplo demonſtraverit, maximè, si qua duas inter linguas iſtas cognatio peculiaris interceſſerit. Atqui Menagius, hanc viam ſecutus, ad tantam linguæ italicæ, cui cum latinâ similitudo singularis eſt, cognitionem pervênit, ut eam quamvis uſurpare colloquendo 4 neſciret, ſcriptis tamen expreſſerit accuratè, doctiſque etiam commentariis illuſtraverit. Legere me quidem memini apud auctorem gallum neſcio quem, versiculos Menagii noſtri italicos ab hominibus italis 5 irrideri. Ego verò facilè concedam, ejus argutias, omnemque poeticam facultatem non valde probari : at linguæ

4 Menagiana, Tom. II. pag. 59. Edit. 1715. *Les Seigneurs italiens qui me font l'honneur de me venir voir, ſont étonnés de ce que je ne parle pas italien, ſachant les ouvrages que j'ai fait imprimer dans leur langue, & que j'en ai même donné les origines.* Et T. III. pag. 404. *J'ai composé plusieurs livres en italien ; & je ne parle pas italien.*

5 Auctor famâ celebratissimus, qui ævum Ludovici XIV commentatus eſt, aliter ſentiebat ; sic enim de noſtro Menagio loquitur : *Ses vers italiens ſont eſtimés même en Italie.*

imperitiam non magis in ipſo irrideri puto, quàm in Franciſco-Seraphino Regnerio, homine itidem gallo, cujus redditum verſibus italicis Anacreontem ultro laudant Itali, faтenturque ſtilo eſſe ſuavissimo concinnatum. Nihil, opinor, prosit refellere pluribus homines malevolos, qui ſtudiis noſtris adverſantur. Ex dictis facilè colligent æqui judices, bene latinè, his etiam temporibus, ſcribere eos poſſe, qui ad percipiendam veteris illius optimæ romanæ linguæ vim atque copiam paulò benigniùs a natura informati, ſeſe in has palæſtra diligenter exercuerint.

III. Nunc dicam, quid efficere conatus sim, ut eruditi lectoris approbatione non indignam editionem hanc noſtram redderem. Primùm in recognoſcendis & caſtigandis prioribus quinque harum fabellarum libris operam ſanè magnam poſui. Plurimos verſus, qui vel nimis abjecti, vel paulò aſperiores visi ſunt, ad aliquam ſpeciem, numeroſque molliores, quantùm sivit propositi simplicitas, adduxi. Latinitatis formam ſub regulas purè & emendatè loquendi exquisitiores passim redegi. Nonnullas voces minùs latinas, minúſve proprias amovi; aptiores in earum locum ſubſtitui. Sententias ipsas, aliquando non ſatis inter ſe cohærentes, copulationibus idoneis continuavi. Quædam a me etiam ſunt interdum adjecta, quæ, ut probabilior exiſteret apologorum veritas, requiri videbantur: quædam vi-

ciſſim, quæ eſſe planè ſupervacanea judicabam, ſublata ſunt.

TALIS autem laboris moleſtiam cùm ſuſcipere paulùm refugerem, viri aliquot exculti politioribus doctrinis mihi ſtimulos admoverunt: quorum unus 6, eruditione insignis, magnumque Academiæ parisiensis ornamentum, eo me honore dignatus eſt, ut meas fabellas attentè perlegeret, criticum ageret in re tam levi, utiles demum animadversiones mecum perbenignè communicaret.

EGO verò sic undique excitatus, libris harumce fabularum quinque prioribus non modò adjeci quinque alteros, ſed opus eò deduxi, ut libros quindecim, eoſque ſatis amplos, exhiberet. Prætereà ſcriptores indicavi quamplurimos, a quibus materiam eamdem, aut prope eamdem, quam mihi ſumpsi, tractatam fuiſſe comperi: notationeſque grammaticas, aliquando etiam hiſtoricas, ex auctorum veterum ſelectis teſtimoniis plerumque conflatas 7, adjeci.

QUAS autem fabellas fuiſſe jam ab aliis expositas significo, eas mihi plerumque more modoque meo diverſo proprias feci. Nam si

6 J. B. L. Crevier, Livianæ Editionis doctus & luculentus auctor.

7. Earum delectus, libello ad calcem operis rejecto comprehenſus, in hac editione exhibetur.

quaſdam veteres æſopicas, Æſopi ingenio dignas; quaſdam Gabrielis Jaii; nonnullas Henrici Richerii; ſatis multas Joannis Fontanæ, a quibus, quàm minimè poſſem, mihi recedendum eſſe intelligebam, exceperis: ceteras ferè omnes (ut latinè & ingenuè loquar id quod ſentio) non modò figuravi, & expolivi; ſed adduxi etiam ad rectum ordinem, atque interdum ſub poteſtatem ſensûs ipsius, qui dicitur communis, redegi. Quòd porrò Fontanam non ubique veſtigiis ipsius perſequi conatus sim, & quòd fabellas ejus tam rarò fidus interpres reddiderim, nemo id vertere mihi vitio debet. Non ita ſum obdureſcere ſolitus ad ingenuam Gratiarum feſtivitatem, ut opus, quod ipſæ concinnaverint, non admirer. Fontanam ergo excellentissimum eſſe apologorum ſcriptorem, & probè intelligo, & ultro prædico. At quemadmodum permulti ſunt urbanitatis latinæ flores, qui nullis effingi accuratè poſſunt coloribus gallicis, ita ſæpe latini colores nulli ſuppetunt adeò molles, ut venuſtates Fontanæ gallicas repræſentare valeant. Nimirum varias linguas doctrina, prudentia, uſus, exercitatio variis opibus facilè augent ac perficiunt: has autem univerſas opes, id eſt, vim atque copiam prope infinitam conferri simul in unam aliquam linguam, non sinit ipſa, sive providentia divina, sive humanæ naturæ infirmitas.

CAPUT II.

Apologorum ſcriptores, quos obſervationum libellus ad operis calcem rejectus, indicat, ferè omnes recenſentur.

I. ÆSOPUS, natione Phryx, conditione ſervus, in libertatem ab Idmone quodam vindicatus eſt. Dicitur in Euſebii chronico interemptus anno primo Olympiadis quinquageſimæ quartæ. Sed hanc notationem temporis evertunt, quæ a Plutarcho memorantur in libro de ſera Numinis vindicta, miſſum nempe Æſopum fuiſſe Delphos a Crœſo rege, apud quem florebat: Crœſus enim anno tantùm quarto Olympiadis quinquageſimæ quintæ, annis ferè ante Chriſtum natum 557, regnare cœpit. Fabulæ ſub ejus nomine exſtant hodie 297, quarum 136 primùm anno 1610 e bibliotheca Palatina prodierunt. Plura autem de ipſo vide a nobis commemorata Fab. Prol. Lib. VII & VIII.

II. LOCMANUS Thomæ Erpenio, qui fabellas ejus edidit, videtur eodem ferè, ac Æſopus, tempore vixiſſe. Immo eruditi viri complures, quibuſcum ipſe Erpenius non multùm diſſentit, eumdem, qui Græcis Æſopus

fuit, Perſis habitum eſſe Locmanum exiſtimârunt. Dicuntur fabellæ iſtæ e perſica lingua in arabicam elegantiſſimo ſtilo fuiſſe converſæ. Satis quidem facetæ, ſatiſque ſimplices ex interpretatione latina demonſtrantur plerumque : at interdum ſententias vel inſulſas, vel parum probabiles exhibent. Numero ſunt omnino triginta ſeptem : quarum decem & octo Tanaquillus Faber, Cadomenſis, verſibus latinis ſenariis reddidit, vel potiùs amplificavit ; atque auxit quidem laude non mediocri, quanquam eſt ejus ratio narrandi paulò verboſior. Obiit autem Faber Salmuri die 12 Septemb. an. 1672, ætat. 57, vir præditus ingenio peracri, variâque & exquiſitâ doctrinâ inſtructus.

III. PHÆDRUS, ſorte ſervus, gente autem non Thrax, ut vulgò traditum eſt, at Macedo, ut equidem reor, & in nova fabularum ejus editione demonſtrare conabor, in ea Pierii montis parte, quæ ad Macedoniam pertinet, natus eſt. Vixit temporibus Octavii Auguſti ; in cujus domo educatus, libertatem ab ipſo recepit. Puer admodum, latinis literis eruditus eſt : poſteà genio ſuo, paulùm maligno, vafroque, nimiùm indulgens, calamitates ſibi illas facilè arceſſiverit, quarum hiſtoriam narramus, Prol. Lib. X. Accuſatori ſuo Sejano ſuperſtes, adhuc ſentiebat 8 non parum abeſſe, quin fieret ſenio debilis. Infortu-

8 Phædr. L. 4. Epil. V. 16.

nio edoctus, ſuppreſſiſſe 9 fabellas ſuas videtur. Poſtmodum amico cuidam, inertiam ejus increpanti, grandiorem ætatem ſuam 1 excuſavit. Itaque ad annum Chriſti 43 facilè pervenerit; quo anno Seneca ad Polybium ſcribens, fabulas Phædri noſtri non ſibi fuiſſe cognitas indicat 2. Sunt enim, a morte Sejani ad hoc uſque tempus, anni non ampliùs duodecim. Jam ergo mirandum tantopere non eſt, quòd Seneca vel prorſus neſciverit, vel ſic fuerit locutus, tanquam neſciſſet, an *fabellas & æſopeos logos* Phædrus umquam tentâſſet.

IV. Aphthonius ſophiſta, ſive rhetor, Antiochensis, ſub finem ſecundi, aut initio tertii poſt Chriſtum natum ſeculi, floruiſſe creditur. Ejus fabulæ, numero quadraginta, græcè & latinè unà cum ejuſdem *progymnasmatis* ſæpius editæ ſunt. Has autem ſeparatas in ſuam collectionem apologorum compegit, ſuiſque caſtigationibus illuſtravit Neveletus. Stilo ſatis eleganti conſcriptas, ratione etiam ordinis, ac diſpositionis ſatis idoneâ præditas invêni.

V. Rufus Festus Avienus, qui librum de oris maritimis carmine iambico ſcripsit, qui Dionysii Afri deſcriptionem orbis, Aratique *Phænomena* versibus hexametris expreſſit, an

9 Ibid. V. 34.
1 L. 5. Fab. ult.
2 Conſol. ad Polyb. C. 27.

Anienus, vel Abienus, vel Anianus, vel denique (ſic enim variant manuſcripti codices) Avianus ille ſit, cujus exſtant fabulæ æſopicæ quadraginta duæ elegis expreſſæ, non ſatis compertum eſt. Horum tamen omnium unus idemque auctor apud pleroſque criticos habetur Rufus Feſtus Avienus. Quo autem ſeculo vixerit, quâ ſit domo, vel gente oriundus, non magis liquet. Illum enim floruiſſe dicunt alii Diocletiani, alii Antonini Pii, vel Hadriani temporibus, neque teſtimonium ullum, ullamve rationem idoneam ſubjiciunt. Jacobus autem Sponius cùm Romæ in villa Cæſarini reperiſſet Feſti Avieni proconſulis epigramma, in ſuîmet ipsius memoriam compoſitum, atque in marmore inſcriptum, vulgavit, & Avieni noſtri fetum eſſe pronuntiavit 3. Deam porrò Nortiam veneratur auctor hujus epigrammatis; & ſe Vulsinii (quod nunc eſt Italis *Lago di Bolſena*) natum declarat. Tum colligendum erit floruiſſe hunc ante annum Chriſti 378: quo anno Valens Imperator flammis exſtinctus eſt: Suidas enim Feſtum Avienum memorat a Valente miſſum in Asiam fuiſſe proconſulem. At Petrus Melian hiſpanus, qui Avieni noſtri opera, quæ ſuperſunt, collegit, & anno 1633 Madriti edidit, ſatis rectè ex eo, quòd auctor, libro de oris maritimis vers. 83 & 180 fretum gaditanum, Ma-

3 Jac. Spon. Itiner. Tom. II, pag. 148, & Lib. de ignotor. Deor. aris, pag. 41 & ſeq.

lacæque portum ad ſuam pertinuiſſe gentem indicet, hiſpanum eum fuiſſe concludit. Præterea Luitprandi ticinensis diaconi verba refert, memorantis, Avienum noſtrum *virum catholicum, & hiſpanum, civemque eborenſem, in Hiſpaniæ Carpetania* (quæ hodie Talavera de la Reyna vocitatur) *eodem* 4 *& die & anno, quo ſanctus Auguſtinus aſcendit ad Cælos, obiiſſe.* Et hæc quidem cum Aurelii Theodosii Macrobii ætate aptissimè conveniunt; quem eſſe illum ipſum Theodosium, cui ſuas Avienus fabellas dedicat, plerique critici exiſtimant. Diſceptationem ſuſcepiſſe de tali ſcriptore tam moleſtam, me prope pœnitet. Ejus enim fabulas quis peritus & incorruptus judex, si diligenter examinet, non fateatur, eſſe plerumque inficetas: interdum legibus metricis, ſæpe elegantiæ latini ſermonis, vel etiam proprietati verborum adverſari: multò ſæpius artificio, sive ordinandi res prudenter, aptéque connectendi ratione indigere: neque dignas eſſe, quas Petrus Crinitus, Gaſpar Barthius, Philippus Brietius, aliique tam benignè laudarent?

VI. Gabrias, qui & Babrias, & Babrius ab aliis nominatur, apologorum, versibus græcis ſcazontibus expolitorum, libros, ut refert Suidas, decem confecerat. Sed qui hodie apologi ſub ejus nomine circumferun-

4 Anno 430, die Aug. 28.

tur, ii omnes, excepto uno, ſcripti ſunt verſibus ïambicis. Memorat Voſſius, hos in quibuſdam codicibus manuſcriptis adſcribi Ignatio Diacono: quod & ante Voſſium, ſe comperiſſe declaravit Fabius Paulinus. Is ergo fuiſſe mihi videtur Ignatius ille Diaconus, qui Tarasii Patriarchæ Conſtantinopolitani vitam memoriæ mandavit. Ibi enim num. 56 narrat ſe a Tarasio initiatum rite faciendis trimetris 5, tetrametris, trochaicis, anapæſticiſque, & heroicis versibus. Trimetri autem verſus iidem ſunt qui vulgò ïambici vocantur. Porrò hunc auctorem non multò poſt annum Chriſti 806 ſcripsiſſe Tarasii vitam, comperio. Nunc ut nonnihil de fabellis dicam, quas ab eo retractatas eſſe puto: has animadverti inſcitè admodum tetraſtichis, sive quatuor versibus, singulas includi, vel potiùs conſtringi plerumque ac ſuffocari.

VII. Seb. Gotofr. Starchius; ſpecimen ſapientiæ Indorum veterum græcè primus edidit Berolini anno 1692; interpretationemque latinam adjunxit. Liber eſt colloquiis brutorum inter ſe politicis, ſtudio ſanè parum ſolerti inſtitutis, refertus. Hunc annis ante Alexandrum magnum trecentis ex indico

5 Poſtmodum docuit nos Reimmannus, Epito. p. 177, eſſe in bibliotheca Cæſaræa vindobonensi græcum codicem, inſcriptum: *Ignatii magiſtri tetraſticha ïambica ex fabulis æſopicis.* Gabriæ autem fabellæ omnes tetraſtichis, sive quatuor verſuum anguſtiis, comprehenduntur.

ſermone in arabicum fuiſſe converſum, teſtatus eſt Abrahamus Echellensis: ego verò confictum ſuſpicor a Simeone Setho græculo, qui anno Chriſti, circiter 1100, vivebat. Ibi certè monachorum & eremitarum creberrima fit mentio; novique teſtamenti quædam ſententiæ adhibentur, quæ venire in mentem priſcorum Arabum, Indorumve non potuerunt. Ceterùm pravo ac nonnumquam barbaro ſtilo opus omne pertextum eſt: fabellas tamen ſatis rectè compoſitas tres, quatuorve continet. Liber, qui ſub Pilpæi indi nomine circumfertur, ab iſto minimè diſcrepat.

VIII. Sub SANCTI CYRILLI nomine apologos morales edidit Balthaſar Corderius Viennæ Auſtriæ, anno 1630. Nunquam illos, niſi hoc ipſo latino ſermone, planè barbaro, qui exhibetur, ſcriptos fuiſſe exiſtimo. Auctor eorum ineptus non vixiſſe nisi poſt ſeculum decimum ſecundum videtur.

IX. ANONIMUS ab Iſaaco Nicolao Neveleto unà cum Æſopo, Aphthonio, Gabriâ, Phædro, Avieno, Laurentioque Abſtemio editus Francofurti anno 1610, jam antea, nec ſemel, at mendoſiſſimè prodierat. Scriptor eſt incurſione verborum ac ſententiarum importunâ horridus, dicacitatis appetens, ineptiarum prodigus, aliquando tamen ridiculè facetus, ac prope ingenioſus. Alii dictum hunc nomine Romulum, alii vocatum Salonem, &

gente parmenſem fuiſſe volunt: vixiſſe autem ſeculo duodecimo ôpinatus eſt Lyl. Gregor. Gyraldus: ego verò parum id omne intereſſe rei literariæ exiſtimo.

X. Rimicius, Guillelmus Hermanus, Hadrianus Barlandus, ac Laurentius Valla, omnes, præter Vallam, grammaticum illuſtrem, planè incogniti, fabellas æſopicas partim e græcis latinas fecerunt, partim e ligato ſermone in orationem ſolutam tranſtulerunt. Has autem collegit Robertus Stephanus, & unà cum priore Laurentii Abſtemii hecatomythio, at paulùm decurtato, in lucem emiſit anno 1529. Sordida eſt iſta farrago, ſed aurum continet.

XI. Laurentius Abstemius ſeculo poſt decimum quinto exeunte florebat. Fabellas 198, quarum primam partem hecatomythium vocavit, ſermone ſcripsit latino ſoluto. Stilum adhibuit simplicem, ſæpe optimum, aliquando nimis abjectum ac prope barbarum. Quaſdam etiam narrationes jocis honeſtis inſeruit homine chriſtiano atque ingenuo prorſus indignas.

XII. Gabriel Faernus, cremonensis, bonus poeta, criticuſque insignis, bene de Terentio meritus, obiit Romæ die 17 Nov. an. 1561. Centum fabulas, vario carminum genere explicatas, moriens reliquit. Quæ ſi-

guris, ex ære inciſo expreſsis, elegantibus adornatæ prodierunt Romæ anno 1564, atque Carolo Borromeo cardinali ſanctiſſimo dedicatæ ſunt. Has longo poſt tempore vir, ut accepi, non illiteratus, nomine Mayolus, in libros quinque diſtributas, anno 1697, Pariſiis edidit. Cujus quidem editionis inſcriptio talis eſt: *Phædrus alter, ſeu Gab. Faerni Cremonenſis Fabulæ ex Æſopo aliiſque priſcis Auctoribus Pii IV Pont. max. hortatu ſcriptæ, & juſſu editæ anno 1564, nunc primùm in Gallia, novoque ordine prodeunt, ad uſum Scholarum accommodato.*

XIII. Cæsar Pavesius, qui Petrus Targa appellari maluit, fabellas primus, ni fallor, Italorum italicis versibus compoſuit. Eas, numero centum & quinquaginta, bonas oppidò, prudenterque ac venuſtè concinnatas, vulgavit Venetiis anno 1569: ſed epiſtolam, quâ librum dicat, ſcripsit anno 1558.

XIV. Joannes-Marius Verdizotus, exemplum Pavesii ſecutus, centum fabulas, versibus pariter ſcriptas italicis, emisit in lucem anno 1570, Venetiis, cum figuris, quas ipſe delineaverat. Hîc animadvertere licet, fabulam de ruſtico, ejuſque filio, & aſello, quam Verdizoto attribuere videor, L. 14, Fab. 10, ab alio, si vera lectores docet bibliopola, fuiſſe compositam; atque hanc etiam numerum excedere centenarium: ſed auctor

quoniam eſt incognitus, auctorem notum, cujus fabulis adjecta illa eſt, appellandum eſſe judicavi.

XV. JOACHIMUS CAMERARIUS, anno 1500, Papebergæ, ſive Bambergæ in Franconia natus eſt; Lipſiæ autem, anno 1574, de vita deceſſit, relictis variæ literaturæ innumerabilibus monumentis minimè contemnendis; inter quæ non poſtremo loco habendæ ſunt æſopicæ fabulæ, plures quingentis, ab ipſo curâ magnâ atque diligentiâ undique collectæ & ad latinitatem uniuſmodi, eamque ſatis puram, redactæ. Theſaurus ille eſt apologorum uberrimus, & ab omnibus, qui res amant ejuſmodi, ſtudiosè comparandus, quamvis multa non ſatis ſcitè excogitata, quædam etiam prorſus inepta contineat.

XVI. PHILIBERTUS-HEGEMON GUIDE, cabillonenſis, anno Chriſti 1595, ætatis autem ſuæ 60, fato functus eſt. Fabellas viginti duas gallicis verſibus ſcripſit parum quidem eleganter, parumque doctè, ita tamen, ut in eo ſimplicem illam veterum poetarum noſtratium non injucundam narrandi rationem agnoſcere liceat. Ille autem in meis obſervationibus Philibertus Hegemon, omiſſo vero nomine, ideo appellatus eſt, quia non aliter in ſuis opuſculis appellari ipſe voluit: quæ opuſcula cùm nequaquam obvia ſint, inſcriptionem eorum en legendam offerimus: *La Colombiere*

Colombiere & maiſon ruſtique de Philibert Hegemon, de Châlons-ſur-Saone : contenant une deſcription des douze mois & quatre ſaiſons de l'année, avec enſeignement de ce que le Laboureur doit faire par chacun mois. L'Abeille françoiſe du même Auteur : ſes fables morales, & autres poéſies : & les louanges de la vie ruſtique, extraites des œuvres de G. de Saluſte ſieur du Bartas. A Paris, chez Robert le Fizelier, 1583, in-8°. pag. 150.

XVII. JACOBUS REGNERIUS Bealni in Burgundia natus eſt, die 6 januar. an. 1589, patre Benjamino Regnerio cauſarum patrono. Literis excultus, pueros nobiles cuſtos ac præceptor, pactâ mercede, rexit, inſtituitque. Deinde operam corrigendis libris apud typographum locavit. Medicam denique artem propriam ſibi aſſumpsit : cujus artis doctor eſt nuncupatus Cadurci, die 3 dec. anni 1624; eamque demum in fortunam devênit, ut inopiâ perditus, variiſque morbis, & calamitatibus aliis permultis conſumptus, periret die 16 jun. anni 1653. Apologos ille Divione anno 1643 centum edidit; quos diſtribuit partes in duas, atque phædrios inſcripsit. Longè quidem Regnerius noſter ab auctore optimo, quem ſibi propoſuerat imitandum, receſſit : ſæpe enim & verba & res ipſas malè temperat, ſtilumque etiam aliquando non ſatis latinum adhibet : narrandi tamen jocandique ratione utitur plerumque non inficetâ,

riùs coercuiſſet; maluiſſet videri simplex, quam ingenioſus; maculas etiam nonnullas, quas incuria fuderat, ſtudio diligentiore deleviſſet: illum ego certè Phædrum alterum longè veriùs, quàm Faernum, qui paulò quidem simplicior eſt, at multò minùs elegans, appellandum eſſe judicarem.

XXIII. Eustachius le Noble, campanus, Pariſiis anno 1711 mortuus eſt. Fabellas ducentas anno 1699 edidit 6, quas singulas non modò verſibus gallicis omnino ſex, at latino etiam diſticho complexus eſt, labore profectò puerili ac minimè neceſſario. Has tamen inter latinas nonnullæ, inter gallicas autem multò plures occurrunt, quas eſſe pretii alicujus haud negaverim. Sed & comœdiam ille æſopicam, apologis non inelegantibus refertam, concinnavit, exemplum Edmundi *Bourſault*, burgundi, Pariſiis anno 1701 mortui, ſecutus: qui, datâ ejuſmodi comœdiâ, anno 1690, ſimilem alteram anno 1711 moriens reliquit; atque magnos quidem, nec indebitos, utraque plauſus obtinuit.

XXIV. Gabriel-Franciscus le Jai, pariſinus, obiit anno Chriſti 1734, ætatis ſuæ ſeptuagesimo ſeptimo. Confecerat labore & induſtriâ non inutili, edideratque Pariſiis an-

6. Alias, numero centum circiter, longè uberiùs, non multò feliciùs expoſitas, jam duobus ante annis ediderat.

no 1725 bibliothecam rhetorum : cujus primum volumen, pag. 739-755, ſcriptas oratione ſolutâ fabellas triginta ſex ; alterum pag. 739-758, verſibus ſenariis explicatas viginti quatuor exhibet. In hiſce porro fabellis, prioribus præſertim, multa eleganter, nonnulla etiam facetè atque ingenioſè concinnata repeꝛiuntur.

Petrus Burmannus, celeberrimus criticus, Lugduni Batavorum, anno Chriſti 1741, ætatis autem ſuæ 72, vitam cum morte commutavit. Is cum Phædri fabulas an. 1719 ederet, adjecit, tanquam hujus appendicem, apologos & gudianos quinque, & alios viginti & novem, a ſe *ex Rimicio, Anonymo, & Romulo Nielantii, in metrum redactos.* At providere illum oportuit, ne argumenta, quæ ineptè compoſita repererat, tam negligenter emendata relinqueret.

XXV. Henricus Richerius, normannus, Pariſiis, anno 1748, die 12 martii, de vita deceſſit ſexagenario major. Quamvis ille conatu aliquando minùs felici facetus eſſe voluerit, neque ſatis virtute quâdam poëticâ pollere videatur; ſcriptor tamen apologorum gallicorum nullus, meo judicio, exſtiterat, qui ab elegantia Fontanæ, vix & ne vix quidem imitabili, propiùs abeſſet. Reliquit ille certè longè remotos infra ſe, & Antonium-Ludovicum *Le Brun*, fato functum Pariſiis,

anno 1743, & Antonium *Houdart de la Motte* ibidem, anno 1731, demortuum: atque hujus quidem fabellæ prope omnes demonſtrant, ab hominibus antiquitatis aureæ contemptoribus, quamvis alioquin ingenioſis, res plerumque & excogitari parum plauſibiles, & infelici prorſus artificio concinnari. Hanc autem cenſuram cùm ægrè ferret ſcriptor quidam, in primis honeſtus & probus, bonâque fide admirari ſolitus Antonii ſui fabulas; is me in opere quodam, valde ſpiſſo, redarguit leniter quidem, namque homo eſt minimè malus, verumtamen redarguit: ac poſtquam objecit, Antonium ſuum eſſe illuſtrem; Antonium verò illum Ludovicum prope ignotum; egregiè me eſſe refutatum putavit. Abjectus reverà, neglectuſque auctor eſt, Antonius *Le Brun*, neque, opinor, fabulæ ejus unquam e tenebris extrahentur: quamvis enim res plerumque ſatis prudenter inventas, ſatisque ſimpliciter expoſitas habeant; lepôre tamen poetico ferè omni deficiuntur. At Houdartus nonne ſcriptor inſignis eſt? Nihil repugno: tantùm velim animadverti, celebritatis illum habuiſſe cauſas, & a ſuis aliquot bonis operibus, & ab ipſa fabularum ſuarum admirabilitate 7 ridiculâ. Fatebor ultro, quaſ-

7 Eas porro critici quanquam, univerſè loquendo, ridiculas eſſe jam diu pronuntiârunt; eſſe tamen ingenioſas, haud infitiati ſunt, atque ego certè non infitior: ſed cùm ſperaviſſem amplam ex ipſarum lectione meſſem; poſtquam omnes diligenter pervolutavi, decem tantùm

dam ex iſtis fabulis non eſſe invenuſtas, tertiamque libri ſecundi, de puero & avellanis, jure dici poſſe optimam: ſed quid mirum, ſi vir ingenioſus, in re quavis deſudans, habuerit aliquando proſperos exitus? Hoc nihilominus contendo, artem excogitandi, narrandi, jocandi in hominis noſtri fabulis pleriſque vix elucere; perſtrepere autem ſæpius loquacitatem importunissimam; ac permulta ſtili rudis & aſperi exſtare veſtigia; verſuſque passim occurrere inelegantes & prope horridos 8. Quod & ipſa puerilis ætas, duce naturâ, ſentire possit: nam cùm olim fabularum iſtarum Ponsius 9 admirator, laudatorque maximus, unam ex omnibus ſelegiſſet, pueroque ſexenni, qui Fontanæ fabulas retinere perfacilè memoriâ ſolebat, addiſcendam tradidiſſet; nullo pacto puer addiſcere illam potuit.

& tres circiter colligere licuit, quas versibus latinis redderem, vel potiùs imitarer.

8 Notus eſt Liber, cui titulus: *Les Fables de M. Houdart de la Motte, traduites en vers françois par le P. S. F.*

In toto Libro nil melius titulo.

Joach. Bellaïus, *pag.* 19.

9 *L'Abbé de Pons*, in quem factum eſt illud epigramma gallicum:

L'Abbé de Pons, ce petit homme,
Nous vante La Motte, & le nomme
Un génie, un auteur divin:
Tout eſt géant aux yeux d'un nain.

APPENDICULA.

I. Leo-Baptista Albertus, italus, ſeculo decimo quinto floruit: ejus fabulæ centum, italicâ ſimul & latinâ linguâ expreſſæ, prodierunt Pariſiis, anno 1693, edit. in-12, in qua editione, auctorem floruiſſe anno 1540, falsò dicitur.

II. *Fables de M. Gay, trad. de l'anglois par Madame de Keralio. Paris, 1759, in-12.* Joannes Gay, anglus, obiit menſe decembri, anno hujus ſeculi trigesimo ſecundo, ætatis autem ſuæ quadragesimo ſexto.

III. *La Vérité fabuliſte, Comédie, avec un recueil de Fables, par M. de Launay. Rouen, 1733, in-12.*

IV. *Fables nouvelles, par M. D. D. L. P. D. C. Paris, 1744, in-12.*

V. *Recueil de Fables nouvelles, par M. d'Ardene. Paris, 1747, in-12.* Is Maſſiliæ, in ſua patria mortuus eſt, die 27 mart. an. 1748.

VI. *Fables nouvelles, par M. l'Abbé Aubert.* Vide notat. ad fab. ult. lib. 13.

Alii ſcriptores fabularum exſtitêre permulti; de quibus nihil hîc a me commemorari, neutiquam, ut ſpero, mirabitur, qui nullam eorum in fabellis meis factam fuiſſe mentionem animadverterit.

CLAUDIO SALERIO

Editio prima dedicata.

Cui dono, dedico fabulas novas? tibi,
Optime Saleri: namque tu primus bono
Has munerafti perlegens ſuffragio,
Et judicâſti luce dignas publicâ.
Quapropter ipſas animus augurat mihi
Satis felici prodituras alite:
Etenim ſincerâ, candidâque præditum
Te mentis indole eſſe, nôrunt plurimi,
Tibi quos adjunxit nexibus læta aureis
Neceſſitudo; deinde liberalium
Præſtare te magnâ artium peritiâ,
Neque te latinis eſſe, quàm græcis libris,
Minùs adſuetum, priſca polivit quos manus,
Latere opinor literato nemini.
Id ergo totum, qualecumque, habe tibi
Novi libelli; meque livor ſi malus
Amarulentis appetiverit jocis,
Tuo præſidio tutere imbellem, precor.

JOSEPHO OLIVETO

Libri tertiæ editionis poſteriores quinque dedicati.

Et noſtras aliquid eſſe ducis fabulas,
Joſephe; & illas cùm facilè perſpexeris
Non invenuſti ſpecie blandâ corticis
Allicere furtim mentes ad frugem bonam;
Omnemque noſtram tendere huc induſtriam,
Ut ſuavitate condiatur veritas,
Pleriſque acerba, & utiles inter jocos
Ludat verecundè innocens ſtili indoles;
Hinc approbantis animi teſtimonium
Benevolus ultro gratificatus es mihi.

Quapropter aliquam ut iſti jucundissimæ
Urbanitati gratiam rependerem,
Hos fabularum quinque decrevi libros
Tibi dedicare; eoſque præ quinque alteris
Polire ſtudui tantò diligentiùs,
Quòd eruditus non latino sis minùs,
Quàm gallico ſermone, ſcribendi artifex:
Etenim decorum, delicatum, lucidum
Servas, in utroque genere, verborum ordinem;

Pariterque, quas res invicem annecti velit
Arguta ratio, viſque judicii potens,
Egregiè calles; & bonâ reconditum
Sub mente guſtum laudis utriuſque obtines;
Idemque, ſpero, facilè mecum ſentiet,
Quicumque libros legere ſuevit optimos:
Regni per omnes literarii plagas
Tam juſta famæ celebritas de te viget,
Tamque diuturna, ut is ferè convicio
Adurgeatur, qui refragari velit.

JAM verò id omne quidquid eſt munuſculi
Ut judicarem non tibi ingratum fore,
Tua ſingularis induxit me humanitas:
Amas rèpendere omnibus videlicet
Officia liberalis indulgentiæ,
Cenſoriæque virgulæ amaritudinem
Adhibere nunquam, niſi perinvitus, ſoles.

EXPLICATIO

NON PRÆTEREUNDA.

PETIERUNT multi, ut ex his meis fabellis, numero quingentis circiter & triginta nunc simul exſtantibus, quas excogitâſſem, declararem. Dicam ergo bonâ fide: Quæcumque argumenta ab aliis fuiſſe tractata ſcriptoribus non indico, ea omnia, a me eſſe inventa exiſtimo: exiſtimo, inquam, non aſſevero; nonnulla enim, quæ primùm inveniſſe me credideram, aliena poſtmodum e perlectis quibuſdam libris recognovi, ſuiſque inventoribus reddidi.

FABULARUM

FABULARUM ÆSOPIARUM
LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Omnes dare operam naviter homines decet,
Ut ſeſe honeſtis artibus invicem adjuvent.
Pro viribus ergo efficere conatus fui,
Ut ne, alma ſtudia literarum dum ſequor,
Obſcuram inani dicerer vitam otio
Transîſſe. Porro cùm viderem, quas ferunt
Æſopum auctorem reperiſſe fabulas,
Magno has fuiſſe doctis olim ſeculis
In honore; talem mihi ſumendam cenſui
Materiam, primâ fronte leviſſimam quidem;
At penitus omni laude verâ præditam:
Ejus enim dotes paulò diligentiùs,
Paulóque rectiùs intueri si velis,
Tute ipſe, luſus eſſe noſtros utiles
Ad corrigendam vitam hominum, fatebere.
  Specioſis alii dum eloquentiæ ſtrophis
Severitatem venditant cenſoriam,
Re vacuas ipsâ nænias effutiunt
Plerumque: nos paratu verborum levi,

Tenui, modeſto simplices, fictis jocis
Lenocinantes, mentibus frugem bonam
Inſerimus. Et verò infitiari non licet,
Noſtrum illud omne fabularum quin genus,
Dum varia proponit, oculisque ſubjicit
Exempla, monitis arguat ſalubribus
Cujuſque vitam, quas & ipſa condidit
Natura, ſanctas uſque leges ſuadeat,
Officia denique doceat ferè omnia,
Quîs continetur ſocietas mortalium;
Unde hanc moralis eſſe philoſophiæ ſcholam,
Eamque veram, non ineptè dixerim.

FABULA I.

Belluæ peſtilentiâ laborantes.

CALAMITAS, quâ non alia diligentior
Vaſtandum ad orbem ab inferis emittitur,
Terribilis, invicta, efficax, intra dies
Paucos, avaram explere Plutonis domum,
Peſtis, vocanda nomine quoniam eſt ſuo,
In belluarum eruperat latè genus.
Permulta fuerant corpora data jam neci:
Reliqua laborioſus urgebat ſtupor,
Triſti veterno languida: procul, hinc procul
Exterritus amor, & voluptas fugerant:
Ubique luctus, ubique regnabat pavor.
Eâ tam atroci clade perculſus Leo,
Jubet frequentes convocari belluas:
Tum concionem ubi ſatis magnam videt:
Cæleſtis ira, unius ob noxas, ait,
Sæpe univerſam plectit multitudinem:
Nunc ergo judex quiſque, non mollis ſibi,

Deſcendat in ſe, diſpiciatque ſedulò,
Si quid erit, quo fòrs irritaverit Deos;
Ut una demum, ritè ſeſe devovens,
Hoſtia tot innocentes redimat victimas.
Ego equidem culpâ non carere me puto:
Nam oves, & agnos, & juvencos, & boves
Comêdi; nec peperci ipsis cuſtodibus:
Et hæc, & alia ejusmodi quàm plurima
Patrata, fateor, jure nullo ſunt meo.
Hîc vulpis, ut quæ ſponte adulari ſolet,
Vitam reclamat omnem tanti principis
Culpæ inveniri poſſe nulli obnoxiam:
Ovillis, inquit, bubulisque carnibus
Sæpe ſatiâſti nobilem tuam famem:
Quid tum? pecudibus magnus hic ſtultis honos
Eſt habitus, alvum quòd tuam repleverint.
Aliquot præterea ruſticos diſcerpere
Placuit: at hoſtes in mòdum hoſtilem licet
Tractare, nec jus bellicum ulciſci vetat.
Quæ viſa poſtquam eſt plausibilis oratio;
Sua confiteri ſcelera non dubitat tigris,
Non dubitat urſus, non lupus, non ceteri
Carnifices; & qui nigra norint vertere
In candida, adſunt oratores callidi.
Reſtabat asinus: is ſuum bonâ fide
Scrutatur animum; & invenire vix poteſt
Quidquam notari dignum; ad extremum tamen:
Mihi, quasi per nebulam, ait, in mentem venit,
Olim me divertiſſe, neſcio quâ viâ,
Ad ſacrificuli neſcio cujus pratulum:
Herba bona, tenera, si bene memini, fuit;
Attingere autem non licebat hanc mihi;
Nôram: abſtinere volui: ſed ſtimulans fames,
Et allicientis opportunitas boni,
Et genius aliquis me malus, credo, impulit,
Labella dulci ut admoverem gramini,

Pauxillulumque pabuli decerperem.
Vix ea ; repentè in infelicem beſtiam
Ab univerſo cœtu clamor tollitur :
Pereat ſceleſtus, cauſa communis mali,
Asinus ; nefandi pereat auctor criminis.
Sacrificuli herbam comedere ! quid hoc eſt, niſi
Horribile, junctum cum ſacrilegio, ſcelus ?
Hinc nos videlicet hiſce cladibus premit
Cæleſtis ira : Numen ergo debitâ
Statim expietur impiæ pecudis nece.
Diram hanc iniquus ipſe Rex ſententiam
Non erubeſcit comprobare ; nec mora,
Fœdè immolandam tradit hoſtiam lupo.
Peſſumdari inopes, ubi potentium intereſt ;
Facilè in grave ſcelus culpa mutatur levis.

FABULA II.

Formica & Cicada.

PATIENS laboris, grana dum messis daret ;
Opus Formica fecerat, hiemis memor ;
Frugemque multam in horreum congeſſerat :
Cicada totos interim dies ſonis,
Malè otioſa', ſtridulis indulſerat,
Nil providens quid deinde venturum foret.
Venit hiems. Mox miſella contrahitur gelu ;
Intelligitque ſe eſſe perituram fame,
Si non cibi aliquid unde unde extricaverit.
Formica tutum ſe receperat in cavum,
Opibus paratis jam fruens. Hanc convenit
Cicada ſupplex : Fer, ait, auxilium, o bona,
Egenti. At illa : Quid agebas autem, has opes
Dum colligebam ? Cantabam videlicet.

Cantabas ! laudo : nec ſaltare nunc veto.
Suam dolebit languida ſenectus vicem,
Laborioſa ni juventus præcavet.

FABULA III.

Aquila, Corvus, & Paſtor.

OVEM rapuerat Aquila curvis unguibus :
Idem experiri Corvus & ipſe dum cupit,
Parem e grege toto prædam, obſervans, eligit ;
Simulque magno devolans ruit impetu.
At nec ovem tollere, impar quippe viribus,
Neque hujus etiam pertinaci vellere
Miſerè impeditum ſe expedire jam poteſt.
Accurrit ergo Paſtor ; & hunc capiens : Tuas
Priùs decebat nôſſe te vires, ait,
Quàm tale facinus nitereris exſequi :
Capere volebas, captus ipſe nunc veni,
Meo futurus filiolo ludibrium.
Tenues homullos ad ſuam ſæpe accidit
Potentiorum exemplis perniciem trahi.

FABULA IV.

Lacerta & Teſtudo.

TUI me miſeret, aiebat Teſtudini
Lacerta ; quæ, quócumque libeat vadere,
Tuam ipſa tecum ferre cogaris domum.
Quod utile, inquit illa, non grave eſt onus.

FABULA V.

Ericius & Talpa.

Ericius hiemem adventare ſentiens,
Talpam rogavit, proprio in cavo locum
Sibi ut vim contra frigoris concederet.
Concessit Talpa; ſed receptus hoſpitem,
Ut ſe movere cumque vult, Ericius
Pungit moleſtis hinc & hinc aculeis.
Hunc ergo Talpa intelligens damno ſuo
Receptum, ferre nec diutius volens,
Precatur, obteſtatur, exire ut velit,
Quandoquidem anguſtus ambo non capit locus.
At eſſe gaudens ille, ubi bene eſt sibi:
Hinc exeat, ait, qui manere non poteſt.
Fabella docet hunc imprudenter hoſpitem
Admitti, qui non poſſit aliquando ejici.

FABULA VI.

Leo, Lupus, & Vulpis.

Leo ægrotabat: acceſſerunt illico,
Ut ſolarentur, omnes undique beſtiæ:
Vulpis tamen adhuc aberat: ergo Lupus datum
Hanc criminandi, infenſus, arripit locum:
Nil curat, inquit, de ſalute principis.
Dumque alia multa deblaterat ejusmodi,
Conflare tentans invidiam, tandem advenit;
Ejusque verba Vulpis audit ultima.
Vix introgreſſa: Me, ait, excuſatam velis,
Magnanime princeps, si quid eſt, cur non ſatis

Videar fuiſſe diligens : mea interim
Opera tibi data eſt ; & fuit pretium moræ :
Nam circuivi ; & hinc & illinc ſedulò
Rogavi, quodnam remedium præſtantius,
Tuoque tollendo aptius morbo foret.
Quid comperiſti, quærit impatiens Leo ?
Reſpondet Vulpis : Nil crede efficacius,
Quàm si jubebis detrahi pellem Lupo
Viventi, eamque protinus calidam indues.
Placet remedium : Lupus ergo deglubitur
Miſer, & agnoſcit, quæ nihil dominos juvat,
Recidere fraudem ſæpe in auctores ſuos.

FABULA VII.

Pueruli Fratres.

NATURA, & uſus vitæ communis duos
Fratres puerulos mutuo conjunxerat
Amore, qualem ferre id ætatis ſolet.
Tentatus eſt fortè unus amborum levi,
Brevique morbo : venam oportuit tamen
Secari, medico sic jubente. Quod videns,
Protinus adflere cœpit alter. At mihi
Pius iſte motus miſericordiæ placet,
Ait æger ſecum reputans ; ac etiam magis,
Quàm credidi, ab eo nunc me amari intelligo.
Poſtridie, cùm prima rediiſſet ſalus,
Germanum adſpexit cruſtulorum copiâ
Inſtructum : partem sibi dare ut velit, rogat.
Negat ille verò. Quid ? mihi pias heri
Lacrymas dediſti, nuncque cruſtulum negas ?
Nego, ait : Natura dat lacrymas, non cruſtula.
Specioſa ſæpe ſanctam amicitiam nota
Teſtatur : at rarò ipſa res fidem facit.

FABULA VIII.

Roſa & Papilio.

SEMOTA ab omni pæne conſpectu Roſa
Florebat, & latebat horti in angulo.
Inde tamen aliam, non viſa ipſa clanculum
Roſam videbat, quæ patenti in area
Blandè renidens lumini ætherio, ſuum
Decus aperiret non ſine faſtoſo igneæ
Fulgore formæ. Tum livore carpitur,
Gemitque, genere quòd parem, tam diſpari
Obnoxiam ſe vivere ſorti oporteat.
Papilio, ſua quem fortè levitas huc tulit,
Advertit; & : Quid, ſtulta, ſic, inquit, gemis?
Tua iſta nempe clariùs micat ſoror,
Radiiſque ſolis vividioribus calet;
Sed te minùs tenella eſt, & vernans minùs;
Et ævum denique brevius, quàm tu, exiget.
Hæc miſera pleroſque homines conditio premit:
Obſcura vita diſplicet; illuſtris nocet.

FABULA IX.

Columba plumipes, & Columba ſaxatilis.

SPERNENS Columba plumipes ſaxatilem,
Superbiebat, quòd ſe ſemper cerneret
Bene ocreatam; cùm ſuas illa interim
Nudas, turpeſque tibias oſtenderet.
Saxatilis ait: Nudis me eſſe tibiis
Quòd ſors voluerit, non modò injuſtè exprobras;

Sed etiam, quòd sic nata sim, mihi gratulor,
Quippe magis expeditæ: at ocreas tibi
Quòd fata dederint, quid ea jactas munera?
Vincla eſſe potiùs, quàm ornamenta, dixerim:
Etenim experire; non modò nihil adjuvent,
Sed etiam impediant, ne ſatis facilè ambules.
His excitata verbis, a ſe plumipes
Ova incubari non meminit: ut ſe probet
Poſſe ambulare commodè, nido exsilit
Repentè, & ocreis ſimul inhærentem ſuis
Spem ſobolis rapit, & inſcia illidit ſolo.
Veſtis luxuriâ gloriantes indicat
Fabella plures ruere in exitium grave.

FABULA X.

Capo.

HABEBAT aliquis Caponem, chortalibus
Præ ceteris alitibus dilectum sibi;
Ita ut, pennarum nullo conſpicuum licèt
Nitore, pulchrum hunc eſſe totum crederet:
Adeò eſt amantum cæca deliratio!
Etiamque tinctu faſciam insignem rubro
Ad ejus collum ſtultus alligaverat.
Ornatu hic autem glorians novo, additam
Sibi putat eſſe miram pulchritudinem:
Ergo celeriter ſeſe confert ad ſuos.
Ineptum at illi non ferentes, protinus
Omnes ad unum invadunt, & procaciter
Illudere certant, omnibus & vexant probris.
Loco eſt ignominiæ honor indigno datus.

FABULA XI.

Simius & Hinnuleus.

HINNULEUS olim, Simiusque dum simul
Colludunt; ille genio indulget innocens,
Luſumque ſimplex e luſu ſolum petit:
Sed alter, etiam ludens, innatam ſibi
Malitiam continere non poteſt diu;
Et ad usque vivum dente pungens perfido,
Hinnulei delicatam ſauciat cutem:
Qui simul acerbans ejulatu, fletibus
Senſum doloris, hinc cito pede confugit
Cervum ad parentem, defluenteque offerens
Cruore tinctam corporis partem: En vides,
Vides, heu! clamat, me miſerum natum tuum
Malus iſte ſcurra quo tractaverit modo:
Quam nisi tu atrocem vindicas injuriam,
Pater, uti juſtum eſt, hercle perii funditus:
Namque hoc abiſſe impunè poſtquàm videris,
Ad majus aliquod ſcelus erit paratior.
Cauſam querendi cervus eſſe exiſtimans
Parem querelis, territus primùm fuit,
Et ultionis cupiditate percitum
Sibi simul ſensit fremere, & accendi jecur:
At propiùs omnem deinde rem considerans,
Læſam eſſe leviter ut cutem nati videt,
Luctum ejus ipſe denique mendacem arguit.
  Tenerior animus quamlibet factam ſibi
Exaggerare offensiunculam ſolet.

FABULA XII.

Gruis & Pavo.

Variis ſimultas orta de cauſis Gruem
Olim incitavit, & alitem junonium,
Ut ſe viciſſim inceſſerent convicio.
Vide, inquit Pavo, gemmeum caudæ explicans
Nitorem, in illis miro plumis ordine
Diſpoſitis quanta luminum vis fulguret;
Tuumque lauda poſtea, & mihi, si potes,
Objice colorem cinereum. Retulit Gruis:
Plumarum honore lucido præſtas quidem;
Neque hanc invideo futilem tibi gloriam:
Sed humi te retinet iſte, quem jactas, decor,
His ego dum pennis, quas, ſuperbe, vituperas,
Procul hinc volatus molior ſæpe arduos,
Ultraque nubes, proxima ſuperis, feror.
Quiſquis es ab aliqua parte commendabilis,
Ne sis ab alia vituperabilis, time.

FABULA XIII.

Mala Aurea.

Vir luſitanus filium habuit unicum,
Cujus venuſtam ſimplicis animi indolem
Etiam adjuvabat pulchritudo corporis.
Erga hunc (vel aliis, quàm parenti, amabilem)
Erat parentis magnus, at prudens amor.
Oculum ille, curis excitatum providis,
Cùm ſæpe in ipſum attentiùs defigeret,

Perſpexit animum, qui doloſis artibus
Deludi, & ad flagitia poſſet allici
Eò faciliùs, quò magis simplex erat.
Ergo monebat ſæpe, ne ſocios ſibi
Habere vellet, ut habebat multos nimis;
Et hunc, & illum memorans, qui parilis quidem
Ætatis, at non parilis innocentiæ
Flore eniterent. Magna cum reverentia
Monitus paternos audiebat filius:
Atenim, inquiebat, tuta omnia times, pater;
Eosque certè, cum quibus credis mihi
Periculoſum inire conſuetudinem,
Quàm non nocere possint, haud noſti ſatis:
Immo, aliquid ipsi fortè si contraxerint
Vitiositatis, quidquid id fuerit, meis
Bonis, ita ſpero, exemplis emendabitur.
Nec ea quietus accipit, nec adhuc tamen
Ratus pater cauſam eſſe cur ſuccenſeat,
Præſtare verbis quod nequit, tentat dolo
Efficere id innocente. Ciſtulam parat,
Pulcherrimisque Malis aureis replet,
Nisi quòd tot ſanis aliquot intermiſcuit,
Quæ ſparſa maculis intimam prænuntiant
Corruptionem. Quo facto, natum vocat;
Et: Hoc leve, inquit, pignus habe amoris mei.
Lætusque, gratusque accipit donum puer;
Mox & ſciendi cupidus, habeat quas opes,
Dum curioſè numerat, atque examinat,
Repentè clamat: Heu! quid egiſti, pater?
Cur insincera miſcuiſti his integris?
Ne querere, fili: integritatem mox ſuam
Communicabunt cum malis quæ ſunt bona.
Quin immo, ſubjicit ille, quæ bona ſunt modò;
Brevi malorum mala fient contagio.
Nil tu time, inquam, nate; vel hoc mihi denique
Concede, ut experiamur quem res exitum

Habere poſſit. Natus nildum ſuſpicans
Quò tenderetur, annuit, invitus licèt.
Ergo obſeratur ciſtula; & clavis datur
Servanda patri, donec ipſe nuntiet
Reſerandi tempus. Interim impatiens moræ,
Patrem usque & uſque blandâ ſollicitat prece,
Tentatque natus facere, ne diutius
Viſere vetetur, quo ſuæ ſint res loco.
Nimis inquietus quid te fruſtra maceras,
Aiebat ille? quin potiùs, quod tu cupis,
Fieri dum liceat, ſuſtines moram brevem?
At ecce, poſtquam diſtulit ſatis diu,
Veniſſe tandem nuntiat optatum diem,
Simulque clavim tradit: illa ſegniùs
Videtur obſecundare iſti improvido,
Suum expetenti cernere citiùs malum:
Nam vix aperta eſt ciſtula, ingentem videt
Omnibus ad unum Malis, jam non aureis,
Luem inſediſſe, & horridam putredinem.
Et calamitatem non ego hanc prædixeram,
Exclamat? heu me! quàm verus forem, nimis
Intelligebam: ſed aliter viſum tibi,
Pater. Dolere non tanti eſt, fili; abſtine,
Ait ille, jungens plena amoris oſcula:
Tibi quòd habere ſuper his noluerim fidem,
Quereris: at ipſe numquid credideras mihi,
Cùm commonerem, vita quorum non foret
Impuritatis expers, quàm facilè in malam
Perniciem eorum ſocietas adduceret?
Periiſſe Mala, dono quæ dederam, doles;
Damnum puta iſtud & leve & reparabile.
Sed adulteratis, nate, si te moribus
Aliquando fieri vitioſum contingeret;
Et iſta quæ nunc tantopere juvat patrem,
Vitæ innocentis si periret caſtitas;
Quid patre miſero fieret? tamque flebilis

Jactura quo ſarciri jam poſſet modo?
Hoc dicitur convictus exemplo puer
Meminiſſe ſemper, insincera quàm citò
Perniciem Malis intuliſſent integris.
Hæc fabula, puer, quisquis es, ſcripta eſt tibi:
Raró boni te reddent ex malo bonum;
Malumque ſemper ex bono reddent mali.

FABULA XIV.

Cucurbita, Glans, & Ruſticus.

VENTRE tumefacto repere humi Cucurbitam,
Miratus olim Ruſticus: O factum malè
Ita vivam, dixit! nam illa quantò pulchriùs,
Meliúsque ab hacce dependeret ilice!
Talem hercle tales arborem fructus decent.
Næ dormiebat, quem rerum auctorem ferunt,
Ea cùm ordinaret! nam Cucurbitæ loco
Cur non vicissim ſerpit iſta Glans humi?
Pol si vocatus eſſem in partem conſilî,
Hæc, & alia rectè ſtatuiſſem, ut equidem reor.
Dum sic movet ſe, tamque difficilis rei
Nodum expedire miſerè quærit, nec poteſt:
Homines, quibus acris ingenii vis obtigit
Felicior, dormire vix, inquit, licet.
Simul recumbit; simul hominem invadit ſopor.
At ecce ab ipſo vertice ilicis incidit
Glans dormienti, ejusque naſum vulnerat.
Evigilat; naſoque simul admotâ manu:
Hui! plaga facta eſt non levis! ſanguis fluit!
Tantumne verò Glans minima infligat mali;
Cucurbita autem quid si cecidiſſet? papæ!
Nil immutandum; ſentio. Rerum artifex

Suis prudenter cuncta diſpoſuit locis.
Seſe haud absimilem credat iſti Ruſtico
Divinam quiſquis culpat providentiam.

FABULA XV.

Lupus pœnitens.

MORES ſceleſtos, ac vitam nefariam,
Inſtinctus olim triſti pœnitentiâ,
Abominari fortiter cœpit Lupus.
Crudelitatis æſtu ſemper abripi,
Fervere ſemper amore cædis impio;
Hæc vita non eſt, inquit; ergo aliam lubet
Vivendi regulam experiri, affectibus
Legem immodeſtis ponere, converti bonas
Ad pacis artes atque manſuetudinis:
Pecudes lanigeras, mite & innocuum genus,
Placet imitari, & illarum commercio
Deformitatem corrigere noſtræ indolis.
His dictis, rectà tendit ad ovium gregem,
Animo paratus, ut videbatur sibi,
Non modò creare nil mali, at etiam ſuis
Probè mutatis has recreare moribus.
Heu! quanta vis eſt pravæ conſuetudinis!
Gentem ille placidam vix propiùs inſpexerat,
Simul iras veteres ſentit exardeſcere;
Simul impèrioſos impetus ſequitur volens,
Prædamque, quam ſors objicit primam, rapit.
Fabella declarat, homines multos, mera
Quos turpitudo ſceleris a ſcelere avocat,
Occasione retrahi ad ſcelus datâ.

FABULA XVI.

Vulpis & Canis.

VULPIS rapuerat gallum gallinaceum,
Voraveratque. At hanc recenti ſanguine
Adhuc madentem fortis occupat Canis,
Crebroque dente membra diſcerpens vorat.
Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.

FABULA XVII.

Mures duo.

LARDUM e muſcipulo pendulum famelici
Edacitatem Muris inflammaverat
Potenti illecebrâ. Victus ille denique
Obſequitur: at vix attigit, captus gemit.
Suam ergo ſortem dum lamentatur miſer,
Quippe ſibi nullam ſpem ſalutis jam videns
Supereſſe; Mus ſeverus, & retorridus
Huc fortè vênit, &: Merito certè tuo,
Quod nunc deploras, inquit, accidit malum:
Ego jam quidem olim centies ejusmodi
Mihi fraudulentas videram objici dapes;
At ſemper animus abhorruit, quantamlibet
Illæ excitarent appetentiam ſuî.
Etenim profectò capite in hoc noſtro viget
Aliqua ſcintilla ſensûs & prudentiæ:
Rationis autem quàm ſis omnis indigus,
Futilibus antea, indoctisque moribus
Jam ſæpe nobis comprobatum feceras.

Meme, inquit alter, enecas: quod arguis,
Ferrem libenter, si meis malis simul
Dares medelam; ſed nihil tu cùm queas
Prodeſſe; dure, cur tuis meam inſuper
Hanc calamitatem exaſperas conviciis?
  Ne monitione inutili miſerum increpes,
Fabella prohibet nomine hoc, quia eſt miſer.

FABULA XVIII.

Aries & Taurus.

NATURA tantis viribus muniverat
Arietis caput, armaveratque tam bonis
Cornibus, ut omnes lanigeros inter greges
Regnaret unus; & aries occurreret
Jam nullus, ipsi poſſet qui resiſtere.
Elatus ergo tot ſuis victoriis,
Taurum etiam ſtultus ad certamen provocat;
Simulque arietat; & repercuſſus simul
Taurinâ fronte, campum metitur jacens:
Tunc ferme exanimis, priſtinam ſuperbiam
Damnavit ipſe, & hanc miſer vocem edidit:
Succeſſus obcæcatum me tenuit diu;
At juſta, qui sim, calamitas nunc me docet.

FABULA XIX.

Cancer & ejus filius.

UT prorsus iret, filium retrogradum
Cancer monebat; at filius: *I præ, ſequar.*
  Cuiquam ne objicias, quod tibi objici poteſt.

FABULA XX.

Agricolæ & Mercurius.

In ipsa ripa fontis Mercurio ſacri
Agricola quondam dum ſuccidit arbores,
Securis fortè elapſa in undas decidit :
Quam recuperare nullo cùm poſſet modo,
Lacrymare cœpit. Motus miſericordiâ
Mercurius homini apparuit, & exquiſiit
Lacrymandi cauſam. Quam ſimul didicit, abit :
Mox &, ſecurim deferens ſecum auream,
Redit ; & an hæc ſit, quæ modò perdita eſt, rogat.
At eam ſuam eſſe pauper negat. Ergo alteram
Defert ſecundò Mercurius argenteam ;
Quam cùm eſſe pauper tunc quoque negaret ſuam ;
Ipſi poſtremò ferream Deus obtulit :
Illam ſuam eſſe Ruſticus cùm diceret,
Ingenuitatem Mercurius hominis probi
Laudavit, omneſque ſimul ipſi tradidit.
Hinc ille ſocios ad ſuos ſeſe refert,
Lætuſque narrat ordine, quidquid accidit.
Quam rem experiri de ſociis unus volens,
Ad fontem accedit, atque in undas dejicit
Securim ; deinde flens in ripa conſidet :
Cauſamque flendi Mercurius ut audiit,
Securim defert auream, an ſit hæc, rogans,
Quam perdidit : Ea eſt, clamat, o certè mea eſt
Optima ſecuris ipſa ! At indignans Deus
Nec auream impudenti, nec ſuam dedit.
Is meritò, injuſta qui petit, nihil obtinet ;
Et qui juſta petit, plura, quàm petiit, refert.

FABULA XXI.

Aquila & Mus.

Implicita quondam cæcis laqueorum dolis
Aquila, ubi ſensit, impetum ſimul exerit,
Et ſe expedire quærit; unicè hoc agit,
Irâ & furore fortis, & nil proficit.
Cujus laborem Mus videns, miſertus eſt;
Abroſis ergo dente crebro vinculis,
In libertatem vindicat armigeram Jovis.
At libera illa: Mene contemptissimæ
Debere vitam beſtiolæ? proh Jupiter!
Dixit: ſuumque liberatorem necat.
Servâſſe ſummos, humilibus piaculum eſt.

FABULA XXII.

Cycnus & Anſer.

Cycnum, Anſeremque habebat quidam villicus;
Suæque menſæ deſtinabat alterum;
At alterum ſervare cupiebat diu
Gratum, canoræ vocis ob dulcedinem.
Aliquando, ſeram ſub noctem, ad focum ſedens,
Confabulanſque: Noſter nunc vobis, ait,
O pueri, qualis Anſer eſſe creditur?
Ego verò factum ſatis obeſum judico,
Reſpondet unus, hanc ut familiam tuam
Recreare poſſit non illiberaliter:
Sic ille, ſic loquuntur deinde ceteri.
Herus ergo, eorum quandoquidem ſententiam

Non improbat ipſe, ad ſtabulum, Cycno & Anſeri
Commune, pergit, tamque præcipiti gradu,
Ut lumen etiam ferre ſecum negligat:
Quæritat; omittit Anſerem, Cycnum capit,
Statimque miſero frangeret guttur, niſi
Ille violentam ſentiens mortem ſibi
Inſtare, cantus inchoaret funebres,
Suaveſque, diræ ſortis ad ſolatium.
Quos ubi canoros villicus agnovit ſonos:
Heu! quantus error me, inquit, in malam prope
Neceſſitatem peccandi conjecerat!
Simul relinquit Cycnum, jugulat Anſerem.
Quid blanda virtus ſuavis eloquentiæ
Præſtare poſſit, iſta fabella indicat.

FABULA XXIII.

Equus & Aſinus.

INSTINCTUS odio, calcibus infeſtis Equus
Petivit Aſinum, & vulnere afflixit gravi:
At medio in ictu malefacti pœnam ſibi
Inflixit ipſe: tibiarum enim alteram
Luxavit, diſſolutâ cartilagine;
Ita ut dolorem ſævientem non ferens,
Coactus fuerit languidos artus humi
Deponere, ægro non ſine luctu: quem videns,
Ego, inquit Aſinus, malè valebam; ſed mihi
Bene eſſe jam nunc incipit, cùm ſic jaces.
Læſo doloris remedium inimici eſt dolor.

FABULA XXIV.

Lupus ovillâ pelle indutus, & Paſtor.

OVILLA pelle ſe Lupus contexerat:
Sic perſonatus ovium numeroſo gregi
Immiſcuit ſe perfidus. Quotidie
Aliquam bidentem devorabat clanculum.
Sed fraude Paſtor cognitâ, tandem occupat
Incautum; & morte debitâ ſtatim afficit.
Intereà opilio junior, rei inſcius
Quid eſſet, quærit cur ovem dedat neci.
Hanc & ego pariter, inquit ille, putaveram
Ovem eſſe; factis at probavit ſe Lupum.
Malos si occultat ſpecies, opera detegunt.

FABULA XXV.

Ruſticus & Silva.

ESTO beneficus; at cui benefacias, vide.
In silvam vênit Ruſticus, capulum rogans
Aptum ſecuri tollere liceret ſuæ:
Quod cùm, annuente Silvâ, feciſſet; ſtatim
Ferrum in beneficas vertere cœpit arbores.
Quarum ingemiſcens una: Meritò cædimur.

FABULA XXVI.

Canis & Lepores duo.

UNUM inſecutus in campo Leporem Canis,
Videt alterum; & eum ſimiliter ſtudet inſequi:
Utrumque ſed dum capere vult, neutrum capit.
Sibi ipſa ſemper aviditas nimia officit.

FABULA XXVII.

Leo, Simius, & Vulpis.

QUÆCUMQUE fuerint judicatæ beſtiæ
Breviore caudâ præditæ, edicit Leo,
Suo ni excedant regno intra paucos dies,
Malo mulctandas, quotquot potuerint capi.
Pœnam ergo celeri Simius parat fugâ
Vitare; at ipſam ſimiliter Vulpem videns
Effugere velle: Tu verò, inquit, quid times?
Ad tene legem pertinere exiſtimas?
Reſpondit illa: Si malâ edictum eſt fide,
Facilè oratores invenientur perfidi,
Eſſe breviorem qui mihi caudam probent.

FABULA XXVIII.

Aquila & Sol.

RADIANTIS Aquila Solis adverſum jubar
Cùm ſuſtineret irretorto lumine:
Quam te, ait, acutùm cernere, o lucis pater,
Credidero, quæ nil, abſque te eſſet, cernerem!
Sol retulit: Ipſa quando cogit veritas
Dicere quod res eſt, audi, & errorem tuum
Depone: Tantâ luminum qui copiâ
Abundo, ut unus, auras & terram, & mare
Illuſtrem, cæcus ipſe cernere nil queo.
Hos admonet fabella, qui lucem omnibus
Dilargiuntur, dum sibi ipsis nil vident.

FABULA XXIX.

Liber & Prelum.

AT me premendo cur gemis, dixit Liber
Prelum allocutus, ipſe tacitus dum premor?
Reſpondit Prelum: Non meam doleo vicem;
Sed quæ mala tibi incautus arcessis, gemo.
Frequens videlicet uſus rerum jam diu
Me docuit, qualis exſpectanda sit Libris
Fortuna plerisque; ac de te sic auguror:
Sollicita primùm curiositas levem
Aget huc emptorum turbam; fòrs etiam tibi
Plurima politorum hominum inſudabit manus:
At mox ſeveras vel tibi imponet notas
Cenſura gravis; & vitia, quæ notaverit,

In luce ponet irridenda publicâ :
Vel, quod gravius eſt, cùm te novitas deſeret,
Aut desinet excitare lectores tuos,
Statim ſubibit ingraveſcens tædium,
Et ſempiternæ ſepeliendum te dabit
Oblivioni : tum taciturnus inertibus
Præbebis epulas tineis, vel amicies piper.
  Prelum hîc quievit. At Liber invicem gemens :
Lector, ait, omen benevolus malum obruat !

FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

Me fabularum ſuavis indoles capit;
Capit venuſtâ munditie latinitas
Simplex, & arti prænitens facilis color
Laborioſæ. Ergo meas omnes mihi
Ferè propellunt mentis ægritudines,
Deleniuntve verſibus lepidis ſuis,
Monitiſque doctis Phædrus ac Terentius:
Quibus poëtam vix alium feliciùs
Utile miſcere dulci exiſtimaverim.
Ego porro eorum lene ſcribendi genus
Adhibere, quantùm licuit, adniſus fui
His concinnandis fabulis: quarum tibi,
Lector, ſecundum exordiar jam nunc librum.

FABULA V.

Teſtudo & Aquila.

ARTEM volandi contumax addiſcere
Teſtudo voluit, & Aquilam elegit sibi
Magiſtram. Ab ejus naturâ alienum nimis
Hoc eſſe dixit Aquila: enixiùs tamen
Urgentem, & obſtinatam accepit unguibus;
Tulitque in auras. At ubi dimiſſa hæc fuit,
Cecidit in ſaxum, & periit effractâ domo.
Natura dux eſt optima: ut juvat hanç ſequi;
Sic ire contra impunè nulli contigit.

FABULA VI.

Puer & Agricolæ.

SUCCURRITE, lupus en adeſt, clamaverat
Semel iterumque per jocum nugax puer,
Cuſtos bidentum, credulosque exciverat
Agricolas: at opem poſtulare ſeriò
Cùm deinde cogeretur, hi metuunt dolum;
Nec jam ſubveniunt; & lupus prædam rapit.
Quicumque mendax eſſe creditur, licèt
Aliquando verum dicat, haud facit fidem.

FABULA VII.

Bubulcus & Leo.

QUÆRENS Bubulcus, quem juvencum amiſerat,
Luſtravit omnem fruſtra ſolitudinem ;
Demum invenire poſſe deſperans, Jovi
Supplicat ; & hædum, si sibi furem modò
Oſtendere velit, ipsi mactandum vovet.
Inde proficiſcens, in quercetum devenit,
Ibique reperit, quem Leo vorabat, ſuum
Juvencum : & humili protinus trepidans metu,
Manusque tendens ſupplex ad cœlum : O bone,
O ſancte Jupiter, ait, voveram quidem
Tibi hædum, si fur inveniretur mihi ;
Nunc voveo taurum, si furem vitavero.
Humana ſæpe vota perniciem petunt.

FABULA VIII.

Grues & Anſeres.

AGRUM vaſtabant juncti Gruibus Anſeres.
Quod cùm audiiſſent ruſtici, illuc ſe ferunt.
Grues, simul eos adſpiciunt, simul avolant ;
Verùm capiuntur Anſeres, quos impedit,
Soloque nimii corporis onus detinet.
Suis Fortuna quem ſaginavit bonis,
Non facilè emerget præſenti periculo.

FABULA IX.

Mula.

RECREATA poſito largiùs Mula hordeo
Laſciviebat, inordinatos impetus
Molita. Me, inquit, sine dubio equus nobilis
Talem progenuit, qui fuit celerrimus,
Cui similis ego ſum. Sed paulò pòſt contigit,
Ut illa ceſſaret, ubi currendum fuit,
Vixque ambulare poſſet. Tum dixit gemens:
Equi putabam generosi me filiam:
Sed asinum mihi fuiſſe nunc memini patrem.
Adverſa ſtultos admonent ſortis ſuæ.

FABULA X.

Mors & Ruſticus.

VETULUS redibat Ruſticus e silva, ferens
Vix ſe, ſuumque faſcem. Victus denique
Labore & annis, poſuit infelix onus.
Tum cogitare cœpit triſtis omnia
Quæcumque perfert nunc, vel olim pertulit.
Nam quas faventis ille Fortunæ vices
Expertus umquam eſt? Tugurio ſub paupere
Vitam auſpicatus, miſerias inter miſer
Reptavit infans: hinc malorum quis modus?
Vicini amantes litium: conjux mala:
Desidiâ inertes liberi: immodicis herus
Juvandus operis: milites, domeſticam
Quîs ſæpe oportet tradere ſupellectilem:

Rigidus coactor : creditor impatiens moræ :
Victûs facultas rara : perpetuus labor ;
Ac denique mali plurimum, prope nihil boni.
Hæc dum recenſet, inſuperque concipit
Imaginem præſentis infortunii
Senex miſellus, calamitatis ad gradum
Veniſſe ſummum ſe putat : Mortem invocat.
Adeſt : Quid, inquit, me rogas ?.. Bona ſis, precor :
Faſcem hunc in humeros ut recipiam, me adjuva.
Mali medela Mors venit, gravius malum.

FABULA XI.

Idem Argumentum.

FASCEM lignorum Ruſticus, ſenex miſer,
Portabat ægrè : longiore ſed viâ
Fractus, victusque, abjecit infelix onus :
Mortem invocavit. Mors advenit. Tum ſenex :
Faſcem, ait, in humeros hunc mihi reponas precor.

FABULA XII.

Agricola & ejus filii.

PUGNARE inter ſe filios quotidie
Suos videns Agricola, quærebat viam
Quâ poſſet eos in gratiam reducere.
Jubet complures virgas afferri ſibi,
Omneſque in unum deinde faſcem colligat ;
Tum faſcem caperent, ac perfringerent, monet :
Quod illis verò efficere non valentibus,

Virgas diſſolvit, frangendasque ſingulas
Diſtribuit; hasque cùm fregiſſent: Vos, ait,
Vos pariter arctis unanimitas nexibus
Si ſociet, eritis firmi, inexpugnabiles;
Sin diſſociârit invida æmulatio,
Facilem offeretis hoſtibus victoriam.
Hæc vera quàm ſint monita providi patris,
Nemo eſt, opinor, qui mecum non ſentiat:
Res tamen ut etiam fieret omnibus magis
Perſpecta, placuit addere exemplum ſequens.

FABULA XIII.

Tauri quatuor & Leo.

SANXERE Tauri quatuor, periculum
Cujuſque ut omnes reputarent proprium ſibi.
Simul paſcentes hos videt Leo, nec tamen
Conjunctos audet aggredi, quanquam eſurit:
Primùm ergo verbis dat operam fallacibus;
Segregat; ac demum ſegregatos enecat.
Addit vim invictam fortibus concordia:
Diſcordia frangit ipſam fortitudinem.

FABULA XIV.

Lupus & Ovis.

MULCATUS olim morſibus diris canum
Lupus jacebat potûs & cibi indigens;
Ovem rogavit, ut aquulam afferret ſibi
De prætereunte rivulo: Nam ſi modò

Tu dederis, inquit, potum, egomet poſthac cibum
Inveniam facilè. At illa, fraude cognitâ,
Sic retulit : Potum ſtulta si darem tibi,
Cibum invenires facilè, meipſam ſcilicet.
Periculoſum eſt adjuvare maleficum.

FABULA XV.

Gallina ova pariens aurea.

QUOD lucrum habetur in manibus, hoc ſæpius
Habendi plura cupiditate amittitur.
Habebat aliquis ova parientem aurea
Gallinam : homo meus hanc auro plenam ratus
Cædit, aliisque Gallinis similem invenit.

FABULA XVI.

Lupus & Anicula.

PER arva Lupus errabat, eſcam quæritans :
Auſus ad agreſtem progredi caſam, audiit
Plorantem puerulum, increpantemque Aniculam :
Plorare desine : pergis ? tradam te Lupo.
Prædo locutam ſeriò Aniculam ratus,
Exſpectat usque ad veſperum ; ſed cùm diem
Nox obruiſſet, rurſus audit puerulo
Adblandientem : Dormi, pupe mi ; huc Lupus
Si venerit, eum continuò mactabimus.
Tunc abiit ille, ſe eſſe deluſum dolens ;
Et, Malè sit, aiens, impudenti feminæ,
Quæ dicit aliud, aliud autem cogitat !

FABULA XVII.

Ovis & Cornicula.

CORNICULA ſedens in Ove dum tergum fodit:
Injuriam ex te quam patior, inquit Bidens,
Cani si faceres, ferres infortunium.
Reſpondet illa: Quibus ego illudam, ſcio,
Moleſta placidis, morigera ferocibus.
Malitia ſæpe comitem habet prudentiam.

FABULA XVIII.

Aſellus & Equus.

EQUUM labore nimio confectus rogat
Aſellus, ut, ſe comitem si ſalvum velit,
Juvet, onerisque parte pauliſper levet.
Quod ille cùm renueret, omnis denique
Labentem Aſellum deſerit vigor. Aſt herus
Onus omne, & ejus corium quoque demortui
Equo reponit in dorſum. Quibus ferè
Oppreſſus ille: Pro merito, dixit, meo
Exerceor nunc, qui laboranti priùs
Aſello durus opitulari nolui.
Qui ſocio ſubvenit, ille providet ſibi.

FABULA XIX.

Leo & Capra.

CONSILIA qui dant, ſæpe conſulunt ſibi.
Stantem Leo videns rupe in excelſa Capram,
In pratum ut illa potiùs deſcendat, monet,
Quò molle gramen, teneraque invitat ſalix.
Capra refert : Faciam, hinc ſi procul diſceſſeris ;
Qui non, ut meliùs mihi ſit, hoc ſuades mihi,
Sed ut habeas tu, quod vores famelicus.

FABULA XX.

Leo ſenex & Vulpis.

LEO factus eſſet cùm ſenex, nec quærere
Victum ſibi poſſet, machinatus eſt dolum,
Quò ne deficeret alimentorum copia :
In intimam repentè ſecessit ſpecum ;
Ibique ſe ægrotare ſimulavit jacens.
Per nemora & agros poſtquam res innotuit,
Aliæ poſt alias adeunt plures beſtiæ :
Quas ille capiens facilè ſingulas necat.
Vulpis & accedit ; at ejus arte cognitâ,
Stat extra limen, hinc ſalutat ; & pedem
Procul referre celeriter cùm jam parat,
Senex malignè blandiens : Cur non, ait,
Ingredere, filia ?... Terret id me ſcilicet,
Venientium ad te multa quòd veſtigia
Impreſſa video ; nulla ſed redeuntium.

Cùm ſe doloſis artibus mitem exhibet,
Tunc eſt timenda maximè crudelitas.

FABULA XXI.

Fringuilla.

AUCEPS Fringuillam cùm cepiſſet, ac pedem
Filo alligâſſet, puerulo hanc dono dedit.
Sed inter homines illa vitam non ferens,
Ubi libertatis aliqua ſe ſpes obtulit,
Fugit, notiſque nemoribus ſe condidit.
At ſubſecutum ramulis filum inſcia
Implicat, & ultra jam volare non poteſt;
Reperitque mortem, ſervitutem dum fugit.
Leve damnum ſuffer, ne grave incurras malum.

FABULA XXII.

Ranæ duæ.

CUM fureret æſtas immodica, ſuam duæ
Paludem Ranæ ſiccatam reliquerant,
Inopeſque circum errabant quærentes aquam.
Ad puteum tandem deveniunt; utque uberi
Illum ſcatere aquarum copiâ vident,
Perbibere cupiunt, unaque: Huc age, o ſoror,
Quin, inquit, ſaltu mittimus corpuſcula?
Sed altera: Hic sì puteus aruerit quoque,
Inde remeare quo valebimus modo?
Itus eſt imprudens, de reditu si non liquet.

FABULA XXIII.

Cerva, Venator, & Leo.

VENATOREM olim Cerva fugiens, in feri
Leonis antrum ſe imprudens receperat:
Quæ comprehenſa dum necatur: Hei mihi,
Quid, inquit, hominem tam celeri prodeſt pede
Fugiſſe ſævum? ſævior occurrit fera.

FABULA XXIV.

Formica & Columba.

FORMICA ſitiens ad fontem deſcenderat;
Sed illam aquarum fluxus in præceps trahit:
Peribat miſera, cùm ſortem ejus intuens
Columba, miſeransque injicit ramuſculum:
Quo ſublevata naufraga evadit necem.
Pòſt paulò, inſtructus arcu quidam ruſticus
Advenit illuc fortè, & obviam ſibi
Columbam adſpiciens, figere hanc telo parat.
Sentit periclum Formica, & piæ timens
Columbæ, talo ruſtici ſeſe applicat,
Ipſumque mordet, adnitens, quantùm poteſt.
Doloris ille impatiens obvertit caput;
Simulque volucris admonita procul evolat.
Juva, ut juveris; rarò beneficium perit.

FABULA XXV.

Apes & ipſarum dominus.

HERUS cùm abeſſet, &, operoſa gens, Apes
Labore dulci detinerentur foris;
Ingreſſus aliquis in apiarium, favos
Diripuit. Mox reverſus, ut alvearia
Effracta, inanesque alveos Herus videt,
Ingemere primùm, deinde malo, quaquà licet,
Cœpit mederi. Redeunt e paſtu interim
Apes, herumque non aliter, ac si mali
Auctor fuiſſet, simul omnes aculeis
Fodicare certant. Tunc: O volucres pessimæ,
Ait ille, quis vos in meam impellit furor
Perniciem, vobis dum utilis meus eſt labor?
Aliena damna tempore dextro ni leves,
Opera tua damno ſæpe vertetur tuo.

FABULA XXVI.

Asinus silveſtris & Asinus domeſticus.

SILVESTRIS Asinus Asinum cùm domeſticum
Pinguem, nitentem, teneraque inter gramina
Vernantis agri luxuriantem cerneret:
Sorte hujus, inquit, me frui, quidnam vetat?
Quin adeo, &, ſocium habere me velit, rogo?
Secum ita locutus, ruſticum immitem videt,
Inhoneſtas qui clitellas huic beatulo
Imponit, & mox ire cogit ad locum,
Ubi cæſa fuerant ligna, quæ dorſo ſuper

Congeſta si non is ſatis properè vehat,
Nodoſo fuſte dux pigrantem ſuſcitat.
Ad ſua tum gaudens latibula revertit Ferus;
Tuasque, non invideo, delicias habe
Tibi ſolus, inquit, bajule o patiens nimis!
Nulla eſt beata ſervitus; & hæc mihi,
Quantumvis miſera, contra libertas placet.

FABULA XXVII.

Mus in ciſta natus.

In ciſta natus Mus erat: menſes ibi
Aliquot quietus, & ſuâ quidem ſatis
Contentus ſorte (quippe nil aliud putans
Melius sibi evenire poſſe) vixerat.
Sed cupiditate aliquando tandem captus eſt
Hinc exeundi, & explorandi, an hac ſuâ
Ciſtâ pateret mundus multò latiùs.
Peregrinandi cupido januam exhibet
Fiſſura tenuis; illac prorumpit levis.
At curiosus singula vix circum incipit
Luſtrare, varias hinc & hinc dapes videt:
Deguſtat omnes; laudat omnes. Nunc meî
Ut me pudet, ait, qui, meâ ciſtellulâ
Nihil eſſe melius poſſe mihi, putaverim!
Cives ad iſtos hæc fabella pertinet,
Qui ſtultè amantes patrium ſolum, boni
Vix alibi quidquam poſſe reperiri putant.

FABULA XXVIII.

Milvus & Agricola.

COLUMBAM dum perſequitur, in laqueum incidit
Milvus ; &, ipſum dedere cùm vellet neci
Agricola : Parce, non enim te læſi, ait.
At ille : Neque te, opinor, iſta læſerat.
Mortem innocenti qui parat, jure hanc ſubit.

FABULA XXIX.

Femina mortem pro Marito appetens.

MORBO gravatum Femina Maritum videns
Acerrimo, ut qui jam ferè ſuccumberet,
Lamentabatur : An meum poteris mihi,
Mors dura, barbara, eripere, ait, Conjugem ?
Deſiſte, ah ! vel si victimam tibi denique
Mactari oportet, victima en adeſt ; veni.
His excitata queſtibus Mors advenit :
At trepida mulier : Non, me ut tolleres, ait,
Huc te advocavi ; victimam cape, en jacet.
Magnifica verba vanus effundit dolor ;
Præſens periclum veras voces exprimit.

FABULA XXX.

Asinus, Simia & Talpa.

DUM conqueruntur, Simia quòd deſit ſibi
Cauda, Asinus autem quòd non habeat cornua:
Tacete, dixit Talpa; me miſerrimum
Cœcum videtis, & poteſtis conqueri?
Luctu, & querelis cur ævum conſumimus?
Quin intuemur, ſors si quem gravior premit?
Miſero levamen miſerioris eſt malum.

FABULA XXXI.

Lupus & Hyſtrix.

HOSTES tibi eſſe quamdiu cognoveris,
Pugnandi tempus ſemper eſſe exiſtima.
Jejunus olim in Hyſtricem incidit Lupus:
Suis at illa ut tota ſpiculis erat
Vallata, timuit vi prædator aggredi.
Prætentans ergo rem dolo: Cur sic, ait,
Armata ſemper, ut in procinctu milites,
Procedis? atqui milites ipsi tamen
Quandoque ponunt arma; nuncque ubi ſuis
Omnia gubernat pax amica legibus,
Hoſtem tu ſola quem times, vel quem petis?
Age verò, hæc arma pone, quæ te dedecent,
Corpusque tandem delicatum libera.
Cui retulit Hyſtrix: Adversùs similes tuî
Me ſtare ſemper armatam decet, ac juvat.

FABULA XXXII.

Equus ægrotans & Canis.

EQUUS ægrotabat: mandere aſſuetus Canis
Projecta cadavera, adiit hunc; & quæſiit,
Quomodo ſe haberet: Meliùs, inquit, quàm velis.
Fabula ad avarum ſpectat heredum genus.

FABULA XXXIII.

Vir eruditus, & Troſſulus.

VIRUM eruditum, cum ſuis ſolum libris
Bene otiantem, quidam adivit Troſſulus
Petulanter, ut fit, irridendi gratiâ,
Bellos quòd homines sic peroſus ſcilicet,
Vitam inficetis ſolus in tenebris agat.
At ille: Numquam memini me, dixit, magis
Fuiſſe ſolum, quàm cùm nunc mecum hîc ades.
Si tantùm ineptus, nec etiam fuerit malùs,
Nihili menſuram Troſſulus totam replet.

FABULA XXXIV.

Canis infidelis, & Paſtor.

OVES cuſtodiendas tradiderat Cani,
Cani infideli Paſtor, ignarus mali.
Namque ille vitiis corruptus, mores feros

Luporum cœperat imitari, & impio
Aliquot bidentes ore jam voraverat.
Quod exſecrandum Paſtor ut novit ſcelus,
Simul expiare morte ſcelerati parat.
Mene, Canis inquit, me, quaſi ſi lupus forem,
Mactare poſſis, here mi, violentâ manu?
Reſerva tales hoſtibus pœnas lupis;
Prudensque ſerva me, tibi addictum, Canem.
At Paſtor: Hoſtes ſunt mihi quidem lupi:
Hoſtes ſed illi ſeſe profitentur meos:
Te contra, amicus qui videbaris mihi,
Nunc morte tantò digniorem judico,
Scelere lupino quòd fefelleris fidem.
Hos fabula eſſe bis ſceleratos indicat,
Quos ad patrandum perfidia movit ſcelus.

FABULA XXXV.

Lucius latè regnandi cupidus.

In amne, magnam piſcium qui copiam
Profundo alebat gurgite, ferus & potens
Regnabat olim Lucius. At eum piget
Riparum iniquas objici moras ſuæ
Rapacitati: &: Hæc, ait, nobis vago
Quæ pectus igne ſubigit, ac depaſcitur
Cupiditas, ſeſe finibus anguſtis gemit
His contineri; quærendum eſt, ubi latiùs
Excurrere poſſit: memini cùm mihi diceret
Peregrinus iſte ſalmo, commodè ſatis
Patere tractus oceani; certè hos lubet
Invadere: meis legibus neptunios
Compellere greges, opera magni non erit
Laboris; hic namque univerſum jam diu

Genus natantum opprimere, ludus eſt mihi.
Vix ea locutus, prono fertur alveo,
Petitque pinnâ præcipiti, quantùm poteſt,
Fluctus marinos: ſed in ipſo amnis oſtio
Illum marinus capit & abſorbet Lupus.
Ambitio prava, quantis afficeres malis
Hunc orbem, haberes ni dementiam ducem!

FABULA XXXVI.

Aſellus viridis.

ASELLUM quidam per vias urbis ſuum
Voluit colore viridi pictum incedere.
Ridicula primùm viſa res eſt omnibus;
Viridemque Aſellum feminæ, pueri, ſenes
Certatim lepidis concelebrârunt jocis:
At mox ubi illi denique riſerunt ſatis,
In Aſello viridi, præter Aſellum, nil vident.
Mirari quidquam non valent homines diu.

FABULA XXXVII.

Leo & Rana.

VALDE loquacem cùm Ranam audiſſet Leo,
Timuit, & aliquod eſſe magnum animal putans,
Retrò ſe vertit: at mox e ſtagno videt
Ranam exeuntem, quam indignans calcat pede.
Injicere falſos fortibus animis metus
Periculoſum quàm ſit, exemplum hoc probat.

FABULA XXXVIII.

Agricola & Fortuna.

AGRICOLA, terram fodiens, theſaurum invenit;
Aufertque, nec eum Fortunæ acceptum refert;
Sed etiam meritis debitum credit ſuis.
Theſaurum hinc aliquot poſt dies fur ſubripit:
Afflictus ergo luctu inconſolabili
Agricola queſtibus omnia inſanis replet,
Et aſpera inter verba Fortunam increpat.
Quid me, inquit illa, gravibus immeritam probris
Laceſsis? atque, quod tibi ereptum eſt bonum,
Meum faventis munus hoc si non fuit,
Cur nunc meam reflantis hanc culpam vocas?

FABULA XXXIX.

Tulipa.

HABEBAT aliquis maximæ Tulipam ſpei,
Ac ſingulari quæ jam pulchritudine
Oculos tuentûm dulci retineret morâ.
Tam recto caule, tamque procero ſuas
Attollebat opes: tam rotundatus bene,
Tam delicatâ varietate diſpares
Calix colores explicabat vividos!
Florum eruditi quotquot amatores erant,
Cupiditate omnes curioſâ perciti,
Tulipam volebant viſere formosissimam,
Omnes amabant, omnes cupiebant sibi
Habere propriam. Quorum unus verſutior,

Audaciorque ceteris, illam, datâ
Occaſione, furaci abſtulit manu.
Difficilè cuſtoditur, quod multis placet.

FABULA XL.

Pueri & Ranæ.

PUERI ad inertem ſtagni venerant aquam,
Ranis refertam: ſimul in ripa conſident,
Simul, bàcillis inſtructi ut longis erant,
Modò hanc, modò illam, ſi caput fortè efferat,
Ranam jocantes mulcant ac dedunt neci.
Tum procul exclamat una: O barbari, quibus
Hæc tanta clades noſtra, dulcis eſt jocus!
Ad hos fabella pertinet, quorum procax
Sæpe dominatus miſeros ludendo opprimit.

FABULA XLI.

Piſces.

JACTIS in undas retibus, magni quidem
Capti ſunt Piſces; at minuti ſe ilicet
Extricavêre, facilè permeantibus
Corpuſculis feneſtras lineæ domûs.
Fortuna rarò ſummis injiciens manum
Fallitur: in imos manca ſæpius ruit.

FABULA XLII.

Puer & Coluber.

OBAMBULANDO reperit Colubrum Puer
Gelu rigentem; quem recepit in ſinum
Miſericors, & refovit, inſcius mali.
At ille, priſtinus ubi redditus eſt vigor,
Furit, impioque dente beneficum necat.
Homo vivit, eſſe qui miſer cùm desiit,
Cœpit ſalutis lædere auctores ſuæ.

FABULA XLIII.

Roſa & Amarantus.

QUIS non coloris noſtri puniceum decus
Quis non odoris ſuaves delicias amat,
Dixit Amaranto, ſibi placens nimiùm, Roſa?
Amarantus autem: Nil, ait, mihi quidem
Contingit horum ſimile; ſed vivo diu.

FABULA XLIV.

Canis & Herus.

DOMUM revertens, tempore hiberno, Canis,
Et madidus & lutulentus, ut dominum videt,
Geſtitque, proſilitque, gaudii impotens,
Atque renuentem ſordidis amplectitur

Pedibus. Is igitur, graviter objurgans: Fuge,
Fuge, ait, inepte, cum iſtis indoctis tuis
Blanditiis: urbanum eſſe te forſan putas;
At mihi videris inficeta beſtia.
Scripta eſt amicis fabula imprudentibus,
Officia quorum ſæpe nocent, nedum juvent.

FABULA XLV.

Piſcis volans.

Sub ſidere Cancri magna pars magni maris
Piſcibus abundat, qui Volantes nomine
Dicuntur. Hoc de genere quidam junior
Cùm ſe extuliſſet ceteris paulò altiùs:
Avis, inquit, ego ſum certè; nec diutius
Tenebroſo in iſto gurgite Oceani patris,
Animalia inter muta, vivere me decet:
Felicis inſulæ eſt mihi petendum nemus,
Ubi canoræ vocibus liquidis aves...
Reliqua additurus, ſentit omni, quo ſine
Nefas volare eſt, pinnas deſtitui ſuas
Humore: patriumque ad ſalum relabitur.
Permulta in altum ingenia noſtri temporis
Tolluntur: utinam ad ima mox non recidant!

FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

FABELLÆ, ab ipſo quas Æſopi nomine
Noſtri priores dixerunt Æſopias,
Placuêre priſcis Græciæ doctæ viris,
Summisque : nec eas, tamquam aniles nænias,
Infantibuſve pueris vendibiles jocos,
Contempsit ulla docta gens mortalium.
Pater Sophorum, magnus ille Socrates
Dignas putavit, quas poliret versibus;
Tantâque laude nobiles quis audeat
Negare, dignas omnium eſſe laudibus ?
  Igitur materiam, quam mihi ſumpsi in manus,
Jucunditate liberali cùm ſciam
Pollere, & eſſe moribus etiam utilem;
Hanc ego cavere diligenter debui,
Ne culpâ tenuis ingenî corrumperem :
Atque his profectò, ceteriſque fabulis,
Quaſcumque fingere experiar Phædri ſtilo,
Conabor, ullo ſed sine labore anxio,
Uti ſuum adsit non inconveniens decus.

FABULA I.

Sol & Aquilo.

SOL quondam & Aquilo, uter foret valentior,
Delitigabant. Demum, iter qui carperet,
Hominem videntes: In eum vires, inquiunt,
Viciſſim noſtras experiri quid vetat?
Sciſcunt, ut, ipſi pallium qui excuſſerit,
Is jure merito ſeſe victorem ferat.
Tum primus Aquilo flatibus horriſonis furit:
At ſe viator contra vim venti arctiùs
Involvit. Ergo, poſtquam profecit nihil
Aquilo, calentem Sol emolitur facem,
Senſimque radios inſinuando per cutem
Viatoris agit. Ille mox exæſtuat;
Mox & gravi humeros pallio ſponte exuit.
Vim vi repellunt homines plerumque: aſt eos,
Quò vult, volentes pertrahit benignitas.

FABULA II.

Agricola & Ciconia.

SATA depaſcebant læta grues & anſeres.
Laqueum tetendit Agricola; eoſque & ſimul
Cepit Ciconiam. Illa verò ſupplicat;
Et ſe innocentem dicit; & neque gruem,
Neque anſerem eſſe; ſed avium omnium optimam,
Ut quæ piè parentes revereri ſuos,
Senioque fractos alere conſuêverit.
Etiamque vobis operam, ait, navo utilem;

Angues, lacertas, peſteſque id genus, vorans.
Hæc omnia, inquit ille, vera ſint licèt,
Quando tamen capta es unà cum nocentibus,
Quam meruêre illi, tu quoque ſubibis necem.
Qui ſocium hominibus flagitiosis ſe dedit,
Flagitii pœnas jure dat, vel innocens.

FABULA III.

Piſcator & Piſciculus.

PISCATOR in aquas cùm jeciſſet hamulum,
Piſciculum eduxit. Orat ille, & obſecrat,
Ut ſeſe abire, sic minutulum, sinat:
Creſcam, ait, intereà; cúmque factus grandior
Fuero, majore tunc me recipies lucro.
Piſcator autem: Tu tamen in ſartaginem
Mittêris, inquit: *pretio enim ſpem non emo.*

FABULA IV.

Membra & Venter.

PRO ſe olim agentes, proque membris ceteris,
Ventrem incusârunt fortiter Pes & Manus,
Quòd otioſus bona voraret omnia:
Demum laboret, vel cibum ne poſtulet,
Concludunt. Ille ſemel, iterumque ſupplicat,
Nequicquam: contumaces alimentum negant.
Exhauſtus ergo longâ Venter deficit
Inediâ: at pariter Membra deficiunt: ſuum
Tunc fungi voluit, at ſerò, officium Manus:

Nam factus Venter nimiâ deſuetudine
Debilior, omnem repulit omnino cibum.
Sic Membra denique, malè dum Ventri invident,
Pereunt eodem, quo petit Venter, modo.
Quos maximè ceſſare vulgus judicat,
Ab his ſæpe opera maximè utilis datur.

FABULA V.

Canis & Bos.

PLENO adjacebat fortè præſepi Canis:
Ut carpat eſcam Bos accedit: hirriens
Vetat hic. At iſta cum tua invidentia
Dî te, Bos inquit, perdant, qui non veſceris
Fœno iſto, & alios veſci eodem non ſinis!
Hæc invidorum abominanda eſt indoles:
Quibus uti nequeunt, neminem his frui volunt.

FABULA VI.

Puer & Fortuna.

AD oram putei dormiebat Puerulus.
Eum Fortuna ſuſcitans: Abi hinc, ait;
In puteum namque si caderes, non hanc tuam
Fuiſſe culpam, ſed meam omnes dicerent.

FABULA VII.

Camelus & Jupiter.

CAMELUS olim ſortis pertæſus ſuæ
Conqueſtus eſt, armari taurum cornibus;
At ſeſe inermem ceteris animalibus
Objectum: cornua ergo sibi concederet,
Jovem rogavit. Deus at iratus preces
Audire ineptas, non recuſavit modò,
Sed curtari etiam voluit aures beſtiæ.
Fortunâ vivat quisque contentus ſuâ.

FABULA VIII.

Lupus & Hædus.

CAPRA paſtum itura ſtabulo Hædum concluſerat,
Aperire nemini, ipſa dum redeat, monens.
Quod cùm audiiſſet, pòſt paulò accedit Lupus:
Pulſat, caprinamque imitatus vocem, jubet
Fores recludi. At Hædus ſentiens dolos:
Non aperiam, inquit; vox mihi auditur quidem
Caprina; ſed per rimulas video Lupum.
Diffidere si quos, maximè tenues, decet.

FABULA IX.

Oves & Lupi.

Oves Lupoſque, pace factâ junxerat
Solemne fœdus, utrinque obsidibus datis.
Oves dedêre vim canum, catulos Lupi.
Sed illæ cùm vix incepiſſent simplices
Liberiùs agere, & pace properarent frui;
Catuli ecce, matrum desiderio perciti,
Ululatus edunt. Audiunt Lupi, irruunt;
Fidemque læſam criminantur, ac Oves
Laniant, heu! deſtitutas præsidio canum.
Pax fraudulenta bello ipſo damnosior.

FABULA X.

Vulpis & Caper.

In puteum Vulpis & Caper deſcenderant,
Sitim ut levarent. Cùm bibiſſent, & Caper
Reſpicere circùm inciperet, de reditu anxius:
Bono animo es, inquit Vulpis; hinc enim priùs
Reputavi mecum, quî possemus egredi.
Namque ad parietem admôveris si te modò,
Erexerisque poſteriores in pedes,
Mentoque ad pectus adducto iſta cornua
Reclinâris, ego per tergum erepens tuum
Evadam facilè, teque educam poſteà.
Cautum, mehercle, consilium, admirans ait
Barbatus! & facit omnia, ut monitus fuit.
Ergo illa remeat: quæ quidem dum, gaudio

Elata, geſtit putei in ipſo margine,
Nec curat, ſocio quid futurum ſit ſuo.
Doloſa, perfida nominatur: at refert:
Age tamen, Hirce; si quantùm in mento geris
Setarum, in mente tantùm eſſet ſensûs tibi,
An priùs, amabo, puteum in hunc deſcenderes,
Quàm provideres, an remeandi sit via?
Vetamur hoc exemplo quidpiam aggredi,
Nihil ubi ſpondet exitum facilem fore.

FABULA XI.

Mulier & Gallina.

GALLINAM habebat Mulier, quæ quotidie
Pariebat ovum: bina autem, pro singulis,
Ova parituram, plus dapis si apponeret,
Exiſtimans, curare cœpit largiùs.
Gallina ſed mox facta cùm eſſet pinguior,
Ovum jam parere ne potuit unum quidem.
Tardat, hebetatque luxus hominum induſtriam.

FABULA XII.

Cancer & Vulpis.

MARE Cancer olim deſeruit, in litore
Paſcendi cupidus. Vulpis hunc simul adſpicit
Jejuna, simul accurrit; & prædam capit.
Næ, dixit ille, jure plector, qui, ſalo
Cùm fuerim natus, voluerim ſolo ingredi!
Suus unicuique circumſcriptus eſt locus,
Quem præterire sine periclo non licet.

FABULA XIII.

Musicus.

Bene incruſtatam calce Muſicus domum,
Rudis canendi, habebat: in qua dum canit,
Sibi reſonantem pleniùs vocem putat
Valde canoram. Factus hinc ſuperbior:
In publico, inquit, me theatro protinus
Audire oportet. At experiendi gratiâ
Illuc profectus, triſtem, & exilem ſonum
Cùm diſtribueret tertios vix ad gradus,
Exsibilatur protinus, & exploditur.
Scholarum in umbra qui latens placuit sibi,
Placuiſſe ſtulto clara lux ſæpe hunc probat.

FABULA XIV.

Asinus & Canis.

Quid, inquit Asinus invidens & ingemens?
Quia Canis iſte ſe ſatis bellè movet,
Tollitque, datque non inurbanè pedem,
Herilis unus ſurripiet omnem domûs
Benignitatem? blanditiis & oſculis
Fruetur unus? At ego, cum nullam parens
Natura dotem amabilem, meâ quidem
Sententiâ, negavit, negligor interim,
Etiamque duris ſæpius vexor modis.
Quid noſter autem bellus efficit Canis.
Tantum, quod Asinus ego quoque ipſe, dummodo
Adsit voluntas, facilè non possim aſſequi?

Feſtivus eſt? & feſtivi eſſe poſſumus,
Et eſſe volumus, & erimus: ſuâ placet
Feſtivitate? noſtrâ & nos placebimus.
Dixit, ſtatimque rem peroptat aggredi;
Herumque fortè, qui referret ſe domum,
Videns, repentè currit obviam: exsilit,
Geſtit, tripudiat: ore dein enormiter
Diducto horribilem cantilenam provomit:
Amplexu denique immani attonitum petit,
Fœdiſque demulcere tentat ungulis.
A ille baculo, quod gerebat, naviter
Commitigavit os Rudentis & caput,
Stolidamque longè propulſavit beſtiam.
  Torquenda non ſunt ingenia: noſter labor,
Natura cùm obſtat, officit, nedum juvet.

FABULA XV.

Bos & Vitula.

ARANTEM Vitula pinguis adſpiciens Bovem,
Eum contempsit præ ſe, quæ nihil ageret.
Sed ſacrificii mox ut advênit dies,
Bovem reſervat ruſticus, Vitulam immolat.
  Quod cùm videret: Heus, amica, Bos ait,
Laboraviſſe numquam quid te nunc juvat?

FABULA XVI.

Leo filiam Ruſtici amans.

LEO cujuſdam Ruſtici amabat filiam :
Cúmque illam habere cuperet, patrem virginis
Rogavit, aſſentiret nubere hanc sibi.
Ullo ſe pacto, ut filia nubat beſtiæ,
Adduci poſſe Ruſticus negat : tamen,
Cùm torvè adſpiceret, frenderetque dentibus
Leo minanti similis, ille exterritus
Mutat consilium; filiamque huic nubere
Se velle dicit, modò sibi dentes sinat
Revelli & ungues, qui terrerent virginem.
Quod poſtquam, amore cœcus, permisit Leo,
Sibi ergo demum filiam dari expetit :
Sed illum inermem Ruſticus jam non timens,
Arrepto fuſte, pulſat, & abigit domo.
Amor, improbus amor; ubi ſemel prudentiam
Extinxit, ipſam fortitudinem domat.

FABULA XVII.

Culex, Leo & Aranea.

NEQUE ego te timeo, neque me fortior es, ait
Culex Leoni. Tunc terrorem mihi
Incutere credis, quòd didiceris unguibus
Lacerare pecudes, dentibusque frangere ?
Age verò ad pugnam nunc veniamus, si lubet.
Dixit, simulque cecinit animoſus tubâ ;
Simulque inhæsit naribus adverſarii,

Cutemque teneram pupugit pertinaciter.
Leo furioſus unguibus proprios sibi
Dilaniat artus, donec exanimis cadit.
Suum ſuperbus victor tunc epinicium,
Idem ipſe, tubicen perſonans, hinc avolat.
At mox tenuibus heu! filis Araneæ
Implicitus, vitam glorioſam finiit,
Lamentans, hoſtem quòd qui tantum vicerat,
Nunc ab animante occideretur tantulâ.

FABULA XVIII.

Columbæ & Accipiter.

Bello Columbæ cùm domare miluum
Deliberâſſent, eligunt regem sibi
Accipitrem. At hoſtem ſe ille, non regem probat;
Etiamque miſeras miluo ferociùs
Rapit, laniatque. Tum ſuam dolent vicem:
Satiusque, dicunt, milui impetum fuit
Tolerare, quàm hujus regiam tyrannidem.

FABULA XIX.

Simia & Vulpis.

Vulpem rogavit Simia, ut concederet
Caudæ partem aliquam, contegendas ad nates;
Etenim, quod uſui & honori foret sibi,
Huic eſſe id oneri. Vulpis at retulit, nihil
Sibi nimium eſſe, & caudâ humum verri ſuâ
Se malle, quàm illâ Simiæ nates tegi.

Significat hæc fabella, raro quidpiam
Superfluum eſſe diviti, ut egenum juvet.

FABULA XX.

Auceps, Palumbus, & Serpens.

DOLUM Palumbo incautus Auceps dum ſtruit,
Premit anguem, cujus dente violatus perit.
Malum jure feres, quod parabis alteri.

FABULA XXI.

Aſellus ejusque Herus.

IN silvam Aſellus cùm veniſſet, reperit
Cæsi leonis exſuvias: has induit:
Ad paſcua dehinc, sic perſonatus, redit:
Greges, armenta territat, fugat: videt
Herum venientem; pariter & in ipſum ruit.
Sed apprehensis ejus auriculis Herus:
His fortè, dixit, artibus alios licet
Decipias; at ego protinus indolem tuam
Asininam agnoſco, quemlibet cultum induas.

FABULA XXII.

Taurus & Caper.

TAURUS leonem dum fugit, aliquod sibi
Latibulum quærens, injicit ſe in obvium
Caprile: at obſtat cornibus adverſis Caper.
Nunc me, inquit ille, impunè contemnis quidem,
Verùm si abierit, quem fugio, tunc ſenties,
A Tauri quantùm viribus diſtet Caper.
Etenim caprile cùm prætergreſſus leo
Procul abiiſſet, omni ſublato metu,
In Caprum Taurus irruit, & eum necat.
Potentes, vel cùm, ne noceant, tempus vetat,
Eſſe reverendos, hæc probat narratio.

FABULA XXIII.

Corvus & Urna.

INVÊNIT Urnam aquariam Corvus siti
Eneċtus: at aqua brevior, Urnaque altior,
Ne bibere possit, obſtant: ipſam nititur
Effundere Urnam, nec valet. Tum denique
Injicit aſſumptos ex arena calculos:
Attollitur aqua, Corvus hoc paċto bibit.
Acuit egeni induſtriam necessitas.

FABULA XXIV.

Venator & Leo.

Cum Venatore litigans, generis ſui
Vires Leo præferebat hominum viribus.
Sic litigantem ducit Adverſarium
Venator ad monumentum, ubi ſculptus leo
Peribat inter victrices hominis manus.
Sed hoc sibi Ferus ſatis eſſe indicium negat:
Homines id etenim ſculpunt, inquit, quod volunt;
At si leones ſculpendi artifices forent,
Suæque gentis glorioſa extollere
Facinora vellent, victos a leonibus
Et interemtos quot homines effingerent?

FABULA XXV.

Corvus & Serpens.

Serpentem Corvus eſuriens cùm cerneret
In ſole dormientem, protinùs hunc petit,
Rapitque. At ille mox ubi ad ſeſe redit,
Corvum remordet; qui letale ſentiens
Venis receptum virus: Hinc pereo miſer,
Stultuſque, dixit, unde ſperavi lucrum.
Designat homines fabula incautos, quibus
Avidè expetita ſæpius damnum afferunt.

FABULA XXVI.

Ruſtici & Sarmenta.

Duo cùm quondam Ruſtici ad litus maris
Sederent otioſi : Navem conſpicor,
Unus ait, eamque permagnam mehercule.
Pòſt paulò dixit alter : Ego verò id nego,
Hanc eſſe navem, at eſſe contendo ſcapham.
Exſpectant : demum Sarmenta appelli vident.
Magnam ex longinquo qui reverentiam parit,
Si propius adſtet, ſæpe erit contemptui.

FABULA XXVII.

Avis, ejusque Pulli, & Villicus.

Monuit locatos in ſegete Pullos Avis,
Ut diligenter, hinc dum abeſt, attenderent,
De meſſe ſermo ſi fieret. Pulli anxii
Redeunti narrant matri, amicis Villicum
Suis mandâſſe curandum id negotii.
Reſpondet mater, eſſe nil periculi.
Item trementes nuntiant alio die;
Propinquos, operam ne recuſarent ſuam,
Rogatos. Rurſus eſſe ſecuros jubet.
At illa demum ut audiit, cum filio
Statuiſſe Villicum, ut ipſi mane poſtero
Inciperent ambo triticum ſuccîdere:
Fugiamus, inquit: hi cùm jam non pendeant
Aliena ex opera, conferent citò huc ſuam.
Rem gerere ipſe potes? alios ne exſpectaveris.

FABULA XXVIII.

Crocodilus & Vulpis.

De nobilitate gloriabatur ſuâ,
Pluresque Vulpi inſtabat commemorans avos
Crocodilus, unde rectâ veniſſet viâ.
At Vulpis: Unde venerim, inquit, me minùs
Id angit, quàm quò vadere liceat mihi.

FABULA XXIX.

Urſus, Leo, & Lupus.

Correptum, jamque ſtrangulatum, mandere
Parabat Urſus hinnuleum famelicus.
Leo, ſiccis pariter faucibus, ſupervenit,
Et extorquere prædam violentus parat.
Urſus, qui multis antea Leonibus
Reſtiterat, avida nunc ubi ſtimulat fames;
Seſe videlicet ait nolle cedere.
Exoritur ergo pugna utrinque pertinax,
Et horrida: neuter vincit; neuter ſe imparem
Sentit; pugnantque, dum defecti viribus,
Et hinc & inde simul in terram corruant.
Cùm sic jacerent languidi, accedit Lupus,
Cauſamque tollit hinnuleum certaminis.
Quem sic impunè sibi videntes abripi,
Dixêre: Miſeri ſtrenuè pugnavimus,
Ut latro pugnæ ferret omne præmium!

FABULA XXX.

Asinus Dominos mutans.

APUD olitorem quòd ageret vitam nimis
Laborioſam, & interim tenuiſſimo
Paſtu ſoleret recreari, Asinus querens,
Jovem rogavit, ut aliam ſortem daret:
Ejusque precibus exoratus Jupiter
Navare deinceps hunc figulo operam jubet.
Sed ferre cœnum, ac tegulas dum cogitur,
Hanc graviùs etiam ferre fortunam incipit.
Mutare dominum, imprudens, rurſus expetit,
Rurſusque auditur, lege ſed poſitâ tamen,
Ut hæc quæcumque fuerit ultima ſors, ferat;
Nec ſperet aliam deinde venturam vicem.
Is cùm annuiſſet, obtigit coriario:
Tum: Quid rogavi, dixit lamentans? heros
Apud priores vivere ſatius fuit;
Namque ille poſtquam durus me laboribus
Necuerit, parcet ne corio quidem meo.
Quamvis acerba ſors erit, eam ſuſtine,
Ne pejor fiat, obtrectare ſi velis.

FABULA XXXI.

Aper & Cerva.

SAXO exacuebat dentium ſicas Aper:
Quem conſpicata Cerva: Cur, inquit, facis
Id quod, ut opinor, nunc fieri nil poſtulat?
Nam nullus hoſtis, adſpice, occurrit tibi,

Et cuncta pacis undique munus obtinent.
At Setiger : Non temerè facio , quod vides ;
Etenim pugnandi cùm mihi tempus venerit ,
An tunc fore putas dentes acuendi locum ?
Serò parantur arma , cùm hoſtis ingruit.

FABULA XXXII.

Asinus & Equus.

EQUO invidebat Asinus , quòd , totos licèt
Malè otioſus ille ceſſaret dies ,
Tamen aleretur delicatè & largiter ;
Laboribus ipſi dum perpetuis interim
Exercitato , vilis alimenti datur
Vix ſatis , & ut ne vita miſerum deſerat.
Sed ad pericla belli poſtmodum videns
Equum apparari , jam ſuam ſortem incipit
Diligere , & : Aſinum vivere , inquit , me juvat.
Hominum , beatos quos putat vulgus , mala
Videre , miſeris non leve eſt ſolatium.

FABULA XXXIII.

Æthiops.

ALIQUIS loquacem dum ſibi eſſe feminam
Queritur maritus , & modum celerrimæ
Apponere linguæ mille tentat artibus ,
Operamque perdit , ſic Æſopus incipit
Narrare : Servulum Æthiopem quidam emerat ;
Cujus nigrum colorem contractum ratus

Fuiſſe propter ſolam negligentiam
Domini prioris, usque & usque hunc inſtitit
Lavare, donec immodica vexatio
Languere miſerum, ac denique coegit mori.
Corrigere qui vult naturam, Æthiopem lavat.

FABULA XXXIV.

Muſcæ.

EFFUSA mellis copia eſt: Muſcæ advolant,
Paſcuntur. At mox impeditis cruribus
Revolare nequeunt. Heu! miſeram, inquiunt, vicem!
Cibus iſte blandus qui pellexit ſuaviter,
Nunc fraudulentus quàm crudeliter necat!
Perſida voluptas fabulâ hâc depingitur.

FABULA XXXV.

Veſpertilio & Muſtelæ duæ.

HUC, illuc temerè dum volat, caſu evenit
Ut in Muſtelæ nidum Veſpertilio
Irruat, in ipſoque capiatur impetu.
Hæc autem, acerbo quoniam erant omnes ſibi
Odio volantes: Sic mei, inquit, ceteri
Tractentur hoſtes & pereant, ut tu modò
Peribis! prædamque simul vexat unguibus,
Ac devorare jam parat. Periculum
Perſentit ille; ſeque murem, non avem,
Teſtatur eſſe: denique ut fecit fidem,
Veniam precatur avolandi, & impetrat.

Sed inde (tanta eſt ejus imprudentia !)
In aliam rurſus, nec multò poſt, incidit
Muſtelam, cunctis muribus quæ maximè
Eſſet inimica : & hæc : Quod eſt odium mihi
Gentem in murinam, morte protinus tuâ
Solaberis, ait. At quis error te malus,
Reſpondet ille, decipit? cave, obſecro,
Ne facias id quod poſteà infectum, ſoror,
Volueris fruſtra : non ego ſum, quem tu putas,
Aliquis de gente murium infeſtissima.
Malè mures pereant ; vivat avium gens : avis
Ego ſum ; quod alis, adſpice, en meis tibi
Probare poſſum. Muſtelæ hæc oratio
Honeſta viſa eſt. Ergo præſentissimam
Evasit iterum Veſpertilio necem.
Hominum fragilitas ingenium verſatile,
Variumque, variis pro periclis, expetit.

FABULA XXXVI.

Hædus & Lupus.

Caprilis ipſo tutus in faſtigio
Cùm ſtaret Hædus, prætereuntem proſpicit
Lupum ; simulque grandibus conviciis
Laceſſere illum cœpit. Reſpondet Lupus :
Non tu, ſed iſte nunc locus illudit mihi.
Audacia nulla, nullum ubi periculum eſt.

FABULA XXXVII.

Tubicen & Hoſtes.

Delapsus in victrices Hoſtium manus
Tubicen rogabat, innocentem ſe virum
Ut ne, quod facere jam parabant, cæderent:
Et hominem, aiebat, neminem uſquam gentium
Occîdi; & iſtâ, quam libens tradam, tubâ
Elicere tantùm innoxios didici ſonos.
At illi: Meritæ tu tamen occumbes neci,
Hócque magis etiam, quòd pugnandi sis licèt
Ipſe imperitus, alios ad pugnam excitas.
Jure reputatur is qui impellit ad malum
Nocentior illo, qui malum ipſum perpetrat.

FABULA XXXVIII.

Accipiter & Cuculus.

Magnum Cuculo fecerat convicium
Accipiter, ipsi quòd pares quanquam dedit
Natura vires corporis, animo tamen
Abjectus humili, veſci malit vermibus;
Quàm dulci aviculas prò cibatu carpere.
Paucis diebus poſtmodo elapsis videt
Cuculus ipſum, quem necârat ruſticus,
Pendere ſummo turris e faſtigio,
Ut alios pœnæ terreat similis metu
Accipitres, ne columbas prædari velint:
Tibique, veſci vermibus ſolis, ait,
Si maluiſſes, quantò nunc meliùs foret!

Conditio tenuis paucis eſt periculis
Expoſita, magnis ampla caſibus patet.

FABULA XXXIX.

Capones duo.

SIMUL Capones nutriebantur duo
In ornithone incluſi; at horridus & macer
Languebat unus; pinguis alter & nitens
Suam jactabat ſpeciem & corpulentiam,
Sociumque præ ſe contemnebat, & probris
Atque maledictis non leves injurias
Super etiam addit, innocentemque opprimit.
Interea herilem amicus advenit domum:
Ac delicatas ipſi cùm dapes herus
Apponere vellet, pinguem Caponem necat,
Macrum relinquit; ſocium qui ſuum videns
Cùm perimeretur: Nunc ego, inquit, ego miſer
Te miſeriorem video tandem, qui modò
Beatus, arrogansque inſultabas mihi.
Sortem improborum ſuffer, quos donis ſuis
Fortuna cumulat: hos ſaginat, ut immolet.

FABULA XL.

Aranea & Hirundo.

ARANEA quòndam exarſerat in Hirundinem
Irata, muſcas, ipſa veſci quas ſolet,
Quòd illa caperet ore furaci volans.
Ergo vindictæ cupida, nec, res exitum

Quem ſit habitura denique, ſatis providens,
Textilia ad altas retia ſuſpendit fores,
Quà pervolare ſæpe inimicam viderat.
Enimvero illa concitatos impetus
Mox advolando huc dirigit; ſed retia,
Simulque textricem aera per medium rapit,
Portatque, nec novi oneris quidquam ſentiens.
Tunc miſera tractus per profundos aeris
Aranea pendens: Hanc, ait, juſtè vicem
Experior, genera quæ volantium infima
Cùm vix labore magno prædari queam,
Capere aves poſſe tam magnas putaverim.
Majora viribus aggredi ratio vetat;
Sed ratio, & ira quid in commune conſulunt?

FABULA XLI.

Vulpis & Ericius.

REI adminiſtrum publicæ, furtis ſuis
Ditatum, Samii dedere cùm vellent neci,
Æſopus tali fabulâ deterruit:
Tetram in lacunam fortè Vulpis incidit,
Nec abire potuit, impeditis cruribus
Limo tenaci. Et huc ſimul denſo agmine
Muſcæ advolantes indefenſam aculeis
Fodere inſtiterunt. Quod videns Ericius,
Parabat, quippe motus miſericordiâ,
Malas abigere volucres; illa ſed abnuit:
Namque has mihi, inquit, ne moleſtiam gravem
Jam facere poſſint, ſatietas ipſa impedit;
Succederentque mox aliæ famelicæ,
Quæ, mihi quod reliquum ſanguinis eſt, exſugerent.

FABULA XLII.

Struthiocamelus altùm volandi cupidus.

Mente id ferebat anxiâ, quòd veriùs
Se ſubsilire, quàm volare cerneret
Struthiocamelus, utpote brevioribus
Inſtructus alis, & majore corporis
Mole impeditus. Ergo cùm perdiſcere
Artem volandi cuperet, in rupis jugum
Erepsit, unde ſe demiſit. At gravi
Actus deorſum lapſu fregit tibias.
Sic ferri in altum qui cupiebat æthera,
Is jam ambulare ne potuit quidem ſolo.
  Ad altiora, quàm natura fert ſua,
Qui tendere audent, noſtra fabella hos monet.

FABULARUM ÆSOPIARUM *LIBER QUARTUS.*

PROLOGUS.

AB illo vetere, ſimplici, mundo ſtilo
Jam tum receſſit paululùm Latinitas,
Ubi Romana pubes ſemel abhorruit
Ab ſcriptitandis verſibus ſenariis,
Quales poetæ veteres omnes comici
Fundere ſolebant. Immo ferme çeteri
Veteres poetæ, ſi qua præſertim vafræ
Lubido muſæ ſcriptionem ludicram,
Menippeamque concinnare juſſerat,
In metro amabant liberum hunc morem ſequi,
Suavem profectò, nec vocabulis minus,
Quàm rebus ipſis aptandis idoneum.
Romanorum ille Varro qui doctiſſimus
Ante, & poſt fata dictus eſt, hujuſmodi
Senariorum millia multa ſcripſerat;
Seu defricandis moribus operam daret,
Urbemque lepidis recrearet luſibus;
Seu fabuloſas callidè contexeret
Narrationes, monitis & perſpergeret

Communem vitæ ad uſum pertinentibus.
Olim hæc fuêre. Deinde ſcribendi genus
Tam facile, tamque delicatum reſpuit
Illapſa ſenſim argutiarum cupiditas,
Demumque turbo Cordubenſis obruit.
Jamque hæ regnare peſtes latè cœperant,
Suas fabellas Phædrus cùm primùm edidit:
Quæ fortè cauſa eſt, cur hodie nullo ferè
Munítus exſtet veterum teſtimonio;
Neque hunc ſibi eſſe cognitum Seneca indicet.
Meo quidem judicio, ſi Phædri ſtilus,
Si ingenium, & iſta æquabilis feſtivitas
Aliquando fuerint Romanis contemptui,
Bonarum apud eos artium ſcientiam
Tunc eſſe paulùm adulteratam oportuit.
Illius ergo ſemita quà monſtrat viam,
Cupidus ſequendi, paſſibus haud æquis licèt,
Pergam innocentes expolire fabulas.

FABULA I.

Sus & Leæna.

FECUNDA Sus Leænæ vertebat probro,
Catulum quòd unum quolibet partu ederet
Unum, at Leonem, retulit indignans fera.
Res dignitate prævalent, non copiâ.

FABULA II.

Puer, & Paſſer fugitivus.

PRAVAM, malamque Paſſeris ingrati indolem
Afflictus olim conquerebatur Puer,
Quòd illum quamquam delicatioribus
Alere ſolebat, ipſe nutritor, cibis,
Tamen a ſe abiret fugitivus. Dein ſupplicans:
Revertere, ait, amicule mi, revertere;
Amaritudo nulla mihi pectus movet,
Pacemque tecum, ſi reverteris, bonam
Redintegrabo: caveam ſaltem reſpice
Bellam, nitentem, quam relinquis: num nihil
Habet illa, quod te revocet, ac reddat mihi?
Iſta fugitivum oratio jam cœperat
Mutare, ut eſſet non inexorabilis;
At ſolo caveæ nomine audito avolat.
Pulchrum eſſe fabula carcerem nullum probat.

FABULA III.

Paſtor & Mare.

PECUDES cùm egiſſet Paſtor ad litus Maris,
Undamque leni cerneret pellaciâ
Ridentem, amore mercaturæ captus eſt.
Pecuniam ergo conficit: coemit nuces:
Navigio imponit: ſolvit: animo jam movet
Magna: tenet altum. At ecce tempeſtas furit:
Et cùm veniret in vitæ periculum,
Sua ipſe mœrens cogitur in fluctus bona

FABULA VII.

Gallus, Asinus & Leo.

In agrum eumdem Gallus, Asinus & Leo
Venêre: Gallus tritici grana ut legat;
Asinus, palatum carduis ut tergeat;
Leoque, prædam si quam inveniat, ut voret.
Adeſt inventus Asinus: hunc ergo neci,
Occurrit quando nil melius, jam deſtinat;
Irruit. At ecce Gallus argutissimis
Perrumpere auras cantibus simul incipit;
Simulque fugere cogitur Leo territus.
Natura Gallo hanc nempe virtutem dedit,
Solâ ut Leones voce vertat in fugam.
Tunc Asinus autem, fugere trepidantem ferum
Ubi videt, ſe terribilem ſtultè exiſtimat;
Illumque credit, ex ſuî nimio metu,
Fugere, ſuumque ferre ne adſpectum quidem
Potuiſſe; ac tanta cæcitas animum tenet,
Ut etiam perſequatur, ignavum vocans.
Sed Galli acutos cùm Leo tandem ſonos
Minùs exaudiret, ſiſtit, obvertit caput:
Miratus Asinum venientem, huc refert gradum,
Stultamque pecudem ſtrangulatam devorat.
Stultitia comitem si fors arrogantiam
Habuerit, homines certum in exitium trahit.

FABULA VIII.

Miluus, Corvus & Aquila.

CARNEM rapuerat, & auferebat Miluus;
Sed illam Corvus eſſe contendit ſuam,
Sibique raptam clamat, & furem arguit.
Tum criminatus alter, de dolo malo,
Calumniâque poſtulat adverſarium;
Seque eſſe furem jurejurando negat.
Fortaſſe Corvus, apertâ vi irruens, queat
Id recuperare, quod ſibi raptum dolet;
Sed novit hoſtem, quàm ſit roſtro & unguibus
Pugnare non inhabilis; remque maluit
Subjicere legibus. Ergo in jus eum vocat.
Cùmque huc Aquila veniſſet, hanc humilis cliens,
Ut ne gravetur eſſe ſibi judex, rogat.
Aquila, ſecandis quæ clientum litibus
Operam debere ſe putat, non abnuit:
Caro, cauſa litis, exhibeatur imperat.
Quam, juſſa metuens detrectare, Miluus
Sanctum ad tribunal poſteaquam detulit:
Secedite, inquit illa; decretoriam
Sententiam ipſo craſtino die feram.
Condicta vênit hora: Corvus adfuit:
Sed exſpectatus eſſet cùm ſatis diu,
Nec compareret Miluus, Aquila extulit
Jam vacuam ab omni controverſia dapem;
Adjudicansque Corvo, ait: Tua eſt: cape.
Fatetur facinus is qui judicium fugit.

FABULA IX.

Equus & Lupus.

TUTUS ſatis præsidio virtutis ſuæ
Cùm paſceretur ſolus in silvis Equus,
Ipsi, quam prædatus erat, oſtentans ovem,
Felicitatem jactabat ſuam Lupus:
Et miror, inquit, quòd tu tantis viribus,
Animisque tantis præditus, leves cibos,
Et inſuaves ab ipsa decerpens humo,
Tolerare vitam potiùs aſperam velis,
Quàm bellicoſæ gentis exemplum ſequi,
Vi rapere pecudes, fortioris præmio
Gaudere, pinguibuſque veſci carnibus.
Equus ad hæc: Non profectò, non tuam hanc tibi
Invideo ſortem, quam potiùs miſerabilem,
Et exſecrandam judico. Tenuis quidem
Inopsque victus eſt mihi: tamen ſuppetunt
Alimenta, quæ naturæ conveniant meæ.
At proſum hominibus; & meum nomen ſuis
Apud eos claret concelebratum laudibus:
Contra perpetuis imprecationibus
Omnes petunt te, publicam omnium luem;
Et inter iſta, quæ bona falsò nuncupas,
Inureris omni turpitudinis notâ.

Nemo eſſe felix simul & infamis poteſt.

FABULA X.

Leæna & Ovis.

OVEM Leæna rapuerat; ſed eam tamen
Lege moriendi miſericors exemerat,
Etiamque famulam fecerat propriam ſibi;
At ipſam amare cùm cœpiſſet, ultimâ
Sui latibuli parte clauſam ſedulò
Tenebat inter putridas cadaverum
Reliquias. Miſera ferre non poterat Bidens
Fœtorem acerbum, lentiſque cruciatibus
Conſumebatur; nec tamen audebat queri:
Sic tacita tantùm murmurabat: Hòc magis
Dolor ingraveſcit, quò minùs erumpit foras.

FABULA XI.

Vir ſapiens & ejus inimicus.

VIR ſapiens, etsi neminem umquam læſerat,
Inimicum habebat, qui celare quod diu
Tentârat, odium frangere ultra non valens,
Verba inter aſpera graves ediderat minas.
Simul audierunt, territi properant, monent
Amici. At ille: Jam nôram, inquit, hunc, mihi
Quàm ſit inimicus; attulitque non leves,
Fateor, latère quamdiu voluit, metus;
Sed eum fuiſſe factum pejorem mihi
Falsò putatis: Eſſe clanculum malus
Cùm deſinit hoſtis, eſſe tunc bonus incipit.

D v

FABULA XII.

Catella.

Catellam, valde amatam, delicatiùs
Paſcebat manibus ipſa ſuis muliercula:
Nec alias illa ferre potuiſſet manus,
Vel conſuetas attuliſſent quæ dapes.
Sed cùm repentè, Fatis ita jubentibus,
Domina abiiſſet illuc, unde neminem
Redire dicunt; in poteſtatem venit
Hominum Catella, qui non ſuaves, ut priùs,
Benignitàtis delicias impertiant,
At potiùs ipſam, tamquam si gregariis
De canibus eſſet aliqua, miſerias pati
Cogant acerbas victitando duriter;
Etiamque ſæpe tecto abigant interdiu,
Mittantque noctu excluſam, ah! dormitum foris.
Miranti intereà ceteras canes, quibus
Non meliùs eſſet, quàm sibi, & ſuam tamen
Quæ ſortem non dolerent, una sic refert:
Hæc vitæ ratio, quæ novitiæ tibi
Videtur aſpera, uſu & aſſuetudine
Idonea nobis facta eſt, nuncque etiam placet;
Ac si quam acerba Fortunæ ſeveritas
Feciſſet olim intercapedinem tuæ
Felicitati, id ipſum quod nunc tu negas
Te ferre poſſe, ferres vivendi genus.
Beata præſens vita venturæ nocet.

FABULA XIII.

Ruſticus & Aſinus.

SUA gravatum ſarcinâ, quantùm ſatis
Debebat eſſe, agebat Aſinum Ruſticus.
Cùm carperet iter per frutetoſum locum :
Niſi fallor, inquit, hinc prope adſtant en mihi
Virgulta, vario quæ eſſe poſſint uſui :
Meam illa certè faciunt ad cupidinem ;
Decerpere igitur eſſe operæ pretium puto,
Ohe, reſiſte, barde : id oneris additum
Feres, nec, opinor, magno incommodo tuo.
Reſiſtit ille. Nec mora, imprudens herus
Virgulta cædit, mundat, aptat, colligat,
Ponduſque juſto ponderi adjiciens novum,
Plus, ratio quam ſinat, Aſini dorſum premit.
At ſic tamen eum progredi viam videns
Satis expedito inceſſu, ſarcinam putat
Non eſſe tantam, major ut aliquantulò
Non illa fieri ſine periculo queat.
Lapidum ergo fortè cùm ſtrues occurreret
Juxta viam ſepoſita, & ex illis duos
Videret, qui placerent ſibi præ ceteris :
Stultè facerem, ait, ſi, quod objicit mihi
Fortuna tam benigna, negligerem bonum.
Atque duo lapides, facilè quos tollit manus,
Quantillum eſt oneris ? hos, & Aſelle mi, feres.
Officium vires prope recuſant : fert tamen
Pecus miſella ; colligit etiam breves
Sui vigoris reliquias, & exerit :
Ita ut miretur, gaudeatque Ruſticus,
Aſinum ſibi eſſe talem, quem nullus labor
Debilitet : cúmque gravior nudum incedere

Suaderet æſtus, detrahit veſtem ſibi,
Et ceteris quoque impedimentis eam
Non dubitat ſuper ingerere, nil dum ſuſpicans,
Quanto prope eſſet bajulus infelix malo
Ut conficeretur denique. Enimvero in via
Grave offendiculum cùm fefelliſſet pedem,
Simul ille cadit, & ſarcinâ oppreſſus perit.
Qui minimus, ſæpe ſummus eſt mali gradus.

FABULA XIV.

Muſca, Trochilus, & Troſſulus.

ÆSTATE mediâ concitati ſex equi,
Currum trahentes, putre quatiebant ſolum,
Claramque denſo pulvere tegebant diem.
Temone in ipſo tenuis intereà ſedens:
O quantus, inquit Muſca, premit equos labor,
Quantusque ſudor irrigat, dum me trahunt!
Sic prævalenti cùm ſedere vult trabe,
Quæ quinque opimos facilè ſuſtineat boves,
Pusillus ille, ex alitum gente infimâ,
Prætentat illam Trochilus, & ſuperſilit
Similis timenti, ferre ne ſe non queat.
Sic impudenti Troſſulorum de grege
Aliquis, ineptus, adminiſtris imperî
Multùm exhibere ſe negotii putat,
Qui, vivat ille an mortuus ſit, neſciunt.

FABULA XV.

Avarus & Theſaurus.

THESAURUM Avarus foſsâ condiderat humo:
Quem fur odorans quærit, invenit, rapit.
Ille igitur huc reverſus, ut locum videt
Vacuum, exſecratur omnibus ſortem modis.
Tum quidam ſapiens: Quid, ait, incaſſum furis?
Ubi pondus auri ſterile poſueras, ibi
Repone lapidem; tibi tantumdem proderit.
Tam deeſt Avaro quod habet, quàm quod non habet.

FABULA XVI.

Lupus filium erudiens.

LUPUS erudire filium, viſum ſibi
Nimis ferocem, voluit ad mores bonos:
Generi, inquit, noſtro multa multi exiſtimant
Jure exprobrari, digna turpibus notis:
Sævi, rapaces, furtis atque cædibus
Aſſueti vivere latrones, Lupi audiunt:
Nos talibus plerique nominibus notant;
Et, ſi fateri quod res eſt nobis licet,
A veritate non aberrant plurimùm.
Quod ut refutes, nate, moderato tuo
Vivendi more, & exemplis, quantùm potes,
Sanctis, & omni furto, fraude vacantibus,
Falſum eſſe tandem oſtendas, te multùm precor.
Hæc juniori cauſam plauſibilem Lupo,
Et honeſtam habere credita eſt oratio:

Animoque penitùs ille jam receperat
Monitus paternos, & reluctantem licèt,
Ad obſequendum comparabat indolem.
At ecce, quæ fors dereliquerat gregem
Deerraveratque, his interim adſpicitur ovis:
Simulque victus cessit, ac evanuit
Amor honeſtatis, cujus in loco exſtitit
Sævæ rapacitatis, cædis impiæ
Libido victrix. Subitò ad prædam curritur:
Capitur, necatur, manditur miſera bidens:
Bona huc consilia recidêre. Sed utrum putas
Patefacere auſum ſceleri patrando viam?
Ipſe, erudierat qui præceptis tam bonis,
Ipſe fuit auctor ſceleris patrandi pater.
Hanc pædagogis offero, dico fabulam,
Qui ſancta verbis, prava ſed exemplis docent.

FABULA XVII.

Vulpis sine cauda.

VULPIS retentam laqueo caudam amiſerat,
Elapſa, vitamque hoc pretio redemerat.
Sedenim pudore mixtus affligit dolor
Miſellam, quòd ſe deinde sic oporteat
Curtam ambulare. Socias ergo, tunc simul
Ut fortè magnâ coierant frequentiâ,
Adit, ſedetque, ſuasque perprimit nates
Prudens, tegitque cauſam mœroris ſui:
Dehinc: Iſtam, inquit, caudæ longitudinem,
Natura generi quam dedit noſtro nimis
Benigna, cur, ſorores, non abſcindimus?
Eâ lutoſam verri humum numquid juvat?
Ego verò amitti tale onus, lucrum puto.

At, quæ reſciera hujus infortunium,
Sic retulit una: Conſilium non improbo,
Nec dubito, nobis cur dares illud, gravis
Quin cauſa fuerit; perſuadere ſed mihi
Nil poteris, tergum ni priùs obvertas, ſoror.
Hic omnium ingens irrisio Vulpeculam
Cauda carentem exire cœtu perpulit.
Quâ quis laborat, si queat cum pluribus
Communicare infamiam, reputet levem.

FABULA XVIII.

Muſtela & Mures.

MUSTELA ſenior, ac deſerta viribus,
Mures, ut olim, non valebat aſſequi.
Dolum ergo cœpit ſtruere, quo prædam citra
Ullum laborem venari, integrum foret.
Ore tenus in farinam ſeſe condidit.
Accedunt Mures: at farinam ſtrenuo
Dente ſubigentes ubi Muſtela proſpicit,
Ungues ſceleſtos exerit, & prædam capit.
Solertia ſæpe virium præſtat vicem.

FABULA XIX.

Puer & Colonus.

DUM vallem amœnam cupidus explorat Puer,
Pulchrosque flores pulchrior ipſe dum legit:
Colonus, eſſe nil ſatis tutum, monet;
Malas in herba deliteſcere beſtias,

Quarum videlicet inopinis morſibus
Infligeretur vulnus inſanabile :
Itaque prudenter ageret ; aut potiùs loci
Nimiùm maligni amœnitatem ſperneret,
Diſcederetque, si ſaperet. Exterritus
Hæsit puer, avidamque continuit manum.
At mox recreſcit viribus pollens novis
Cupido, mox & imperat pulſo metu.
Ergo ille genio liberè indulget ſuo.
At violam, quæ micabat inter gramina,
Ungue temerarius improbo cùm carperet;
Attingit inſcius, excitatque viperam
Ibi excubantem : quæ simul dente aſpero
Hunc pungit, & veneno letali imbuit.
Ubi eſt voluptas, eſſe ibi periculum
Non facilè credi, oſtendit hæc narratio.

FABULA XX.

Anicula & ejus Ancillæ.

DUAS habebat Anicula Ancillas domi;
Easque ad cantum galli gallinacei,
Quem sibi ad id ipſum nutribat, quotidie
Ipſa excitabat, antequam luceſceret,
Ut facerent opus. At illæ motæ denique
Tam pertinacis tædio vigilantiæ,
Obtruncant gallum, ſperantes, hoc mortuo,
Se poſſe ſomno longiore jam frui.
Sed mox earum ſpem fefellit exitus;
Hera namque, poſtquam gallus occiſus fuit,
Jam ſurgere ipſas nocte intempeſtâ jubet.
Mortales aliquod evitare dum ſtudent
Leve malum, in aliud ſæpe gravius incidunt.

FABULA XXI.

Vulpis, Aſinus & Leo.

In ſaltus nemorum devios proceſſerant
Vulpis, Asinusque, venarentur ut simul.
Dum cursitabat Vulpis, occurrit Leo;
Utque illa vidit imminens periculum,
Accessit, & ſodalem juravit ſuum,
Eumque vinctum, tradituram ſe Fero,
Impunitatem si promitteret sibi.
Qui cùm illam ſeſe dimiſſurum diceret,
Asinum ſceleſta in caſſes incautum trahit.
Sed hunc effugere non poſſe ut Leo videt,
Vulpem ipſam primò comprehenſam devorat:
Mandendum ad Asinum convertit ſe poſteà.
Se perdunt ſæpe, ſocios qui perdunt ſuos.

FABULA XXII.

Miluus ægrotans.

Dicebat matri Miluus ægrotans ſuæ:
Quid lamentare fruſtra? quin potiùs Deos
Precibus exoras, mater? Illa sic refert:
Deorùm, nate, quis miſerebitur tui?
Nullus vocatur precibus ac votis Deus,
Cujus aliquando templa non fœdaveris,
Et conſecratas non violaveris dapes.
At unde nunc venit iſta religio tibi
Tam ſubita ſummam Cœlitum in potentiam,

Quam, dum valeres, ſolitus es contemnere?
Rarò in periclis impius conſtat sibi.

FABULA XXIII.

Pardus & Vulpis.

MELIUS cavillâ, quàm gravi ſententiâ,
Reprimitur ſæpe ſtulta gloriatio.
Superbiebat Pardus, quòd varius color
Suo datus eſſet corpori. At Vulpis jocans:
Meus, inquit, animus & varium, quoties libet,
Capere colorem didicit; ac tantò magis
Te noſtræ oportet dignitati cedere,
Quantò plus vili præſtat animus corpore.

FABULA XXIV.

Deus ligneus.

FREQUENS colebat ligneum quidam Deum
Paganus; & rogabat, ut aliquid boni
Sibi tribueret: ſed fiebat interim
Res ejus omnis in dies anguſtior.
Ergo vehementi denique irâ percitus,
Deum, apprehensis cruribus, magno vibrans
Conatu intorquet; muro & illidit caput.
At ecce, quanta nec erat in votis quidem,
Effracto capite magna vis auri effluit:
Quam lætus ille dum recolligit: Mihi
Nil, inquit, profuiſti, quamdiu bene
Tibi feci; nunc, cùm noceo, prodeſſe incipis?

Abi autem procul, inepte, & futilis Deus!
Iſtis nihilo plus improbis famulis vales,
Qui, niſi malè habiti, nullum opus faciunt bonum.

FABULA XXV.

Juvenes duo & Urſus.

Cum Pellione Juvenes duo tranſegerant:
Spopondit ille pecuniam ſtipulantibus;
Hi promiſêre pellem villoſiſſimam
Urſinam, eamque ampliſſimam: Nondum quidem
Necatus ipſe eſt Urſus nobis, inquiunt;
At, quod tantumdem eſt, ubi ſtabulet, notavimus:
Imus: necatum qui deglubant, mittito.
Hinc nemus ingreſſi dum invicem ſeſe excitant,
Ut omnem corde porrò propellant metum;
Ecce latebroſo, prædam odoratus, ſpecu
Erumpit Urſus. Illi ſimul exterriti
Trepidare. At alter, ut erat agilis, & levis,
Quam primam reperit, altam ſcandit arborem;
Humi decubuit alter; ſive didicerat,
Urſis id eſſe moris, ut depaſcerent
Viventium artus, mortuorum ſpernerent;
Seu potiùs ipſe fregerat hominem metus,
Proſtraveratque non abſimilem mortuo.
Hunc verſat omnes Urſus in partes; ſuum
Ad os jacentis nares & roſtrum applicat;
Nullumque poſtquam ſpiritum ſenſit: Procul
Abeamus, inquit; iſtud omnino liquet
Cadaver eſſe; jamque fœtere incipit.
Quem cùm proſpexit abſceſſiſſe longiùs,
Ex arbore tandem timidus deſcendit comes,
Sociumque prendens: Plurimùm tibi gratulor,

Amice, dixit, tanto quem periculo
Ereptum video : ſed reſcire pervelim,
Ad te jacentem cùm propiùs accederet,
Tecumque tacitè Fera videretur loqui,
Tibi fortè moniti ſi quid inſtillaverit.
Me monuit, inquit, ut ne pellem vendere
Viventis Ursi collibeat umquam mihi.

FABULA XXVI.

Bos & Equus.

Salubris inter prati delicias dabant
Omnem ſuam operam corpori augendo Boves :
Quorum unus, advenire cùm inciperet ſibi
Bonorum ab ipſa copia faſtidium,
Juncos rigentes proximi lacus petit,
Sperans ibi aliquod irritamentum gulæ
Poſſe reperiri : ſed simul veſtigium
In ora poſuit uda, crassi corporis
Obesitate defixus, inhæsit luto.
Illum tenacibus impeditum anguſtiis,
Cùm ſe expedire quæreret, ſocii vident ;
Illumque, longis cùm sibi mugitibus
Opem, dare vellent, imploraret, audiunt ;
Neque commoveri eos tamen ſentit miſer.
Intereà macer, & maximis laboribus
Exercitatus, multisque miſeriis, Equus
Prope hinc advertit infortunium Bovis ;
Et ſubvenit ultro, & utilem simul incipit
Operam adhibere : nam lutum partim ejicit,
Teritque partim calcibus, & sic deprimit ;
Facilemque demum tramitem Bovi facit.
Qui tale gratus ad beneficium ſtupens :

Satis umquam, dixit, hancce miſericordiam
Laudare poſſum? ſed quid autem te impulit
Ut me adjuvares, cùm propinqui etiam mei
Me derelinquant omnis auxilii indigum?
Equus ſimpliciter: Hi ſuâ videlicet,
Usque affluentes dum bonis vivunt, frui
Felicitate tantùm nôrunt: aſt ego
Miſeris adeſſe didici haud ignarus mali.

FABULA XXVII.

Puer & Turbo.

DUM verbere torto Turbinem exercet Puer:
Cur te, inquit, ut agitere motu idoneo
Pulſare cogor? Turbo reſpondet: Statim
Iners jacerem, nisi animos plagæ darent.
Multis neceſſe eſt vexari, ne torpeant.

FABULA XXVIII.

Leo, Agnus & Cerva.

AGNUM vorare dum Leo inventum parat,
Cervam ſub arbore recubantem conſpicit;
Simulque prædæ melioris cupidine
Pellectus, petit hanc; viliorem, quam tenet,
Reſpuit. At hujus Cerva venientis ſono
Admonita, promptos in pedes ſe conjicit;
Et inſequentem pernici eludit fugâ.
Hanc denique ille non valere ſe aſſequi
Ubi videt, primam, quam ſtultè reliquerat,

Imitando demum aliquatenus valeas tuis
Æquare ſcriptis linguà eàdem differens,
Conatus eſt dicendus haud inutilis;
Et adjuvanda eſt talis æmulatio.
Ita nempe fiet usitatior in dies
Latinitatis aureæ ſcientia;
Ejuſque porrò varias, optimas opes
Frequentiori diſtrahere commercio
Cunctis licebit. Sin minùs; brevi accidet
Ex vanæ gentis arrogantia, ut sibi
Occludat ipſa limpidos fontes bonæ
Antiquitatis: cujus ingenuæ quidem
Veneres, ſalesque lepidi, & ars æquabilis
In libris, quos nunc gallica expolit manus,
Plerisque nullum jam ferè inveniunt locum.
Hâc ipſe commotus aliquantulùm fui
Iniquitate temporum, & deterritus
Ne quid latinè ſcriptum mandarem typis.
At primùm in iſtis, quas polivi, fabulis
Satis expedita cùm sit simplicitas ſtyli,
Brevitasque, & ſensûs varietas probabilis;
Eſſe placituras aliquâ parte credidi,
Venturasque etiam in multitudinis manus.
Tum si longè aliter accidat, paucissimis
Contentus eſſe decrevi lectoribus;
Satis beatus, hi modò sint similes tuî,
Optime Saleri, qui lepore candido,
Et arte lucidâ, & opibus cunctis bonæ
Antiquitatis jam diu mentem tuam,
Bonam ipſam & alacrem, ſedulò informaveris.
Quòd si increpuerit lector impatiens moræ
Hunc fortè paulò longiorem Prologum,
Faciliùs ut redire possim in gratiam,
Nulla afferetur verboſa excuſatio:
At fabularum quæ mearum pars erit
Extrema, quintum protinus librum dabo.

FABULA

FABULA I.

Camelus.

PRIMUM ut Camelus viſus eſt, perterriti
Homines fugêre; procedente tempore,
Conſiderârunt ejus manſuetudinem;
Quâ cognitâ aliquis auſus eſt accedere.
Sed ubi compertum eſt nullam in tanta bellua
Ineſſe bilem, sic eam contemptui
Habuerunt, ut capiſtrum cogerent ſequi,
Pueriſque parvis circumagendam traderent.
Fabella oſtendit uſu & aſſuetudine
Minui timores, ſenſimque evaneſcere.

FABULA II.

Viator & Lapides.

ISTI me Lapides herclè conficiunt gravi
Labore, curſumque etiam, nec mediocriter,
Morantur; talem cur moleſtiam fero,
Inquit Viator ſaxoſam ingreſſus viam?
Simulque Lapides, quotquot obſtant, incipit
Tollere & ejicere, & expurgare limitem,
Seſe faciliùs agere quà poſſint pedes.
Sed quis enimverò fructus hinc demum redit?
Quadruplum laborem, quadruplam is moram trahit.
Sæpe illud homines, ſufferendum quod foret,
Minuere ſtultè dum volunt; augent malum.

FABULA III.

Vulpis & Cervus.

Malevola Vulpis, & inimico percitâ
Livoris æſtu, probra Cervo ingeſſerat:
Sed quamquam acuta, ac diligens malignitas
Perviderat omnia, unam ad extremum tamen
Exilitatem tibiarum objecerat.
Cui non modò nihil aſperum contra refert
Cervus, ſed ipſe gratulans etiam ſibi:
Omni meâ, inquit, me eſſe contentum ſatis
Specie decebit, livor in qua perſpicax
Id unum vitii, tantulumque, notaverit.
Invidia quædam eſt, quæ quos carpſerit, juvat;
Quod non vituperat, laudat malevolentia.

FABULA IV.

Carbonarius & Fullo.

Fullonem cùm rogaret Carbonarius,
Ut unà ſecum, quam domum conduxerat,
Habitare vellet: Quod rogas, non expedit,
Reſpondet Fullo; nitida enim quæ redderem,
Carbonibus ea tu mihi inficeres tuis.
Malè ſocientur, quæ naturâ diſcrepant.

FABULA V.

Cervus & Vitis.

VENANTES fugientes Cervus in vitem incidit,
Et pullulantes latuit inter palmites:
Sed mox pericli oblitus, & nefariâ
Frondis tenellæ pellectus cupidine,
Vitem, licèt ipsi, quòd vivat adhuc, debeat,
Vitem ſacrilego dente carpere incipit.
At ecce, dum liberiùs obſequitur gulæ,
Ramuſculorum motus excitatior,
Suam hìc adeſſe prædam, venantes monet:
Qui ſubitò adorti Cervum figunt ſpiculis.
Tunc ille moriens: Patior hanc meritò vicem,
Dixit, meam qui ſervatricem læſerim.

FABULA VI.

Canis & Vulpis.

DUM gloriatur, dumque Vulpe ſe Canis
Fecundiorem prædicat, Vulpis refert:
Fecunda magis es; catulos at cæcos paris.
Vanâ intumeſcit gloriâ fecunditas,
Perfectione juſtâ si fetus carent.

FABULA VII.

Ager, in quo Theſaurus.

SIBI advenire ſentiens ſummam diem
Agricola, juſsit filios accedere;
Agrumque, dixit, quem relinquo, vos mala
Cavete ne diſsidia cogant vendere:
Defoſſus illic namque Theſaurus latet;
Quâ parte lateat, id quidem ignorat pater;
Atenim monenti credite, ac ligonibus
Raſtriſque glebas partem in omnem vertite:
Confidite; labor Theſaurum eruet improbus,
Ditabitque omnes. Interim moritur ſenex.
Illi imperata facere (ſpes enim lucri
Stimulat) terramque fodere, quàm longa eſt dies.
Theſaurus, qualem cupierant, non eſt quidem
Inventus uſquam; ſed agrum dum sic excolunt,
Cultura peperit ipſa perpetuas opes.
Homini Theſaurus ingens, aſſiduus labor.

FABULA VIII.

Venator, & Palumbes & Cornix.

TENDEBAT arcum Venator collineans,
Visâ Palumbe: cui Cornix: Quid reſtitas?
Quæ tibi minatur, hanc ſagittam non vides?
Video, inquit illa, ſed Venator quam retro
Reducit ad ſe, petere me nedum velit.
Dum sic Palumbes miſera ſe ipſam decipit,
Volans ſagitta improvidam tranſverberat.

Maledica, vidi, lingua cùm reſtringeret
Sua tela, gravius hinc tamen vulnus daret.

FABULA IX.

Equulus & Equus.

EQUULUS habebat herbas in prato affatim
Pingues, tenellas : luxus at guſtum obtudit,
Ipſaque creavit ſatietas faſtidium.
Eódem, vires reficiendi gratiâ,
Deductus fortè cùm fuiſſet quadrupes
Senior; adit eum pullus, & multâ rogat
Prece, impetratque, ne gravetur paſcua
Hinc ad meliora ducere. Erumpunt ſimul,
Atque per aquoſa vallium, ardua collium,
Aperta camporum, æmulos celerant gradus.
At duplicari ductor umbras cùm videt,
Curſum reflectit, perque vias notas ſibi
Senſim reducit ad relicta paſcua :
Quò dum reveniunt intereà ſol occidit.
Nox itaque pullo facilè cauſam præbuit,
Cur falleretur. Gramen is porrò obvium
Tondere properat, dentibuſque avidis molit.
Pulchrè ſatullum dulcis excipit ſopor.
Rerum at colores orta lux ubi retulit,
Expergefactus, & oculos circumferens :
Hui ! fallor, inquit, an hoc idem adſpicitur ſolum,
Quod ſpreveram ? herba hæc ſuavis quo facta eſt modo?
Reſpondit ſenior : Ex labore ſcilicet
Collecta cœnam condit inſuavem fames.

FABULA X.

Gallina & ova Crocodili.

Ova Crocodili Gallina olim reperit,
Et incubavit, dum fetus excluderet:
At illi vitâ vix incœperunt frui,
Altricem diris enecârunt morsibus.
Malum ſibi fovet, quisquis educat malos.

FABULA XI.

Vulpis & Rubus.

Agitata Vulpis cum periculo, in Rubum
Denſum, aſperumque ſe conjecit, & canes
Eluſit: & cùm pungeretur ſentibus:
Etiamne, dixit, qui me ſervant, ſauciant?
At ſaucient, dum ſervent: nam didici malum
Ferendum eſſe leve, ut evitetur maximum.

FABULA XII.

Piſcator & Thunnus.

Piscator olim totam qui conſumpſerat
Multo diem labore, nihilquè ceperat,
Litus repetebat triſtis, cùm ſubitò in ſcapham
Thunnus, inimicum dum fugit piſcem, insilit:
Quem capiens: Longus efficere, ait, quod labor
Non potuit, id fortuna quàm citò efficit!

FABULA XIII.

Delphinus & Simius.

MELITÆA Athenis jam propinquabat ratis:
Exorta ſubitò dira tempeſtas eam
Fregit, pontoque diſsipavit. Hoc videns,
Miſeretur, & quoscumque Delphinus poteſt,
Juvat, rapitque ab undis homines naufragos,
Terræque reddit: quos & inter, non ſatis
Diſcernens genera, Simium dorſo levat.
Hunc dum vehebat, quà domo eſſet, quæsiit:
An Atheniensis? Sum, inquit, ipsâ ſcilicet
In urbe mediâ natus; & mihi ſunt quidem
Parentes primi civium. Ergo tu probè
Piræum noſti? Sic, ait, nemo ut magis;
Amicum quippe, ſanguine & junctum mihi.
Hic autem portum Simius nimis loquax
In hominem vertit. Quod simul ſensit, caput
Reflexit, erroremque Delphinus ſuum
Intelligens, remisit in aquas beſtiam.
Sibi ipſa ſemper vana loquacitas nocet.

FABULA XIV.

Fures & Gallus.

CUM Fures captum dedere pararent neci
Gallum; rogabat ille, ſe ut dimitterent,
Hominibus quippe qui didicerit utilem
Dare operam, & ipſos ante lucem ſuſcitet
Opus ad diurnum. At illi: Tu tantò magis

Moriere; quòd sic nos furari vix sinis.
Bonis, simulque prodeſſe malis, vix licet.

FABULA XV.

Corvus, Aſellus & Agaſo.

In prato Aſellus dum tranquillè paſcitur,
Exulceratum in ejus dorſum devolat
Corvus, tunditque roſtro ſauciam cutem.
Rudit ille, ſaltat; nec poteſt depellere
Volucrem importunam; tamque lepidos sic jocos
Præbet, ut Agaſo non modò ipſe bajulo
Suo infelici non ferat opem, at rideat.
Aſellus advertit, & acerbiùs hinc dolens:
Meum, heu! malum, inquit, bis mihi videor pati,
Quòd ridet ille, ferre opem qui debuit.

FABULA XVI.

Amnis & Fons.

Ex quo trahebat fonte originem ſuam,
Hunc ſprevit Amnis: vix exili murmure
Scaturientem audiri, & inter herbulas
Tenuem, ac egenum deliteſcere dictitans;
At ſe per populos, urbesque celeberrimas
Fragore magno volvere fluctus ſuos.
Sensit ſuperbum: &, Noſtra, Fons inquit, nisi
Sufficeret urna, quod tibi nomen daret,
Superbiendi quis tibi jam eſſet locus?
Fabella eorum damnat inſolentiam,
Suæ qui auctores dignitatis vituperant.

FABULA XVII.

Culex & Taurus.

In cornu Tauri parvulus quondam Culex
Conſedit ; ſeque dixit, mole ſi ſuâ
Eum gravaret, avolaturum illico.
At ille : Nec te conſidentem ſenſeram.
Dictum ſit illis, qui ſe, cùm ſint futiles,
Magni tamen eſſe ponderis viros putant.

FABULA XVIII.

Simia & Nux.

Adhuc virenti cortice obductam Nucem
Cùm reperiſſet Simia, ipſam mordicus
Decorticare cœpit ; &, Gravis quidem
Amaritudo eſt hujus, inquit, corticis ;
At nucleus tantò dulcior mihi accidet.

FABULA XIX.

Sus opima.

Forte in culinam Sus ſe opima contulit ;
Ibique pernas, larda, botulos, dum videt :
Hæc ſunt ſuilla, dixit ; & abiit gemens.
Placere nulla conditio felix poteſt,
Cujus odioſus prævidetur exitus.

FABULA XX.

Cera & Later.

Cera invidebat Lateri duritiem ſuam;
Quam comparari ab ignium violentia
Cùm comperiſſet, ſe ipſa in ignes dejicit:
At miſera penitus liquitur, & conſumitur.
Quod uni prodeſt, alteri ſæpe id nocet.

FABULA XXI.

Lupus & Mulus.

Mulum ſtatuerat aggredi inventum Lupus;
At nomen ejus ſcire cùm vellet priùs:
O! qui vocaris, inquit? Iſtud me quidem
Latet, ait Mulus; audire memini tamen
A matre, nomen eſſe mihi ſcriptum pedis
In ipsa dextri poſterioris ungula;
Quod ſcire si vis, accede huc, legas licet.
Lupus legendi gratiâ cùm accederet,
Pedem ille dextrum poſteriorem ſuſtulit,
Hujusque fronti, quantâ vi potuit, simul
Impegit, ac ſemianimem proſtravit ſolo.
Lupus ad ſe tandem vix reverſus: Heu! mali
Quantum creavit ſtulta curiositas,
Dixit lamentans, & boni quantum abſtulit!

FABULA XXII.

Fluvii duo, alter perſtrepens, alter silens.

AD Fluvium magno perſtrepentem murmure
Quidam viator cùm veniſſet, reſtitit,
Timuitque : ſed mox auſus eſt tamen vadum
Tentare ; & undas mirans altitudine
Carere, ripam facilè ulteriorem attigit.
Ad alium deinde Fluvium pervênit, ſuos
Lentè & quietè fluctus qui provolveret :
Hunc, inquit, pertransire, minimus eſt labor
Tam lenem, tamque pacificum ; ab iſto altero
Rapido, & irato tam facilè cùm evaſerim.
Simul hæc locutus intrat ; & abſorbet simul
Ipſum profunda vorticis malignitas.
Diffide, si quis taceat infenſus tibi ;
Pleni minarum longè metuendi minùs.

FABULA XXIII.

Pica & Columba.

COLUMBAM Pica interrogâſſe dicitur,
Cur ova eodem poneret ſemper loco,
Hinc pullos non ignara ſemper abripi.
Reſpondit illa : Sic ſoleo videlicet,
Aliterque facere simplicitas me non sinit.
At Pica : Stulta eſt iſta simplicitas, ait,
Noto ex periclo quæ non fit prudentior.

FABULA XXIV.

Avarus & ejus Filius.

Eximia poma Avarus in domûs ſuæ
Secretiori parte collocaverat;
At nulla, niſi quæ tabida inficeret lues,
Suam inde permittebat in menſam extrahi.
Quod ejus poſtquam Filius graviter ferens
Objecit fruſtra, denique invênit viam,
Pomorum in ipſum quâ penetraret horreum:
Etiamque amicos unum & alterum ſibi
Comites adjunxit. Optima nempe, quot licet,
Poma hi capeſſunt. Factum reſcivit Pater,
Succenſuitque Filio, damnum exprobrans:
Qui rem confeſſus ultro: Quid damni tibi
Intulimus, inquit? poma tantùm putrida
Tu comedis; integra ſola nos comêdimus.
Nil perdit, id qui perdit, quo uti neſciat.

FABULA XXV.

Arbores.

Rectæ & proceræ contemnebant Arbores
Unam inter ipſas, torta quòd, & humilis foret:
Lignarius autem cùm veniſſet huc faber,
Cæduntur omnes illæ; at hæc relinquitur.
Minimi fuiſſe pretii, multis profuit.

FABULA XXVI.

Edera & Agricola.

FRUTICABAT Edera, frondibuſque humum ſuis
Tegere contenta, non audebat altiùs
Erigere ſeſe, & proximam ſibi arborem
Amplecti, & excelſa adminicula perſequi:
Sed rapere ſpatium properabat, quàm maximum
Poterat, avaris hinc & inde lapſibus,
Ita, ùt feracis hortuli partem bonam
Malè occuparet. Quod animadvertens, ſtatim
Evellere malam funditus plantam incipit
Agricola prudens. Illa tum: Noſtras, ait,
Temerare frondes, barbarus quis te furor
Impellit? contine, oro, violentas manus;
Parce immerentem abolere natali ſolo,
Ubi pullulantes humilis inſterno comas,
Inglorioque ſimplex otio fruor,
Nec noceo quidquam. At ille: Sed prodes nihil;
Meoque in horto quod nihil prodeſt, nocet.
Atque hæc locutus, inſtat diligentiùs
Perpurgare omnem ſtirpibus malis locum.
Ad otioſos cives fabula pertinet.

FABULA XXVII.

Piſcis fluviatilis & Piſces marini.

TORRENTE raptus alveo fluviatilis
Marina Piſcis ſubierat fortè æquora:
Occurrit incolarum turba, & advenam

Hortantur omnes, regna Neptuni velit
Incolere ſecum. Nimiam is undarum objicit
Amaritudinem: illi contra ſe negant
Sentire tale quidpiam. Veſtrum malum
Ne ſentiatis, inquit, ipſa pravitas
Guſtûs, & ipſa aſſuetudo mali vetant.
Civilibus undis maxima pars mortalium
Immerſa, fluctus inter amaros volvitur,
Bis miſera, ſe miſeram eſſe si non ſenſerit.

FABULA XXVIII.

Bubulcus & Hercules.

CURRUM sibi videns penitùs hæsiſſe in via
Bubulcus auriga, invocavit Herculem
Queribundus; exſpectansque, dum miſero Deus
Afferret auxilium, otioſus reſtitit.
Adfuit, inertemque Hercules hominem volens
Corrigere: Lapidem hunc, inquit, obſtantem ejice;
Limum hunc tenacem comminue; humero hanc rotam
Impelle, ſublevaque: punge nunc boves.
Hui! plauſtrum volvitur! Ergo memineris Deos
His opitulari, qui admovent operi manum.

FABULA XXIX.

Simia, Porcus & Vulpis.

SUAVES, tenellos foetidis Porci auribus
Simia jocando flores alligaverat:
Hinc ſtolidus ille factum ſe bellum putans,

Sibi placebat, & videbatur sibi
Dignus profectò, qui placeret omnibus;
Simulque ineptis tripudiabat motibus.
Quod fortè Vulpis cùm videret, sic eum
Monuiſſe fertur: Quàm ipſa turpem finxerit
Natura formam, ornatus hanc si ſplendidus
Illuſtrat, auget ipſam turpitudinem.

FABULA XXX.

Leo & Muſculus.

LEONIS olim dormientis per jubas
Laſciviendo cùm excurriſſet Muſculus,
Cúmque excitatus ipſum cepiſſet Leo;
Veniam is rogavit imprudentiæ daret,
Eamque facilè miſericors Leo dedit;
Pecudem necare quippe tantulam pudet.
In retia ille paulò poſt fortè incidit;
Quibus expedire cùm ſe, fruſtra perfurens,
Nequiret, rudere cœpit immanem in modum.
Audit, simulque proximo e cavo exsilit
Muſculus: &, Adſum tibi, ait, beneficii memor;
Statimque teretes dente corrodit plagas,
Maculasque ſolvit, & Leonem liberat.
Gratia referri ab infimis etiam poteſt.

FABULA XXXI.

Aſellus onuſtus Sale, deinde Spongiis.

VIDE, quidquid agis, an res conveniat loco;
Nam multa, quæ feciſſe quondam juverit,
Poſt, vicibus immutatis si fiant, nocent:
Fruſtraque dictum ne sit, exemplum dabo.
Cùm fluvium Aſellus transiſſet onuſtus Sale,
Et, in aquas dorſum demittens, aliquandiu
Jacuiſſet, onere ſe levatum ſenſerat;
Ergo aliquot ille poſt diebus huc iter
Dum facit onuſtus Spongiis, similem sibi
Eventum ſperat; & decumbit: at graves,
Aquâ ſubeunte, Spongiæ miſerum opprimunt.

FABULA XXXII.

Cucurbita & Arbor.

CREVERAT adhærens Arbori Cucurbita;
Ejusque trunco & ramis ſuſtinentibus,
Evecta fuerat magnam in altitudinem.
Hinc gloriatur, & etiam præ ſe, impudens,
Contemnere audet hanc, sine qua reperet humi.
Quot, inquit, annos exſpectare oportuit,
Donec ea caperet magnitudinem ſuam!
Ego autem evasi tanta paucis mensibus.
At olitor illuc paulò poſt cùm accederet,
Factam fuiſſe maturam Cucurbitam,
Ejusque ſtirpem exaruiſſe jam videns,
Deducit hanc ad ſe, & reluctantem licèt,

Seque implicantem ramis, in ſolum trahit.
Citò emerſiſti? ne citiùs recidas, cave.

FABULA XXXIII.

Lepus & Teſtudo.

Tardis euntem paſſibus Teſtudinem
Vidit, ſuperboque Lepus aggrediens joco:
Tam propera, dixit, quò tuam portas domum?
Quin si, inquit illa, pedibus me dicam tibi
Præſtare? Totis hic enimverò artubus
Lepus exsilire: &, Hanc, ait, tuam mihi
Exprome celeritatem; meque, si potes,
Aſſequere. Id, inquit tardipes, ego ac lubens
Experiar; atenim præsignemus terminos,
Statuamusque simul, quo certemus pignore.
Utrique poſtquam jurata eſt conventio:
Age tu porrò, avibus i bonis, inquit Lepus,
Ego dum quietus hic jaceo, & obdormio.
Teſtudo pergit interim, & ipsâ diligens
In tarditate, lento feſtinat gradu;
Demumque victrix occupat metam viæ.
Tunc Lepus evigilat, & curſu rapido volans,
Priorem hanc perveniſſe nequicquam dolet.
Dotibus eximiis, unde abeſt prudentia,
Prævalet, ubi etiam ſolus eſt, prudens labor.

FABULA XXXIV.

Jupiter, Modeſtia & Virtutes ceteræ.

VARIAS Virtutes cùm creâſſet Jupiter,
Quæ dulces homini & utiles comites forent,
Produxit ultimam omnium Modeſtiam:
At ipsi in homine nulla jam ſedes erat
Idonea, quam non de Sororibus ſuis
Aliqua occupâſſet. Quod animadvertens: Tibi
Nullam quidem, inquit Jupiter, ſedem licet
Habere propriam, his ceteris qualem dedi:
Sed iſtæ quoties emicare cœperint,
Te simul adeſſe jubeo, ne quid audeant,
Quod non tuo ipſa more blando temperes.
Hinc uſque verâ laude Virtutes carent,
Quibus Modeſtia pretium non addidit.

FABULA XXXV.

Caſeus & Felis.

IN cella opimum cùm poſuiſſet Caſeum
Ruſticus, ineſſe murem, qui corroderet,
Advertit: ideo misit huc Felem. At simul
Captum illa murem, Caſeumque devorat.
Ad vindicanda damna si improbos legas,
Plerumque gravius hi tibi damnum dabunt.

FABULA XXXVI.

Lupi fides.

FORE ut jam nullis veſceretur carnibus,
Sed herbas, aut ad ſummum piſces manderet,
Laqueo prehenſus olim cuidam ruſtico
Dixit, ſpopondit, jurejurando Lupus
Fidem obligavit, & sic evasit necem.
Hinc ſe dum recipit in nemus, porcum videns
Paludis atro ſe volutantem vado:
Hic, inquit, certè piſcis eſt; & eum vorat.
Malè agere qui vult, nunquam non cauſam invenit.

FABULA XXXVII.

Vulpis & Ericius.

SUPERBA Vulpis dixit olim Ericio,
Pollere centum ſe artibus, quas omnium
Adhibere ſciret hoſtium contra dolos;
Eumque ſprevit, unam qui ſe diceret
Callere tantùm. Pauló poſt venatici
Huc advolârunt, prædam odorati, canes.
Ericius artem tunc recurrit ad ſuam:
In orbem rite convolvit corpuſculum,
Suiſque ſpinis undique tegit, & impetus
Eludit hoſtium. Omni ſe periculo
Ubi liberavit, proſpicit; Vulpem & videns
Urgeri a canibus, apprehendi denique:
Huccine, ait, recidis cum tuis centum artibus?
O quantò potior una, si sit optima!

FABULA XXXVIII.

Olitor & Sepes.

ISTA, inquit Olitor, cur Sepes terram occupat
Sterilis? quin evello, ſpatiumque oluſculis
Amplifico? Dixit, incipitque evellere,
Hortumque furibus omnem pervium facit.
Prudentia nimis anxia aliquando malum
Arceſsit ingens, damnum ut avertat leve.

FABULA XXXIX.

Alba ſpina & Ficus.

AMICTA nitidis alba ſpina floſculis,
Cùm ſe jactaret, & Ficum contemneret,
Ornatam ſolâ viriditate frondium,
Sic illa retudit ejus arrogantiam:
Florere me Natura non voluit quidem;
Sed ſimul ac tempus autumnale venerit,
Homines accedent ad me onuſtam fructibus,
Quos regibus ipsis apponent, videlicet
Succo refertos optimo & ſuavissimo.
E deſpicatis fetibus interim tuis
Aliquot egentes aviculæ victum petent.
Quàm multa, flores quæ tulerant pulcherrimos,
Ingenia, fructus aridissimos ferunt!

FABULA XL.

Sol & Noctua.

Soli, quòd ejus ſuſtinere Noctua
Radios non poſſet, fecerat convicium:
Non me, ſed oculos, Sol ait, culpa tuos.
Cæcus, & ineptus deſpicit ſi quis bonam
Antiquitatem, noſtra fabella hunc monet.

FABULA XLI.

Amygdala & Pyrus.

Cum ſe videret innumeris Amygdala
Floribus opertam, ſibi plaudebat, & Pyrum
Spernebat; ut quæ germina vix protruderet.
Sed, fraudulentâ qui receſſerat fugâ,
Aquilo revertens flores hujus abſtulit,
Spemque ſimul omnem fructuum diſperdidit.
Tenera monentur ne properent floreſcere
Ingenia, ad frugem pervenire ſi velint.

FABULA XLII.

Agricola & Arbores.

Agricola quidam, recto quas digeſſerat
Ordine, novellas educabat Arbores:
Quarum una, cæcis obſecuta motibus

FABULA XXXVIII.

Olitor & Sepes.

Ista, inquit Olitor, cur Sepes terram occupat
Sterilis? quin evello, ſpatiumque oluſculis
Amplifico? Dixit, incipitque evellere,
Hortumque furibus omnem pervium facit.
Prudentia nimis anxia aliquando malum
Arceſsit ingens, damnum ut avertat leve.

FABULA XXXIX.

Alba ſpina & Ficus.

Amicta nitidis alba ſpina floſculis,
Cùm ſe jactaret, & Ficum contemneret,
Ornatam ſolâ viriditate frondium,
Sic illa retudit ejus arrogantiam:
Florere me Natura non voluit quidem;
Sed ſimul ac tempus autumnale venerit,
Homines accedent ad me onuſtam fructibus,
Quos regibus ipsis apponent, videlicet
Succo refertos optimo & ſuavissimo.
E deſpicatis fetibus interim tuis
Aliquot egentes aviculæ victum petent.
Quàm multa, flores quæ tulerant pulcherrimos,
Ingenia, fructus aridissimos ferunt!

FABULA XL.

Sol & Noctua.

Soli, quòd ejus ſuſtinere Noctua
Radios non poſſet, fecerat convicium:
Non me, ſed oculos, Sol ait, culpa tuos.
Cæcus, & ineptus deſpicit si quis bonam
Antiquitatem, noſtra fabella hunc monet.

FABULA XLI.

Amygdala & Pyrus.

Cum ſe videret innumeris Amygdala
Floribus opertam, sibi plaudebat, & Pyrum
Spernebat; ut quæ germina vix protruderet.
Sed, fraudulentâ qui receſſerat fugâ,
Aquilo revertens flores hujus abſtulit,
Spemque simul omnem fructuum diſperdidit.
Tenera monentur ne properent floreſcere
Ingenia, ad frugem pervenire si velint.

FABULA XLII.

Agricola & Arbores.

Agricola quidam, recto quas digeſſerat
Ordine, novellas educabat Arbores:
Quarum una, cæcis obſecuta motibus

Malè ſubeuntis ſucci, abibat paululùm
Diverſa ab aliis. Monitus eſt, ut indolem
Vitioſam vinclis ociùs compeſceret.
At, inquiebat, nulla nos ratio jubet
Adhibere tam ſeveram diligentiam;
Et adhuc tenellam vincla forſan læderent.
Exſpectat igitur: interim creſcit malum,
Et invaleſcit. Tunc voluit, at ſeriùs,
Corrigere, factum quippe robuſtum nimis.
Fabella pueros, ni citò cavetur, docet
Evadere malos facilè, & inſanabiles.

FABULA XLIII.

Catellus, Ovis & Cuniculus.

CUNICULUS, Ovis & Catellus venerant
In campum eumdem; ſed diverſa ſingulis
Cauſa veniendi fuerat: nam genio ſuo
Catellus indulgere quæſiit, & leves
Captare luſus: ſimplex autem ſe Bidens
Ad decerpenda contulit, ſi quæ ſibi
Bona viderentur pabula: at Cuniculum
Fodiendi terram cupiditas traxit mala.
Triplex notatur hîc mihi lectorum genus.

FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER SEXTUS.

PROLOGUS.

ME rurſus ergo fabulæ aſſerunt ſibi ;
Devinciuntque mitibus ductum jocis.
Lubens, meritóque tale ſcribendi genus
Sequor : exhibet enim candidos, lepidos ſales,
Habetque præterea utilitatis plurimum,
Unde ſimul horum, qui me rectè legerint,
Et meamet ipſa vita fiat doctior.
  Namque licèt, ut plerique mortales ſolent,
Meam quoque ipſe manticam in humeris geram ;
Sæpe tamen ante pectus propono mihi
Utramque peram, ne vitia tantummodo
Aliena ſpectem, oblitus in tergo alteram
Eſſe mihi peram propriis vitiis gravem :
Neque liberalem hunc eſſe cenſorem puto,
Qui, dum caſtigat alios, ignoſcit ſibi.
Ergo generatim quæ ponuntur omnibus
Documenta, capere ſingulatim nos decet,
Sibi prout quiſque convenire intelligit.
  Sed, ut erunt paulò triſtiora forſitan
Exempla, ſi quis illa judicaverit

Ad ſe attinere, &, aſperam graviter ferens
Reprehensionem, doluerit; ne mutiat,
Suadebo; at potiùs ſapiat edoctus, nisi
Suam ipſe malit prodere turpitudinem.
Hunc denique tamen oro multùm, & obſecro,
Ut mentis erga quemlibet affectu malo
Prorſus alienum exiſtimare me velit;
Quippe quia vivo mihi prope uni cognitus,
Nullumque novi ex iſtis terræ filiis,
Regifica quorum prandia examen leve
Famelicumque litteratorum colit;
Neque ſum receptus in poetarum gregem,
Unde mihi, furtim ſe inſerens, inoleverit,
Et efferbuerit acrior æmulatio;
Tum mentis ægritudo, livor poſteà,
Demum simultas, & odium coaluerint.
Sed inhonoratus invidendam nemini,
Placidamque vitam ſolus in tenebris ago;
Ac fortè si quid calleo de moribus
Hominum, illud omne debeo unicè libris,
Quos conſulere amo lector non indiligens.

FABULA I.

Villicus & Canis.

VETULUM, factumque minùs idoneum gregi
Cuſtodiendo, vel tuendæ a furibus
Nocturnis domui, Villicus habebat Canem.
Ingratus, operam cujus utilem diu
Sibi fuiſſe meminit, hunc, ſenio gravem
Tardumque, morti devovere ſuſtinet.
Ergo apprehendit, nec reluctantem: simul
Coactos in faſciculum connectit pedes;

Lapidémque

Lapidemque collo denique magnum ſubligat.
Sic exornatum protrahit, ſub proximæ
Paludis undam detruſurus. At Senex :
Nam quid, here, dixit, facinoris feci miſer,
Ut agas tam acerbè, tamque inhumanè, & meam
Tam longam ſervitutem ſic remuneres ?
Vim veritatis ſentit herus : hanc opprimit ;
Et fraudulentam comparat calumniam :
Tén' vivere, inquit, patiar ultra, quem tenet
Occulta rabies ? moxque demerſum necat.
  Qui ſtatuit aliquem perdere inviſum ſibi,
Si juſta ratio nulla ſit, falſam invenit.

FABULA II.

Urſus & Uxor ejus.

DUM vult amoris mutui gratam vicem
Lepidis, venuſtis excitare luſibus,
Oculum revellit Urſus Uxori ſuæ :
Simulque violens proprii ultor criminis
Ungues ſceleſtos ſibi revellere incipit.
At illa mœrens : Quid, ait, incaſſum furis ?
Hoc facere decuit, me priuſquam tangeres :
Nunc & tibi noces, & mihi prodes nihil.
  Hæc fabula docet, facti pœnitentiam
Seram eſſe, damno quæ mederi non poteſt.

FABULA III.

Boves & Lanius.

PLURIMI apud Lanium detinebantur Boves:
Accedit iſte, unumque mactat. Ceteri,
Obſiſtere vellent, tot conjunctis viribus
Servare ſocium poterant; at contra impetum
Nil commoventur, dum ſe quiſque decipit,
Similisque ſperat cladis immunem fore.
Sic Lanius omnes, alios poſt alios necat.
Homo hominis a ſe alienum ne reputet malum.

FABULA IV.

Aquila & Pavo.

DUM gaudet Aquila, turba quòd avium frequens
Ipſam eſſe dicat omnium pulcherrimam,
Pavo indignatur; nec tamen audet intimos
Aperire ſenſus, propter Reginæ metum.
Sic ergo murmurat: Iſtam pulchritudinem
Non pennæ, at ungues, & roſtrum sibi arrogant.
Suſpecta laus; quam ſumma poteſtas obtinet.

FABULA V.

Jupiter, Apollo, & Momus.

QUAM *quiſque nôrit artem, in hac ſe exerceat.*
Proverbium illud antiquiſſimum novâ
Placet, brevique comprobare fabulâ.
  Laudem canendi Apollo cùm propriam ſibi
Haberet, hanc, invidiâ motus, Jupiter
Præripere voluit; & peritiâ ratus
Se prævalere poſſe: Uter meliùs canat,
Nunc experiamur, inquit, Momo judice.
At Momus: Canat Apollo; Jupiter tonet.

FABULA VI.

Puer Superbus.

DUM celſiore parvus in ſcamno Puer
Se jactat & ſuperbit, & humili loco
Stantem catervam deſpicit ſupereminens,
Unum de genere ſe gigantum credidit:
Et, Hæc videtur quàm minuta plebs, ait,
Homunculorum! quàm brevibus corpuſculis
Finita! Tum verò aliquis hanc vocem edidit:
Deſcende; minimum te omnium ipſe noveris.
  Qui ſummo honoris fortè poſitus in gradu,
Stultè hinc ſuperbit, hâc notatur fabulâ.

FABULA VII.

Murium conventus.

COIERE Mures, conſulendi gratiâ,
Quânam arte poſſent felis, in gentem ſuam
Quotidie furentis, ungues aſperos
Vitare. Poſtquam plures in ſententias
Incertus abiit cœtus ſtudio inutili;
Demum unus ſenior, altâ mente rem diu
Meditatus: Aures, inquit, huc advertite:
Scelere nos hoſtis fraudulento perfidus
Plerumque adortus imprudentes opprimit:
Sonum ergo si quem nuntium adventûs ſui
Præmittat ille deinceps, admonebimur
Mali propinqui, & fugere poterimus necem.
Quapropter ejus collo tintinnabulum
Eſſe alligandum cenſeo. Ingens omnium
Hîc verò plauſus approbantium fuit.
At poſtmodum tamen unus aliquis junior:
Quis porrò certum, quis paratus eſt, ait,
Adire pro re publicâ periculum?
Tacent, operamque difficilem eſſe ſentiunt.
Periculosis conſiliarius frequens
In rebus aderit, exſecutor non item.

FABULA VIII.

Ranunculus & Rana.

AQUIS luto refertis natus, & viâ
Ipsâ educatus publicâ Ranunculus
Audire Ranam, proximi ſtagni incolam,
Monentem, ut ad ſe, communem habiturus domum,
Migrare vellet, noluit: Quid enim mihi
Triſte hîc futurum timeam, ait; cùm tamdiu
Ibidem ab omni vixerim immunis malo?
Sed ille dum sic diſputat, plauſtrum advenit,
Et adhuc loquentis os & artus conterit.
Plenis pericli ſedibus tantò magis
Malum propinquat, quò diutius abſuit.

FABULA IX.

Nitedula & Muſtela.

CUMERAM in frumenti repſerat Nitedula
Exilis: aptam rimula dederat viam.
Famelica mandit ſtrenuè oblatam dapem;
Gulæque sic obſequitur, sic ventri gula
Subſervit, ut refectum intra paucos dies
Jam nimia tendat obesitas corpuſculum.
Tunc, si maneret hoc diutius in loco,
Sibi ne eveniret aliquod infortunium,
Verita, redire voluit ad proprium larem:
Notum ergo repetit aditum; at fruſtra nititur
Transire: pinguem tenuis ille non capit.
Prope hinc miſellam sic laborantem videns

Muſtela : Quod , ait, profuit , nunc id nocet :
Cibus auxit corpus , minuat abſtinentia :
Ingreſſa macra es , macra poteris egredi.
Hoc argumento oſtenditur , quædam bona
Debere omitti , quæ , poſtquam receperis ,
Niſi dimittantur , obfutura ſunt tibi.

FABULA X.

Quercus & Arundo.

DEPRESSA quantùm ad inferos radicibus ,
Tantùm propinquans ſuperis alto vertice ,
Annoſa Quercus dixit olim Arundini :
Quid te , miſella , fiet , ſi perflaverit
Iratus Aquilo , cùm te nunc mitissimi
Inflectat aura blandiens Favonii ?
Retulit Arundo : Quælibet vis ingruat ,
Summiſſa vereor ; & illa fit clemens mihi.
Quercus : Ego nullis , inquit , cedo viribus ;
Nimbos , procellas , ac deprælïantium
Quaſcumque ſperno , frango ventorum minas.
Dum sic ſuperba gloriatur , *frigido*
Ab axe repentè ſe erumpunt Phrenetici
Septentrionum filii. Se flexilis
Arundo ſponte dejicit. Prætervolant
Illæſam. Quercus obluctatur : at simul
Violento adorti turbine illam proruunt.
Quæ frangere ſolet ira contumaciam ,
Summissione ſæpe frangi ſe sinit.

FABULA XI.

Puer & Pædagogus.

PAUCIS inepti monitoris præpoſteram
Loquacitatem carpere lubet verſibus.
 Profundi ad oram fluminis ludens Puer
Pede lapſus eſt: at prenſa labentis manu
Salix opem dat, penduluмque ſuſtinet,
Ne pereat, undæ merſus in voraginem.
Huc Pædagogus cùm veniſſet: Hoc ſinam,
Hoc patiar, inquit, iſtos nebulones meos
Sic evagari? ſic mihi non obſequi?
Præſenti eripiam te quidem periculo,
Proterve ludio; at profectò non feres
Impunè: namque te modò, ſimul ac domum
Reduxero, flagris perbellè admonitum dabo,
Quantùm ſatis erit, facti ut memineris diu.
Puer externatus diro flagrorum metu,
Salicem relinquit, & obrutus fluctu perit.
 Libido quoddam pædagogorum genus
Magis increpandi, quàm juvandi, permovet.

FABULA XII.

Puella ruſtica & lactis cymbium.

SUMMO repoſitum capite lactis cymbium
Puella dum fert ruſtica, tacito in ſinu
Reputare cœpit quidquid hinc poſſet boni
Emergere ſibi. Vel nihil, inquit, ex meo
Conficiam lacte, vel pecuniæ ſatis,

F iv

Ut ova centum comparem : hinc pulli tribus
Simul a Gallinis excludentur : eſt quidem
Aſtuta vulpis ; horum non adeò tamen
Numerum diminuet, ut porco non ſint pares
Emendo : tenuis emptus eſt porcus mihi ;
Pingueſcit ; jamque multum fecit corporis :
Venditur ; emiturque vacca & ejus inſuper
Vitulus, in arvo qui jam exſultat florido. . . .
Hîc, oneris oblita ſui, gaudio exsilit
Puella, ſpesque cum lacte evertit ſuas.
Mortalium pleroſque fabella hæc monet,
Qui ſomniare magna vigilantes ſolent.

FABULA XIII.

Leo Bellum parans.

BELLUM parabat in exteram gentem Leo ;
Ejuſque regni diversis e partibus
Jam variæ ad ipſum belluæ convenerant,
Rem promovere certæ consilio & manu.
Dux monuit, ut diverſa belli munera,
Quæ convenirent singulis, capeſſerent.
Tunc latos humeros elephas oſtentans ſuos,
Vaſtamque dorsi pandens amplitudinem :
Ego, inquit, omnem ſarcinam, omnes machinas,
Inſtrumentum omne bellicum facilè feram ;
Nec me gravabunt, si qui præterea volent
Noſtro ſedere tergo, ut pugnent commodè.
Ego cataphractus miles, rhinoceros ait,
Ultro periclis obvius, feriam simul,
Simulque ſuſtinebo hoſtiles impetus.
Laceſſere hoſtem cominus, meum eſt, lupus
Exclamat ; dentes jam mihi exerti crepant.

Totas ego unus poſſum, ait ferox aper,
Evertere acies more fulmineo ruens.
Ego, vulpis inquit, insidiatoris vicem
Implebo; virtus & dolus aderunt mihi.
Me, simius ait, perſtare in caſtris decet;
Regem oblectabo dulcibus præſtigiis,
Feſſumque gravibus curis reficiam caput.
Partes sibi ſuas quiſque dum sic vindicat,
Demissis asinus interim auriculis silet,
Siletque pariter corpore contracto lepus;
Stuporis ille, at hic timoris conſcius:
Et utrumque carpunt ceteri, & onerant probris;
Et eſſe caſtra liberanda dictitant
Stolido ac inerti pecore: ſed Leo negat:
Et, Hi quoque operam conferent, ait, utilem:
Clangentis asinus buccinæ imitetur ſonos:
Lepus curſoris defungatur munere.
Nemo eſt tam ineptus, a perito qui duce
Ad aliquid aptus inveniri non queat.

FABULA XIV.

Paſtor & Moloſſus.

Moloſſum habebat Paſtor mirâ præditum
Virtute, cuſtodemque præclarum gregis:
Sed dum voracem, dum famelicum nimis
Conqueritur; aliquis perſuasit, uti venderet
Iſtum helluonem, & hinc duos, vel tres canes
Redimeret alios, operam qui poſſent parem
Simul adhibere, & levibus impensis ali.
Ergo generoſus, & fidelis, & vetus
Ejicitur hoſpes. At ubi ſensit jam procul
A grege valentem abeſſe cuſtodem lupus,

Longo metu ſolutus, deſertas oves,
Modò hanc, modò illam invadit, & facilè rapit.
Unde redit ingens lucrum, ne impenſas dole.

FABULA XV.

Oſtrea & Viatores.

In litus Oſtream expulerat fluctus maris,
Expulſamque, citò refugiens, reliquerat.
Hanc simul hiantem duo Viatores vident,
Simulque properant: Et, Mea eſt, vidi prior,
Ait unus. Aſt ego prior sensi, alter refert.
Dum sic decertant, tertius ſupervenit.
Tu judex eſto, dicunt. Ego verò ac lubens,
Reſpondet ille; neque morabor vos diu.
Statim & capessit, & ligurit Oſtream.
Stupentibus ad hæc, concham utramque dividit;
Suamque cuique porrigit; tum ſubjicit:
Lis eſt dirempta; vos quieti cedite.
Fabella ſtultos litigatores monet.

FABULA XVI.

Sculptores duo & Æſopus.

Duo Sculptores olim ejuſdem marmoris,
Æqualem utrinque, venditam & pretio pari,
Suam sibi quiſque partem comparaverant.
Sed cùm peritus alter ſculpendi artifex,
Et alter imperitus admodum foret;
Æſopus hunc sic admonuiſſe dicitur:

Non bellè egiſti; quid enim hinc erues boni ?
Tuum at ſodalem callidum emptorem puto :
In marmore ſuo pretioſam videlicet
Senſit latere ſtatuam ; & hanc facilè eruet.
Materiam habere idoneam parum eſt, nisi
Hanc doctus expolire nôrit artifex.

FABULA XVII.

Aſini duo & Vulpis.

QUOD vulgò dicitur, *Aſinus Aſinum fricat*,
Dixêre Veteres, *Mutuum Muli ſcabunt* :
Id quò pertineat, ut Asini bipedes queant
Faciliùs pervidere, fabulam hanc dabo.
Par inficetum & illaudatum, Asini duo
Opiparè pransi, dulcibusque carduis
Bene recreati, dum inter ſe colluderent :
Heus, inquit unus ! ut placet, frater, tibi
Conditio noſtra ? corporis noſtri decor
Qualis videtur ? & oris iſta dignitas,
Iſti modò acuti, modò graves vocis ſoni,
Iſte aurium ſubtilis & nitidus apex,
Hæc cuncta quantum laudis habent & gloriæ ?
Reſpondet alter : Cur tacere nos pudor
Cogat, quod ipſa veritas loqui jubet ?
Nos ambo nempe belluli toti ſumus :
Res vacua ab omni controverſia patet.
Invidia si quid forſan obtrectaverit,
Quid tum ? more ſuo fecerit : ſolet invehi
In optima quæque : obtrectet igitur, & gemat.
Ut omnia Vulpis audierat : Vos ô nimis
Felices, inquit, beſtiæ, quibus licet,
Ab omnibus negata laudum munera,
Vobis ab ipſis invicem accipere, & frui !

FABULA XVIII.

Philomela, Corvus, & Bubo.

NATURA vernis pinxerat coloribus
Fetus repullulantes; formoſiſſimi
Ridebat anni blanda tempeſtas: dies
Feſtivitati candidæ ſimillimus
Abierat, & paraverat amicæ locum
Tranquillitati: Solis aurei calor
Extulerat ab agris molliter tepentibus,
Subtilem odorum copiam, quam paululùm
Noctis ſerenæ frigus addenſaverat,
Et in parentis regna telluris ſinens
Recidere, florum, floridarumque arborum
Diurnum odorem odore vincebat novo.
Philomela tales avida delicias capit,
Penitusque condit eruditis ſenſibus.
Sed efficaci mox ſcientiæ obſequens,
Inflat canorum guttur, & ad omnes modos
Intendit: acrem nunc, & argutam vibrat
Animoſa vocem, more clangentis tubæ:
Nunc languida premit, frangit, obſcurat ſonos;
Et deficere videtur, & medullitus
Amore flagrans intimo liqueſcere.
Favonius, quem lilia inter & roſas
Dulci tenebat inertiâ vinctum ſopor,
Evigilat; haſque mirans tam volubiles,
Tam delicati flexiones gutturis,
Ne ceſſet illa, metuit. Evigilat quoque
Corvus; at inepto tardus ingenio, & ſibi
Quòd ſomnus abrumpatur ægrè etiam ferens:
Quæ te mala, inquit, cuncta ubique dum ſilent,
Libido cogit, tam moleſtè ut perſtrepas?

Tibi videris bella cantrix: at tuæ
Mihi cantilenæ, moneo, valde diſplicent;
Illisque jam nunc abſtinere ni velis,
Ex me feres grande aliquod infortunium.
Philomela atroces verita minas obmutuit;
Multoque mane cùm vix diluceſceret,
Periculoſam præpotentis alitis
Viciniam reliquit, & ſe contulit
Celeriter in remotam ſolitudinem.
Ibi ſeſe doctis artibus operam dare
Impunè tandem poſſe credit: & leves
Per ſumma gramina zephyrorum ſpiritus
Cùm dulcè fremerent, ſibilumque ramulis
Mobilibus arbor musicum omnis redderet,
Et Phœbus etiam candidâ purus face
Innubilas per auras lucem ſpargeret;
His illa paret incitamentis: canit;
Simùlque varias celebrat agreſtis loci
Amœnitates, & voluptatem ſuam.
Sed in cavato proximæ trunco arboris,
Somno ſepultus, qui latebat, horridus
Bubo excitatur; quamvis & lucem oderit,
Paulùm progreſſus, voce ferali increpat:
Et, Inficetos ni ſtatim cantus, ait,
Finieris, iſtam vocem importunissimam
Ultor ego, vitamque simul eripiam tibi.
Hic denique ſuum miſera avis ſtudium abjicit;
Timensque corvos nocte, bubones die,
Silet, dolorve si urgeat, tantùm gemit.
Fabella ſcripta eſt in homines quosdam feros,
Muſa quibus omnis ſuavior bilem movet.

FABULA XIX.

Columba & Turtur.

Columba multùm conquerens, cum Turture
Communicabat luctus & metus ſuos:
Inſtare ſemper miluum; geminos ſibi
Rapuiſſe pullos nuper; quos nunc educat,
Hos pariter ſe metuere ne rapiat brevi,
Ipſamque matrem. Cui Turtur proprii immemor
Pericli, & hujus miſeriam tantùm intuens:
Secede mecum, dixit; nidulus eſt mihi
Prope hinc locatus; huc vos recipiam lubens,
Et te, tuamque ſobolem milui impios
Contra furores protegam. Illa ſed refert:
Eheu! miſelle, quid mihi auxilii potes
Præſtare, noſter quem tyrannus, ſi ingruat,
Simili pavore afficiet, & pari nece?
Periclitanti bellicoſus & valens
Ales si adeſſet.... verùm opem libentiùs
Humilibus humiles, quàm potentes offerunt.

FABULA XX.

Pica & Columba.

Pica & Columba pavonem convenerant
Urbanitatis exhibendæ gratiâ.
Dum redeunt: Iſte quàm mihi pavo diſplicet,
Malevola dixit Pica! quàm inſuaves ſonos
Emittit ore luctifico! cur non silet?
Pariterque turpes cur non obtegit pedes?

At innocens Columba contra sic refert:
Vitia hujus obſervare non licuit mihi;
Præſtantis autem corporis ſpeciem inclytam,
Caudæ nitorem, & æmulum gemmis decus
Mirata ſum, & laudare non ſatis queo.
Mali requirunt, carpere quæ possint, mala:
Laudare possint quæ bona, requirunt boni.

FABULA XXI.

Pueri duo.

Duo, ſtultus alter, alter autem callidus,
Pueri in commune invenerant aliquot nuces.
Quas cùm fregiſſet callidus, ſtulto dedit
Putamina caſſa, nucleos ſumpsit sibi.
Fruſtra ille, quod tenet, experitur, quid queat
Prodeſſe, deceptumque ſeſe intelligit.
At non decipiet ultra, dixit, & probè
Ulciſcar ejus fraudem, si qua fors ferat.
Hi poſtmodum ambo similiter quodam die
Cùm reperiſſent oleas; qui fallaciam
Nuper sibi factam corrigere pari dolo
Cupiebat: Id quod intra eſt, inquit, da mihi;
Tibi, quod eſt extra, tolle. Gaudet in sinu
Socius; jubentique illico morem gerens,
Capit sibi carnem oleaginam, dulcem cibum;
Duros miſello tradit ultro nucleos.
Nil uſus adjuvat, ubi deeſt prudentia.

FABULA XXII.

Noctua & Gallus.

Assueta tenebris, claram & illuſtrem magis
Lunam eſſe Sole, contendebat Noctua:
At Solis Gallus adventantis nuntius,
Fuge, cæca, dixit; Luna pallet, Sol redit.
Calumniam inſons non poteris feliciùs
Reprimere, quàm si, qualis es, te oſtenderis.

FABULA XXIII.

Apis & Eruca.

Rosæ obſtinatam erodere micantes sinus
Apis indignata vidit Erucam: Mala,
Inerſque beſtia, inquit, hos tam fulgidos,
Tam delicati, tali odore præditi
Floris colores te perimere non pudet?
Immo, refert illa, tam boni ſucci dapes
Præ ceteris naturæ conveniunt meæ;
Nihil & veneno, quo meum corpus viget,
Eſſe reparando magis idoneum puto.
Mulctatur hujus acerbitate fabulæ
Criticorum acerbum & lividum quoddam genus.

FABULA XXIV.

Pica, Cornicula, & Vulturius.

EXASPERATA trucibus in Corniculam
Odiis, Vulturium Pica famelicum videns,
Sic allocuta eſt: Quæ tenet aves ceteras,
Corniculam in ulmo nidulantem proximâ
Viſendi num te cupiditas pariter tenet?
In me quidem ejus nulla ſunt, quæ prædicem,
Officia; laudem agnoſcere tamen quamlibet,
Vel in hoſte, cogor veritatis viribus:
Dicam ergo, quæ mirata ſum: prolem educat
Teneramque, pulchramque, & matri simillimam;
Namque ipſa pulchra eſt; &, quod aliis matribus
Fortaſſe nullis antea umquam contigit,
Pariendo & educando, non modò priſtinam
Non minuit illa corporis habitudinem;
Sed inde facta eſt etiam corpulentior.
Hoc excitatus perfido præconio
Suam Vulturius ſentit augeri famem;
Corniculæque celeriter nidum petit;
Matremque, prolemque pariter necat, & vorat.
Ultro malevoli laudant, ubi laudem magis
Eſſe nocituram, quàm calumniam, ſciunt.

FABULA XXV.

Boves duo.

VALIDI & opimi perpetuis laboribus
Se deſtinari cùm ſcirent Boves duo,
Ægrè ferebant: quorum contumacior
Unus recuſat operam, & detrectat jugum.
Quapropter illum, quando pinguis eſt ſatis,
Et corpulentus, debitum & officium negat
Præſtare, nec prodeſſe alio poteſt modo,
Interficit herus. Quod videns alter, ſua
Sic fata ſecum ruminat: Proponitur
Malum mihi duplex, labor, aut mors; mors eſt quidem
Finis laborum, at ipſa maximus labor:
Minima malorum ſemper eligenda ſunt;
Ergo laborare ſatius, inquit, quàm mori.

FABULA XXVI.

Quercus & Edera.

PRÆCLARA Quercus, arboribusque ceteris
Excelsior, in omne dominabatur nemus.
Huic Edera nexu circum adhærens lubrico:
Numquid, ait, iſta te juvat tanta arborum
Frequentia, quòd sic te ambiat, sic te premat?
At nonne potiùs nimis obumbrando nocet?
Tum Quercus: O, tace, invida; tu ſola hîc noces.

FABULA XXVII.

Cuculus & Luſcinius.

SUUM Cuculus cantum ab omnibus videns
Rideri, ſecum, quidquid illud eſt mali,
Rem tacitus omnem penſat; & bonâ fide,
Non bellè canere ſeſe, demum intelligit.
At inde cauſam credit infortunii
Eſſe repetendam, quòd duos tantùm modos
Iterare nôrit. Luſcinium ergo, muſicæ
Artis magiſtrum, pretio, precibus illicit,
Melicam ut docere varietatem ſe velit.
Sed ille fruſtra cùm tentâſſet indolem
Diſcipuli ineptam: Didiceris vocem licèt
Rite modulari, nil tibi, inquit, proderit;
Vox dura reddet ſemper inſuaves ſonos.
  Artis ope fruſtra variam natura induit
Vitioſa formam, si vitiositas manet.

FABULA XXVIII.

Aquila & Corvus.

AQUILA exprobrabat Corvo infamiæ notam;
Quòd projectorum putridis cadaverum
Veſci ſoleret carnibus. Sed utrius,
Amabo, ait ille, facinus odioſum eſt magis?
Corvi, qui nullas devorat nisi mortuas
Pecudes, an Aquilæ, vivas quas depaſcitur?
  Illuſtria quædam ſcelera ſunt: at maxima
Sæpe ibi pudendi cauſa eſt, ubi minimè pudet.

FABULA XXIX.

Canis mutare conditionem coactus.

ALIQUOT per annos vixerat Canis domi,
Si non planè otioſus, at leviſſimis
Mutare ſolitus otium laboribus;
Profeceratque non ineptis luſibus,
Familiam ut omnem benevolam ſibi redderet:
Sed herus ab illo poſſe cùm magis utilem
Operam dari intelligeret, ipſum præfici
Cuſtodiendo voluit agnorum gregi.
Obtemperavit, at perinvitus, Canis,
Talemque obivit triſticulus provinciam.
Ægram videlicet huic moleſtiam creat
Pecudum inquieta ludibundarum indoles;
Simulque earum maxima imbecillitas.
Procedente tamen tempore, ut blandiſſimæ
Mitiſſimæque gentis innocentiam,
Modumque vitæ simplicem exquiſitiùs
Cognovit, hanc amavit; & munus ſuum
Incepit aliquâ cum voluptate exſequi.
Sæpe ibi voluptas, ubi neceſſitas fuit,
Paulatim ab ipſa naſcitur aſſuetudine.

FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER SEPTIMUS.

PROLOGUS.

ÆSOPIARUM ut fabularum dignitas
Magis magiſque commendetur, hîc libet
Narrare, quantum laudis ad faſtigium
Memoria Æſopi gentem apud doctiſſimam
Evecta fuerit. Nam ille, poſtquam delphicæ
Facinore gentis ſubiit injuſtam necem,
Cùm jam per omnem Græciam cognomine
Sapientes ſeptem nuncuparentur viri,
Sapientum octavus non reputatus eſt modò,
Statuas ſed inter iſtis poſitas, Attici
Voluêre formâ insigniore, & in basi
Majore ſtare hunc ſculptum Lyſippi manu.
Et meritò : namque Pittacus, Thales, Bias,
Myſonque, Chilonque, & Cleobulus, & Solon
Præcepta vitæ tradiderunt aſpera,
Duraſve leges, aut graves ſententias :
At veritatem callidè Phryx noverat
Hominibus approbare, quippe qui jocis
Dulcibus elueret ejus amaritudinem :
Et his fuiſſe mihi videtur artibus

Tantò ſapientibus aliis præſtantior,
Quantò ille medicis omnibus longè foret
Exiſtimandus doctior, qui ſuavibus
Quoſcumque morbos remediis depelleret.

FABULA I.

Perdix & Canis venaticus.

ODORE Perdix, quæ ſe prodiderat ſuo,
Venaticum consiſtere ſubitò Canem,
Et ſubsidère, & omnem frangere impetum,
Et quasi cavere, ne quid officeret, videns,
Nihil timendum jam sibi eſſe credidit.
Sed iſta volucrem decipiebat credulam
Species doloſa fictæ manſuetudinis;
Eratque signum, greſſibus tacitis hero
Huc ſe inferenti, præda ut innoteſceret:
Et rem ille pulchrè intelligit; & ubi ſatis,
Accessit, aliquo metu Perdicem excitat,
Et avolantem missili plumbo necat.
Nocitura numquam certiùs eſt malignitas,
Quàm cùm perſonam lenitatis induit.

FABULA II.

Viator & Platanus.

LABORE, & æſtu Solis ardentissimi
Feſſus Viator, Platani in umbra languidos
Deponit artus: dumque zephyrorum leves
Admittit auras, & vapores igneos

Caulas per omnes corporis ſenſim ejicit;
Torvis pererrat oculis beneficam arborem,
Ipſamque duris appetit conviciis;
Quòd tam formoſis, tamque denſis frondibus
Exuberaret, at careret fructibus.
Reſpondet illa: Túne maledicas mihi,
Ingrate? ſaltem oportuit laudabilem
Hâc me videri parte, quòd proſim tibi.

FABULA III.

Luporum Legati ad Anglorum Regem.

Legatos olim Regem ad Anglorum Lupi
Miſerunt. Unum genere de ſuo marem,
Unamque feminam ejus in terras rogant
Portare liceat. Providus Rex abnuit;
Iſtique, dixit, recipiantur si duo,
Mox facilè creſcant milliarium in gregem:
Etenim malorum citò propagatur genus.

FABULA IV.

Canis fugitivus & Herus.

Canis ex herili qui domo migraverat
Fugitivus, ab hero poſtmodum inventus ſuo,
Herumque ſe benignum cur sic linqueret,
Interrogatus: Te quidem fateor mihi
Et liberalem ſemper, & mitiſſimum
Fuiſſe dominum, dixit; at tua interim
Omnis familia perpetuis cæſum malè

Verberibus hœc me denique miſerum impulit
Ut hoc deſugerem, non quod infortunium
Intuleris, at quod te prohibere oportuit.
Vetare, ne mala inferantur, qui poteſt,
Et non vetat, idem, ac ipſe ſi inferret, facit.

FABULA V.

Jupiter & Ruſticus.

QUIDAM locatum ab ipſo maximo Jove
Fundum feracem Ruſticus conduxerat,
Tranſegeratque, & pactionem fecerat,
Ut conſtitutos intra limites agri
Sibi ordinandas tempeſtates traderet.
Lætissimus ergo, ſpesque animo magnas movens,
Proſcindit arvum; mandat, occat ſemina:
Et ſudum, & imbres, & calorem, & frigora
Inducit, utcumque optimum fore autumat:
Tamen ad extremum peſſimas ſegetes metit.
Secum querentem commiſeratus Jupiter
Compellat ultro: Teque, dixit, an ſciam
Moderari meliùs, & varias anni vices
Utiliùs ducere, experiri nunc decet.
Cúmque abſtuliſſet annuenti Ruſtico
Imperium ineptis malè gubernatum artibus;
Hortatur, operam is ut velit modò impiger
Adhibere: tempeſtates ipſe digerit
Ratione ſolitâ; & hujus agro largiens
Benignitatem lege communi ſtatam,
Demum paternis omnia curis temperans,
Ad eos facit rem progredi ſenſim exitus,
Ut redeat ampla meſſis: quam dum Ruſticus
Colligere properat, gratus hanc vocem edidit:
Divinâ

Divinâ qui ſe Providentiâ regi
Sinit, unicè illum ſapere nunc intelligo.

FABULA VI.

Lepores, Canes, & Vulpes.

Effugere ſemper impetus primos Canum,
Cùm cogerentur Lepores, etſi maximos
Conflare ſæpe didicerant exercitus,
Vulpinam ad gentem ſupplicatum denique
Misêre, vellet auxiliares copias
Sibi commodare. Vulpes, quas odium vetus,
Et ira ſtimulat acris adversùs Canes,
Auxilia ſpondent: coeunt: ad pugnæ locum
Properant frequentes; at, quibus operam dicant,
Stare otioſos, utpote imbelles, jubent,
Ne fortè ſolitâ timiditate exterriti,
Corrumpant animos dimicantûm ſtrenuè.
Lepores promittunt, legibus ſe inertiæ
His, quamquam turpibus, obſecuturos fore.
Pugnam ergo placidi ſpectant. Poſtmodum tamen
Et numero & aſtu ſuperiores Vulpium
Phalanges Canibus prævalere cùm vident,
Concurrere audent, ſi queant aliquam ſibi
Afferere partem laudis & victoriæ.
Sed ubi intuentur propiùs in teterrimis
Fœdè excubantes vultibus hoſtium minas,
Cæco pavore omnes ſimul verſi retro
Fugêre; turmiſque ſocialibus malo
Suasêre exemplo, caperent ut ſimilem fugam.
  Pugnare ſolos bellicoſos expedit.
Imbellium agmen officit, nedum adjuvet.

FABULA VII.

Leo furioſus, & Lepus.

LEO furioſus factus eſt: clamat Lepus:
Nos, heu! puſillos quanta pernicies manet!
Quod vix ferendum, quamdiu is ſanus fuit,
Credidimus, quale nunc videbitur jugum?
Spes denique omnis infimos tunc deſerit,
Furor ubi comitem ſe poteſtati dedit.

FABULA VIII.

Canis mordax.

MORDERE prætereuntes aſſueto Cani
Appenderat herus parvum tintinnabulum,
Ab eo cavendum ut omnibus noteſceret.
Hoc ille ſigno gloriatus eſt, quaſi
Virtutis eſſet præmium ſibi datum.
Quod aliquis animadvertens: Fruſtra, o peſſime,
Tibi plaudis, inquit: nam æris iſtius ſono
Quisque admonetur de tua prava indole.
Fabella quoſdam carpit, vertere qui ſibi
Tentant honori infamiæ turpem notam.

FABULA IX.

Hirundo & Luſcinius.

Obstrepere ſolita quamlibet circa domum
Hirundo, amœnam fortè ſolitudinem,
Petierat. Ibi Luscinium, qui lauro ſuper
Virente placidus otiaretur, videns:
Suaves canoro gutture te quidem ferunt
Emittere ſonos, dixit: nil tamen hactenus
Ejuſmodi ex te audire nobis contigit:
Ego verò ubique perſonans, vocis meæ
Impertio lubens omnibus dulcedinem:
At tu canendi singularis artifex
Si jure diceris, urbes cur porrò fugis,
Hominumque cœtus? ne tibi laudes negent
Meritas, vereris? an times potiùs, tuam
Dum conſcius ipſe agnoſcis imperitiam,
Ne fortè coram judicibus idoneis
Siſtaris irridendus; & prudens lates?
  Retulit Luſcinius: Urbes, & homines habent,
Quæ mihi placere poterant: tamen ante omnia
Molles beati ruris deliciæ placent;
Ac inter illas vivere & mori velim
Inglorius. Huncce cur libeat morem ſequi,
Turpes mihi cauſas imperitiæ objicis;
Tamen ipſe dicam ſimpliciter: cantus meos
Dare combibendos delicatis auribus
Minimè recuſem, si qua necessitas ferat;
Neque me deſpicio, neque peritos judices
Horreſco ſtultè timidus: at facile eſt mihi
Urbis carere turbulentis æſtibus,
Placidoque ruris otio dulce eſt frui.
Neque te videre poſſum quid tantùm juvet

Circùm ſuperbas ædes & palatia
Volitare, cùm debueris ipſa ſæpius
Perſpicere, quantum cunctis auribus tuæ
Afferre ſoleant cantilenæ tædium.
Plerumque contra, quàm fas & ratio velint,
Lucem indoctus amat publicam, doctus fugit.

FABULA X.

Enſis & Vomer.

PROCUL hinc recede, ſordidâ ne me inquines
Conſortione, dixit Enſis Vomeri.
At ille contrà: Cur me, ait, sic deſpicis,
Superbe? Ferrum tibi pater eſt; eſt & mihi.
Deinde mihi quantùm debeas, an te latet?
Nam si otioſus non proſcinderem ſolum,
Ut fruges, quæ tuam herilem reficiant manum,
Naſcantur, illa nonne mox langueſceret?
Tunc te quid fieret? fortè in angulo jacens
Tenebricoſo duceres turpem situm.
Agricola eodem prorſus, ac Miles luto
Confictus eſt; ſed ille præſtat alteri,
Quòd operam nobis præbeat magis utilem.

FABULA XI.

Hariolus sibi non providens.

HARIOLUS olim cùm ſoleret in foro
Suam futuri venditare ſcientiam,
Miſeroſque pauper ageret interim dies,

Uſu peritus aliquis : Quomodo, ait, fidem
Tibi possim habere, cùm ipſe non prævideris
Tua fata, teque certò periturum fame,
Artem ni abjicias hanc modò tuam futilem;
Aliamque diſcas, quâ tibi victum pares?
 Malè prævidet ille, qui ſibi non providet.

FABULA XII.

Opilio & Oves.

ADEONE vobis cæcus illudit pavor,
Ut, cùm coactæ ſitis in tantum gregem,
Unus, nec ipſe mole major corporis,
Vos terreat, in fugamque convertat Lupus,
Demumque prædam facilè ſic tollat ſuam!
At ſi Latronem occidere, ac diſcerpere
Nimis benigna veſtra non fert indoles,
Obsiſtere ſaltem audete, ne quid audeat.
 Orationem hanc Opilionis approbant;
Deincepsque vim ſe vi repulſuras fore
Spondent Bidentes. Credidit Opilio bonus:
Et quo quietis poſſet aliqua pars capi,
Tempus ſibi eſſe ſatis idoneum ratus,
Secessit, & ſupinus ſomno ſe dedit.
At mox, gregatim celeri pede fugientium,
Multus Bidentum ſtrepitus ipſum ſuſcitat.
Fugæ ille cauſam quærit, & nullam invenit,
Perflante niſi quòd vento inhorruit rubus.
 Augetur ipſo imbellium numero pavor.

FABULA XIII.

Ardea & Piſces.

TENUIBUS & proceris nixa cruribus,
Longoque collo, roſtro longo prædita
Stabat silentis Ardea lacûs in vado;
Et exſpectabat, si qua fòrs occurreret
Idonea sibi præda. Piſces adnatant:
Barbus, cyprinus, perca, tinca, lucius,
Eunt, redeuntque: accedere propiùs videt,
Ut eligendi, capiendique jam labor
Supersit unus: at vel exiles nimis,
Parumve dignos, qui gulam demulceant
Tam delicatam, reputat illa; & singulos
Superba omittit. Interim aliò piſcium
Sua turbam levitas, aut libido provehit;
Abitque tempus; & ſupervenit fames
Immodica. Vilis ac pusillus gobio
Tunc fortè cœno emerſus huc adremigat.
Advertit omni vacua jam faſtidio
Ardea; ſatiſque ſe beatam exiſtimet,
Donare ventri talem si prædam queat.
Hiantis ergo roſtri longitudinem
Demittit in aquas ſubitò: ſed citatior
Aviditas frangit omnis vim ſolertiæ;
Vadumque turbat tantùm aberrans impetus.
Hìc mœſta quidquam perfici poſſe Ardea
Deſperat; infelixque litus deſerit:
Abſcedit, & limacem in immundum incidit;
Ipſumque, ſprevit quæ optimos piſces, vorat.
Parabile quisquis capere faſtidit bonum,
Meritò ille pœnas ſtultæ dat ſuperbiæ.

FABULA XIV.

Aſellus & Liber.

LIBRUM elegantem quidam Aſellus reperit;
Simul improbavit, atque diſcerpſit jocans.
Audaciorem ſtupiditas Criticum facit.

FABULA XV.

Talpa & Olitor.

SUB humo, intubiſque rapuliſque conſitâ,
Tenebricoſum Talpa fodiebat larem:
Et, Fuerit Olitor, inquit, Argo oculatior,
Tam bene latentem ſi me deprehenderit.
Sed glebulas dum trudit, & ſurſum aggerit,
Fit tumulus, operam qui latentis indicat.
Advertit Olitor; inſidiaſque faucibus
Collocat in ipſis latebræ, & incautum capit.
Malefici ſemper aliquâ ſe produnt viâ.

FABULA XVI.

Ollæ duæ.

OLLÆ peregrinari voluerunt duæ,
Una ænea, altera fictilis. Dixit prior:
Nam quò diverſa ſic abis, ſoror? mihi,
Quàm proximè licebit, eſſe velis comes;

Ab offendiculis liberam tibi viam
Præſtabo, teque dura fragilem protegam.
Imprudens illa paruit; ſed invicem
Dum gradibus ambæ, quippe tripedes, ambulant
Malè temperatis, dura fragilem conterit.
Ne ſocietatem inire cum potentibus
Collibeat, homines fabula tenues monet.

FABULA XVII.

Milui & Columbæ.

OLIM efferatis hinc & inde partibus
Inter latrones Miluos exarſerat
Civile bellum. Jam, protervis traditas
Ludibria ventis, mutuus crebras furor
Avulſerat alas; multa jam teterrimis
Tranſverberata roſtris, lacerata unguibus,
Data leto fuerant corpora; jamque plurimus
Alto caducus ab æthere pluerat cruor.
Tenero Columbas corde præditum genus
Luctifica ſpecies tam horridæ cladis movet:
Hos inter, aiunt, media pax nisi venerit,
Brevi eſt futurum, ut deleatur funditus
Gens miluina. Hoc ſcilicet reputant malum
Benignæ, & eſſe præcavendum judicant:
Igitur precando, commonendo, hoc denique
Proficiunt, animos ut feroces molliant,
Induciaſque ſuadeant, mox & rato
Utrinque fœdere ſanciant pacis fidem.
Aſt ubi reliquit Miluos diſcordia,
In ejus expultrices omnis impetus
Sceleratæ gentis verſus eſt. Tunc ſentiunt
Miſeræ Columbæ, tutius numquam bonis
Ævum eſſe, quàm cùm dissidium eſt inter malos.

FABULA XVIII.

Puella & Naïas.

PUELLA quædam lucidum ad fontem ſedens
Suam in liquoris ſpeculo pulchritudinem
Inſpicere amabat. Crevit interea sitis:
Hanc ut levaret, hausit aquam cavâ manu;
At omnis inde perturbatus eſt liquor.
Ergo illa, quòd nil cernere jam possit, dolet,
Queriturque. Naïas imi fontis incola
Emergit; &, Te cernere ut possis, ait,
Quam tu fugâſti, exſpecta dum redeat quies.
Se noſcere ipſum qui cupit, placidum sibi
Ut ſe ipſe ſiſtat, hâc monetur fabulâ.

FABULA XIX.

Catellus & Moloſſus.

MINUTULUM Catellum viginti aureis
Venire in urbe cùm videret Ruſticus:
Tantine fieri, dixit, animal tantulum!
Quid autem, quid si corporis amplitudine
Æqualis eſſet canibus noſtris? Eugepæ!
Nos facere talem mercaturam convenit.
Rus ergo mox ille ad ſuum revertitur;
Moloſſumque simul horridum, immanem eligit;
Extrahit in urbem; ſpeque præſumens lucrum,
Venalem exponit nobili mulierculæ.
At hujus famulis traditus ludibrio,
Fructum labori ridiculo parem tulit.

G v

Non omnis, quò magis ampla, merx proba hòc magis:
Eſt, quam commendat delicata exilitas.

FABULA XX.

Equus ſeneſcens.

ANNOS apud herum divitem multos Equus,
Omni bonorum inſtructus affluentiâ,
Et dulce, nulloque umquam corruptum gravi
Labore, captans otium, peregerat.
At cùm ſenectus adveniret, & dies
Auferret aliquod uſque ſpolium corporis,
Mox ille cœpit negligi, mox deſpici,
Mox odio haberi: pertrahendo denique
Plauſtro admovetur. Tum ſuam infelix vicem
Dum queritur, alius quadrupes, cui ſe additum
Tam duro in opere faciendo ſocium dolet:
Age ſanus, inquit, hoc reputa, laboribus
Nos eſſe natos perferendis maximis;
Vaniſque ſortem exaſperare queſtibus
Jam desine. Triſtis autem ſocius hæc refert:
Diſparibus agimur fatis: miſerias enim
Tu nôſti tantùm; eaſque paſſus tamdiu,
Ferre didiciſti: contrà verò mollibus
Ego in deliciis antea uſque vixeram;
Et nunc eò redire ad extremum mihi
Rem video, ut illum proprio exemplo probem
Bis eſſe miſerum, qui ex beato ſit miſer.

FABULA XXI.

Avis ſolitaria.

PROCUL remota ab omni conſuetudine
Volantum, & imæ vallis in ſinu latens
Amœno, placidos quamdam Avis agebat dies.
Vitæ ſed illa ſolitariæ tamen
Senſit aliquando tædium; & ſe protinus
Inferre ſtatuit cœtibus gentis ſuæ.
Migrat. Strepentem corvorum in turbam incidit:
Hos turpibus rapinis ſuetos vivere,
Edacitate fœdâ percitos, gulâ
Stimulante atroces, pro cibis leviſſimis
Querelas, rixas, pugnas roſtro & unguibus
Movere ferreâ obſtinatos indole,
Diſcordiarum perpetuus agitat furor.
Pauliſper ergo ſuſtinere vix poteſt
Avis pacifica tale contubernium:
Refugit. Hinc ad aquilarum contendit gregem.
Nobilibus illæ, & glorioſis artibus
Se devoverunt: laudis ad faſtigium
Animos valentes uſque & uſque ſuſcitant
Generoſa ſtudia: ſed ſimul ambitio mala,
Simul ferocibus odiis crudelitas
Exaſperata, nunc per occultum nefas,
Nuncque per apertos & violentos impetus
Patrare ſuadent omne criminum genus;
Nec judicatur quidpiam illicitum, modò
Huic dignitatem grandis eventus paret.
Simul atque ſenſit factiones improbas
Avis modeſta, & auſus tam nefarios,
Exhorruit, & receſſit. Paulò poſt videt
Valle in reducta ſerpere illimes aquas,

Frondere denſas arbores ; audit ſonos
Arte modulatos muſicâ ; huc delabitur,
Aveſque gaudet reperiſſe deditas
Studio canendi : Ibique vera, quam peto,
Niſi ſit voluptas, eſſe, ait, nuſquam putem.
At miſera doctas cantrices diſſensio
Perturbat : omnes laudis immodicus tenet
Et macerat amor : nulla ferre ſuam poteſt,
Dignamve laude juſtâ cenſere æmulam :
Hinc livor, & ſimultas, & calumnia
Ultro citroque commeantes ſæviunt,
Luctumque ſpargunt. Hæc mala videt, & gemit
Avis benigna ; mox & infidum nemus,
Sedeſque falsâ ſpecie blandas deſerens :
Repetamus, inquit, noſtram ſolitudinem.
Quod cupimus, noſtro gerimus in ſinu bonum ;
Alibique fruſtra quæritur felicitas.

FABULA XXII.

Muſtela, Cuniculus, & Felis.

MUSTELA vacuam cùm Cuniculi domum
Fòrs reperiſſet, ſubiit, & propriam sibi
Facere decrevit. Interim e paſtu redux
Cuniculus, ubi vidit hoſpitam novam,
Hos jure monuit eſſe hereditario
Suos penates ; egredique protinus
Vellet, rogavit. Illa verò quamlibet
Terræ eſſe partem cuilibet propriam negat ;
Et ſe juvari lege naturæ, & frui
Vacuum occupantis jure, contumax refert.
Contentioni poſtquam inutili datus
Utrinque locus eſt, Felem ad extremum placet

Eligere litis ſiniendæ judicem.
Hæc vetula, vitam quæ nefariam ſibi,
Aſſiduis aucta furtis, prorogaverat,
Sanctoque vultu tegere fraudes impias
Pulchrè didicerat, læta clientes excipit:
Et, Lis, ait, omnis veſtra dirimetur brevi:
Accedite modò; namque paulò ſurdior
Effecta ſum; ætas attulit id incommodi
Provecta; propiùs, filioli, huc accedite.
Parens. Satis illa ſibi propinquos ut videt,
Rapacem utrique hinc inde falculam injicit,
Litemque dirimit, litigantes dum vorat.
Periculoſum eſt hominibus, cùm diſſident,
Potentiorem ad arbitrum recurrere.

FABULA XXIII.

Senex & Mors.

ANNOS homo centum qui ferè compleverat,
Demum advenire Mortem ſenſit; & nimis
Properanter illam ſic agere ſecum, querens,
Oravit, ut ne priùs obire cogeret,
Quædam expedita quàm forent negotia:
Saltem exſpectaret, dum ex nepote filii
Brevi futuras confeciſſet nuptias;
Factoque ritè teſtamento, ab omnibus
Remotam rixis familiam relinqueret:
Quòd ſi migrandum hinc ſibi fuiſſe tam citò,
Præmonitus eſſet... Hìc Senem ultra Mors loqui
Non paſſa: Funeris habet mille nuntios
Senectus longa, dixit; & prædam abſtulit.

FABULA XXIV.

Teſtudo & Anates duæ.

Peregrinandi varias in mundi plagas
Teſtudinem olim cupiditas maris incolam
Incessit. Adeò, dici quod vulgò ſolet,
Verum eſt: tardipedes ſtare vix poſſe in loco.
Hæc conſpicata fortè paſcentes duas
In litore Anates: Vos o felices, ait,
Quibus remotas viſere licet, cùm libet,
Regiones! noſtra non obeſſet tarditas,
Et illa, quam geſtare cogimur, domus
Non impediret; hoc mihi mare protinus
Deſerere, meque terras hinc ad ultimas
Transferre libeat. Iſta ne te maceret
Libido, dicunt Anates; ipſam, si velis,
Nos ambæ facilè explere, ſtatimque, poſſumus.
Se ſpondet autem beneficii memorem fore
Teſtudo. At illæ, ramus ut fortè arboris
Exciſus aderat, tollunt; &, Medium, inquiunt,
Premere memento hunc apprehenſum mordicus;
Aptantesque per os domiportæ simul inſerunt;
Caveatque porro ne dimittat, admonent;
Ipſæque mox, ejuſdem extremis virgulæ
Partibus utrinque pariter admorsis, volant,
Noſtram & per auras efferunt Teſtudinem.
Res ubi perſpecta eſt proximi pagi incolis,
Stupuerunt omnes inſolens ſpectaculum;
Et clamitantes ire per arduum æthera
Teſtudinem, immo reginam Teſtudinum,
Eam ſalutant. Stulta geſtit, & impotens
Lætitiæ inanis: Verè, ait, regina ſum.
Tacuiſſet illa, feciſſet prudentiùs;

Namque os apertum ſuſtinentem virgulam
Poſtquam reliquit, ipſa duris cautibus
Illiſa periit. Sic, mala curiositas
Quod meruit, inepta gloriatio attulit.

FABULA XXV.

Ad Iſaacum Belletum doctorem medicum.

Formicæ duæ.

TUA, Bellete, jucundâ morum indole,
Tuâ doctrinæ varietate amabili,
Tuâque facilis & elegantis ingenî
Feſtivitate huc uſque dumtaxat mihi
Aut ægritudo mentis, aut hujuſmodi
Sensim levari quodpiam potuit malum:
Tuâ ſed arte nuper, ac vigilantiâ
Assiduâ & efficaci bis veterem meum
Amicum morte liberâſti proximâ:
Quapropter habeo gratiam tibi maximam.
Mihi verò talem ne ſalutiferam tuam
Cogaris olim similiter operam dare,
Caveo mehercle diligenter: & cibus
Ob id ipſum mihi vulgaris ac tenuis placet;
Potentiumque vito mortiferas dapes:
Et aliqua verbis ut meis auctoritas
Accedat, eſto talis exempli fides.
Viles parabilesque contentæ cibos
Adhibere, vitam ſuſtinebant commodè
Duæ Formicæ. At una quondam tædio
Affecta, ſortisque melioris appetens,
Diſcedere domo cœpit paulò longiùs,
Dum perveniret denique in quoddam horreum,

Bellariorum omni refertum cópiâ.
O Jupiter, ait, hoſpitalis, quod bonum
Mihi venit hodie, perpetuum facias precor!
Simulque dulcem, ſaccharum, dapem eligit;
Comeditque, si non aviditas quantum jubet,
At parva quantum continere alvus poteſt.
Opipare pranſa pauperem ad cellam redit;
Limenque vix ingreſſa narrare incipit
Omnem munificæ Sortis oblatam sibi
Benignitatem; & hujus in partem boni
Invitat ultro ſociam, & admovet preces
Sollicita blandas. Illa verò pertinax
Repugnat: Cúmque nunc ſatis bene sit mihi,
Periculoſum judico, inquit, o ſoror,
Studio & labore, meliùs ut sit, diſtrahi.
Sed altera nil jam, nisi deguſtatas ſemel
Delicias, cupiens, ordinariam terit
Eſcam ſuperbo dente, & in ægram nauſeans
Demittit alvum; & quàm licet ſæpissime
Revisit horreum, unicè quod jam placet.
Intemperanti dum sic obſequitur gulæ,
Se facere credit ſtulta multum corporis:
At vilibus olim venter aſſuetus cibis,
Offenditur iſtis delicatioribus,
Quorum uſus etiam largior damnum aggravat.
Demum illa vitam dum sibi vult reddere
Jucundiorem, multò breviorem efficit:
Miſeræque funus beſtiolæ curat ſoror,
Mœſta quidem, ſano ſed vigens corpuſculo.
Admonitus hoc exemplo, magna divitum
Contemnere pauper facilè poſſum prandia.

FABULA XXVII.

Corvus & Lepus.

PER odora rura dum thymum carpit Lepus,
Volans per auras hunc simul Corvus videt,
Simulque venatores adſpicit procul :
Miſeramque pecudem nisi, ait, admoneam citò
His facilè fiet præda venatoribus.
Delapſus ergo poſtquam conſedit ſolo,
Leporem quietum hortatur monitor anxius,
Fugiat, ſuumque in latibulum ſe recipiat,
Ac venatorum vitet adventum, & necem.
His ille monitis paruit, falsis licèt ;
Nam venatores aliò curſum verterant.
At Corvus, ut humo tollere ſe tentat, pedes
Retineri ſentit impeditos caſſibus,
In quos latentes induit ſe improvidus,
Saluti alterius providere dum cùpit.
Rebus alienis qui ſtudent vigilantiùs,
Quàm ſit opus, hi ſæpe nihil in propriis vident.

FABULARUM
ÆSOPIARUM
LIBER OCTAVUS.

PROLOGUS.

Bis mille ante annos, terque centum circiter,
Fortunæ crimen alti dotes ingeni
Cùm vindicâſſent, Phryx Æſopus exiit
E ſervitute, Sardibusque floruit,
Regnante Crœſo: hic forte proſperâ fruens,
Suoque ſummè gratioſus principi,
Quas, libertate dum careret, fecerat,
Collegit ipſe, & publicavit fabulas.
Hæ notuêre in Græcia; has & favor
Excepit ingens, has librarius frequens
Exſcripsit, omnium his inſudavit manus:
Et quia potentes & humiles, pueri & ſenes,
Sophique & ipſe Socrates eas probè
Diſcebant, ac tenebant etiam memoriter;
Quoſdam impulêre hæc, falſam ut induerent sibì
Perſuaſionem, nullas umquam literis
Mandâſſe Æſopum fabulas; tantummodò
Recitâſſe, quas feciſſet; denique has diu
Non aliter, hominum quàm per ora traditas
Percrebuiſſe. At Græcis illum ceteris

Scriptoribus omnis annumerat antiquitas.
Neque tamen omnes, quæ ſub ejus nomine
Circumferuntur, apologorum texuit
Narrationes: immo verò vix licet
Dubitare, quin pleraſque temeritas rudis
Librariorum eas interpolaverit;
Quaſque edidit, harum plurimas affinxerit
Planudes ille, Maximus prænomine,
Re fabulator & nugator maximus.
Sed fraude quamvis barbarâ ferè omnibus
Æſopi, quales nunc habemus, fabulis
Inducta forma eſt deterior; illæ tamen
Facetæ adhuc ſunt, & valent reconditis
Sententiarum, luminumque dotibus.
Certè apologorum ſemper unus hic mihi
Theſaurus eſſe viſus eſt ſanè utilis.
Secutus ergo exempla multorum, hinc opes
Aſſumere mihi idoneas non deſtiti;
Iſtumque porro confeci omnem prologum,
Ne quis beneficii immemorem me diceret.

FABULA I.

Momi cenſura.

OPUS quiſque ſuum abſolverant, taurum quidem
Neptunus, hominem Jupiter, Pallas domum:
Momum advocârunt; &, Super his quid ſentias,
Ediſſere nobis, inquiunt. Poſtquam ſatis
Cuncta ille ſeſe examinâſſe credidit:
Cur non ſua tauro cornua infra oculos, ait,
Sunt collocata, ut meliùs ictum dirigat?
Certè hominis pectus, perfidis plenum dolis,
Non occulendum, ſed feneſtrandum fuit.

Iſtique domui nonne oportuit rotas
Submitti, ut poſſit, quò libet, circumvehi?
  Induſtria quidquid ſumma, & eximius labor
Perficiant, ſemper aliquis obtrectaverit.

FABULA II.

Papilio & Apis.

PAPILIO volucer, florum amator frivolus,
Dum levibus alis viſere ad cunctas opes
Redolentis horti properat, & violæ modò,
Modò calthæ inane libat oſculum, & fugit,
Roſæ insidentem mollibus foliis Apem,
Dulceſque ſuccos exprimentem naviter,
Vidit, & accedens ſubſtitit aliquantulum,
Tam pertinacem illius diligentiam
Ut irrideret. At ea nihilo ſegniùs
Opus exſecuta: Futiles, inquit, jocos
Refellere verbis neque lubet, neque expedit;
Illud monebo tantùm: Qui dulce utili
Miſcuit, is omni dignus eſt ſuffragio.

FABULA III.

Divinus.

VENTURA fallax dum Divinus in foro
Prænuntiabat, verus illi nuntius,
Suam patere foribus effractis domum,
Neque reliquum intus eſſe jam quidquam boni,
Repentè vênit. Ergo, quò damnum vocat,

Homo meus ire properat. Tunc adſtantium
Unus : Alienam quis jam, ait, ſortem putet
Te prævidere, cùm tuam haud prævideris?
Ad hos fabella pertinet, qui res amant
Alienas curare, propriasque negligunt.

FABULA IV.

Accipiter & Noctua.

ACCIPITER olim Noctuæ promiſerat,
Et obligârat jurejurando fidem,
Pullis ab ejus, quamvis urgeret fames,
Et roſtrum & ungues cohibiturum ſe fore.
At ne qua forſan cupiditas, inquit, mala
Olim in tuorum damna me inſcium ferat,
Ediſſere, hos porro quibus agnoſcam notis.
A ceterarum fetibus avium meos
Diſtinguere tibi eſt facile, dixit Noctua:
His nulla namque mater edidit pares,
Adeò venuſtam corpore ſpeciem gerunt,
Tam singulari florent pulchritudine!
Probè meminero cuncta, diſcedens ait
Accipiter; & cavebo, ne noſtra indoles
Aliquid in tales formas audeat mali.
Poſtridie auras dum volando circinat
Jejunus, ultra ferre nec poteſt famem,
Turris vetuſtæ latibula ſubitò petit:
Ibi per omnes quæritat prædam cavos;
Pullosque demum Noctuæ ipſos invenit,
Tenebricoſo nidulo extrahit; videt
Triſtes, horridulos: Noſtraque his tam turpibus
Amica, dixit, vitam certè non dedit,
Quæ tam venuſtos, tamque pulchros educat.

Nec plura; ſimulque eviſceratos devorat.
Hæc inficetum fabula indicat librum,
Quem si modeſto venditari nuntio
Critici viderent, fòrs illæſum omitterent;
At, si elegantem ſtultus auctor prædicet,
Hi rite expenſum acuto diſcerpunt ſtilo.

FABULA V.

Melezia & Larix.

In Tranſpadano nemore nuper exſtitit
Meleziam inter & Laricem contentio.
Melezia prior: Sorte, ait, fatis meâ
Me gloriari, & eſſe contentam licet:
Apud omnes quippe Phyſicos noſtri temporis
Peritiores noſtrum & nomen & decus
Celebratur: dum te venditatam judicant
Scriptorum inani veterum teſtimonio,
Priscaque laude deſtitutam vituperant
Critici ſagaces. Contrà sic retulit Larix:
Adjicere, ſtulta, debueras, etiam mihi
Has nunc negari dotes, ipſa quas dedit
Natura: miram nempe in altitudinem
Me ſurgere, quam tu sic puſilla vix potes
Adſpicere; quolibet intemeratam tempore
Consiſtere mihi viriditatem frondium,
Ut nuda tu videbis, omni te simul
Honore Boreas ingruens ſpoliaverit;
Ac denique nullis ignium me viribus
Verti in favillas poſſe, quod certis sibi
Notum eſſe multisque experimentis graves
Et eruditi docuerunt olim viri.
Quid plura? debes vel tuis præconibus

Fidem negare, vel credere & id, quod volunt,
Me, qualis adſum nunc tibi, me ſcilicet
Numquam exſtitiſſe; teque flammis tam citò
Aboleri facilem, te caducis frondibus
Inſtructam, Laricis eſſe reputandam loco.
Meum at tam diſpar, tam longè præſtans tuo
Genus reverere; cujus excellentiam,
Laudemque fictas æſtimare fabulas
Critici si pergant, hoc sibi dictum putent:
Non ſemper infitiari licet, ubi non liquet.

FABULA VI.

Edera & Murus.

PERMITTE, dixit Edera Muro blandiens,
Ut fragilis, & me ſuſtinere neſcia,
Tibi tam ſtabili, tamque firmo adhæream.
Haud renuit ille; at ſentiens hanc poſtmodum,
Stirpibus hac, illac furtim permeantibus,
Cæmenta ſolvere, & lapidum compaginem
Laxare, queritur; herumque communem rogat,
Diſrumpere velit nexibus conſortium
Malè ominatis initum, & ejicere procul
Plantam nocivo sibi jugatam fœdere.
Audit querentis herus preces, & approbat;
Stirpesque tentat noxias revellere;
At cùm per omnes Muri penetrâſſent cavos,
Tenacibusque hærerent internodiis,
Non poſſe jam revelli eas intelligit,
Quin ipſe Murus parte labefactus ſuî
Majore, vel inclinetur, vel etiam ruat:
Ideoque, damnum ne eveniat majus, timens,
Malum dirimere non audet commercium.

Hunc fabula monet, quisquis arcto ſe ſinit
Temerè alligari ſocietatis vinculo.

FABULA VII.

Asinus Sophiſtæ cujusdam alumnus.

SOPHISTÆ inepto, qui ſuis argutiis
Apud popellum & futiles mulierculas
Illuſtre docti nomen acquisiverat,
Quidam Asinus operam dederat haud inutilem
Plures per annos: ad beatas denique
Dimittitur opes ruris, ubi molli otio
Reficere possit, dulcibusque carduis,
Fractum labore corpus, emeritus ſenex.
At ille, domini qui ſui ad loquentiam
Induſtriamque singularem tamdiu
Animum applicavit & facultates ſuas
Asininas omnes, altiúsque recondidit
Documenta mirabilia, inertiam fugit,
Ardetque cæco amore laudis, nec poteſt
Sibi temperare, quin ſuis gregalibus,
Quam didicit artem, tradat hanc & venditet.
Magnam ergo beſtiarum multitudinem,
Nova pollicendo, in concionem convocat.
Primùm ſevero ſe induit faſtu inſolens,
Reverentiamque præcipit silentio:
Mox rudit, & oris horrifici ab imo ſpecu
Trudit triumphans, quæ ipſe non intelligit,
Quæ proinde turba intelligit multò minùs,
Et, propter hoc ipſum, admiratur maximè.
In primis anſer attonitus nequit ſatis
Laudare talis beſtiæ ingenium, capax
Scientiæ omnis, acre, ſubtile, arduum;

Alisque

Aliſque plauſus concitatis editos,
Sæpe repetitis adjuvat clangoribus.
Stolidior autem Scrofa, docentis ad pedes
Abjecta, delicatam, si ſuperis placet,
Affectat animi quamdam teneritudinem,
Fingitque nimiâ ſe voluptate affici,
Etiamque collabi alienatam ſenſibus:
Inde tamen ad ſuile, ſat firmo gradu,
Se proripit; ſuisque mox revertitur
Comitata catulis, vaſculumque deferens,
Olido & calente quod repleverat fimo,
Et in loquentis ora ſuffitum evomens;
Tibi, o verendum gentis asininæ decus,
Tibi, beſtiarum lumen & honor omnium,
Iſte ſacer eſto, qui te dignus eſt, vapor.
Dixit; ſimulque porcelli inſtituunt chorum,
Præeunte matre; tripudiantque & grunniunt.
Ubi verò odores affatim hauſit fetidos,
Amplam Asinus approbationem ſternuit.
  Intereà fortè dominus huc advenerat;
Atque, ut probè ille beſtiarum intelligit
Omnes agendi, vel loquendi formulas,
Attentus omnia inſpicit, conſiderat;
Ebibit acutis auribus ſcientiam
Veteris alumni, nec mirari non poteſt;
Et univerſæ concionis laudibus,
Honoribusque ceteris dignissimum
Ultro hunc fatetur: Immo, ait, meritò potes
Jam gloriari, quòd meam, quantùm licet,
Asine erudite, veram imaginem refers.
  Doctrina, quam nunc multitudo ſuſpicit,
Quàm sit paratu facilis, exemplum hoc probat.

FABULA VIII.

Simioli & Pira.

PRÆCEPTOR olim diligens, ſibi traditos
In diſciplinam, Simiolos inſtruxerat
Moribus honeſtis; tamque mites, & probos,
Et temperantes eſſe factos credidit,
Ut non dubitârit illos domino ſiſtere,
Sperans lucellum, induſtriæ videlicet
Fructum, & laboris, ſe recepturum fore.
Sed intromissi cùm fuêre belluli
Minervæ alumni, fortè ſepoſitum vident
Plenum Pyris caniſtrum, & abjectâ ſimul
Omni modeſtiâ, uno pariter impetu
Illuc cupiditas quò trahit victrix, ruunt,
Prædamque, fœdis etiam rixantes modis,
Diripiunt. Hîc magiſtrum penitus afficit
Dolor pudore mixtus: ingemuit miſer;
Et, Arte, dixit, expellatur quâlibet,
Tamen recurret usque vitioſa indoles.

FABULA IX.

Perdix & Auceps.

ALITIBUS Auceps insidias tetenderat:
Incauta Perdix in laqueos ut ſe induit,
Sensit periculum, & reformidans necem,
His Aucupem tentâſſe verbis dicitur:
Agro in propinquo ſociæ paſcuntur meæ
Multæ; sine modò, huc illas adducam tibi,

Menſâ ut paretur præda dignior tuâ :
Poſtquam rediero, nec mihi parces, ſi voles ;
Vel, ſi placuerit officium, vitam dabis.
Perſpexit Auceps callidus inanem dolum ;
Avemque capiens garrulam : Ut credam tibi,
Reſpondit ? ullam tu mihi ut ſerves fidem,
Socias quæ prodis ipſas ? incertam nimis
Rem poſtmodum conſiderabo attentiùs :
Intereà capſam ingredere : ſi largo minùs,
At delicato recreabis me cibo.
  Inimico vanis ſe promiſſis perfidus
Obligat, amicos prodere ipſos qui poteſt.

FABULA X.

Paraſitus & Piſciculi.

QUIDAM Paraſitus, & facie & facetiis
Ridiculus, audax ſcurra, deliciæ popli,
Ad publicani ſumptuoſam divitis
Menſam ſedebat imus. Is neptunios
Sibi eſſe poſitos tantùm Piſciculos dolens,
Cùm grandia monſtra ponerentur ceteris,
Suos minutos anxiâ tollit manu,
Orique primùm, & auribus dehinc ſuis
Alios poſt alios mimico geſtu admovet.
Hic omnium ingens curioſitas fuit.
Audire facti cauſam flagitantibus :
Me cura, dixit, magna ſollicitum tenet
De ſorte amici, qui longinqua jam diu
Per maria currit : ergo ab his ponti incolis
Exquiro, numquid de illo fòrs reſciverint :
At juniores ſe eſſe reſpondent mihi ;
Interrogemque grandiores, me monent.

Inexſpectatum callidi ſcurræ jocum
Convivæ riſu excipiunt, & grandes simul
Dilargiuntur piſces, quos interroget.
Acuere avarus venter ingenium ſolet.

FABULA XI.

Apis & Jupiter.

APIS Jovi olim mellis obtulit favum.
Admovit ori dulce munus Jupiter;
Cúmque approbâſſet aviculæ ſolertiam:
Age, inquit, opta quid tibi rependi velis.
Has, retulit illa, noſtras involat in dapes,
Et eas profanat cupida gens mortalium:
Punire da mihi poſſe prædones malos,
Plagamque facere pungendo inſanabilem.
Votum improbavit Deus, & tantam tantulæ
Crudelitatem volucris indignè ferens:
Tibi certa mors eſt, dixit, si quem læſeris;
Animamque in ipſo irata linques vulnere.
Vindicta pœnam iniqua dum repetit gravem,
Graviore ſæpe affecit auctorem ſuum.

FABULA XII.

Leænæ Apotheosis.

LEONIS uxor e vivis deceſſerat:
Solemnis ergo dicitur exsequiis dies;
Miſſique circùm feciales admonent
Regni incolas: Adeſſe pompæ funebri

Qui volet, acceleret. Nullus non, vel adfuit,
Vel excuſavit per alios abſentiam.
Turbam ut frequentem vidit, ingentes Leo
Cauſas dolendi ſignificare protinus
Longo ejulatu cœpit: adflere aulici,
Parique luctu luctum Regis proſequi.
Unus tot inter fletus fletibus abſtinet
Cervus: ſibi namque meminit uxorem feris
Nuper Leænæ dilaniatam dentibus.
Advertit, & æſtuantis Rex iræ impotens:
Sic ergo noſtros concelebras luctus, ait?
Dolor ubi publicus, eſſe lætus ſuſtines?
At non Leonis vindicabitur impetu
Tam turpe crimen: ruite in impium, lupi;
Reginæque piis manibus inferias date.
Nihil moveri viſus ad triſtes minas,
Sic placidè cauſam cervus oravit ſuam:
Rex magne, ſatis eſt luctui datum hactenus;
Recepta cælo flere nos ultra vetat
Auguſta conjux: namque dum ereptam mihi
Uxorem queror, & mortis inclementiam
Accuſo, inane luctûs ad ſolatium,
Vidi Leænam curru ſublimem rapi,
Interque collocari cæleſtes feras;
Quapropter alacris lætitia jam nos decet.
Hâc fraude lepidâ Leo placatur credulus;
Recreatque dono, deſtinabat quem neci.
Amant potentes, quæ canit adulatio;
Licétque falsa judicent, rarò improbant.

FABULA XIII.

Agnus, Canis, & Lupus.

STUDIOSA mater & ſagax dederat Ovis
Fidelem, si quis umquam alius, Canem ſuo
Cuſtodem Agniculo Non erat ille bellulus,
Neque aliquis unus ex iis, qui leniter
Adblandiuntur; at generoſus & valens,
Acerque, & omnes qui, ferox hoſtis, lupos
Usque allatraret, arceretque longiùs.
Cuſtodis hujus imprudentem tæduit
Alumnum; cùmque ab ipsius vigilantiâ
Se vindicandi occasionem quæreret,
Lupus ecce occurrit, artibus inſtructus malis
Veterator, tectus pelle ovillâ; qui ſuam
Dissimulans vocem, sic eum alloquitur prior:
Mihi Fors bona favet, qui te ſolum invenerim,
Amicule; operam jam antea tibi meam
Impendere utilem, animo deſtinaveram.
Dic autem, amabo: quid tibi cum iſta belluâ
Triſti & ſeverâ, cujus in cuſtodiam
Te traditum eſſe, sic amabilem, audio?
Moderator ille eſt, chara quem dedit parens,
Reſpondit Agnus. Huic Lupus retulit: Suum
Egregiè alumnum inſtituet, aliud qui nihil,
Præter latrare, didicit! si credis mihi,
Doctorem ſanus inventum deſeres.
Me ſequere: diſces quidpiam, quod sit magis
E re tua, magis etiam placeat tibi.
Lupi consiliis paret Agnus perfidis:
At vix uterque proximum intrârunt nemus,
Comitem miſellum ſtrangulat impius latro.
Bonus ille cuſtos, qui ſeverus & probus
Propulſat, non qui blandus importat malum.

FABULA XIV.

Homines duo & Theſaurus.

INOPIA quidam perditus ſtatuit mori:
Laqueum paravit ære quod ſuperfuit,
Collo alligavit; clavum ſemirutæ domûs
Parieti fixit, unde pendens literam
Longam ex ſe faceret. At in ruinam cùm foret
Paries propenſus, ſuſtinendo ponderi
Impar, ſecutus ultro eſt; & magnam ſimul
Effudit auri copiam. Ille, qui, nigras
Præter erebi umbras, cogitaret jam nihil,
Ubi ſic dejectum, & illæſum etiam ſe videt,
Nodo tenaci ſe eximit, laqueum abjicit,
Fortunæ munus oblatum recolligit,
Repetitque dulci gravis onere ſuos lares.
Interea, hunc ipſum ibidem qui locaverat
Theſaurum, avarus advenit, & exterritus
Victusque, damno cognito: An meos mihi
Amores, heu! fuiſſe ſublatos feram,
Vivamque? miſero vivere quid prodeſt, ait?
Viſoque laqueo, ſe ſuſpendit, & perit.
Deſperat ubi quis, confiditve maximè,
Ratum crede nihil: nam repentè, si velit
Fortuna, res utrinque mutabunt vicem.

FABULA XV.

Arbuſcula, Arbor, & Colonus.

JUNIPEROS inter, & alios hujuſmodi
Frutices, tenebat principatum Arbuſcula.
Inde procul Arborem eximiam dum reſpicit,
Et ejus omnem perſpicere præſtantiam
Ne poſſit, ipſa dum vetat longinquitas,
Ac tenuis etiam nebula viſum decipit;
Exiſtimare cœpit, illi ſcilicet,
Si contra ſtaret, præferendam ſe fore.
Quapropter, omnibus ut facultas ſuppetat
Utramque comparandi, maximâ prece
Orat Colonum, tollere hinc ipſam velit,
Et collocare in Arboris viciniâ.
Recuſat ille primùm: at importunitas
Hunc denique cogit facere, quod valde improbat.
Natalis ergo ſtirpitus e terræ ſinu
Avellit, & reponit optatum in locum;
Sed illam totam sic pusillam cùm videt
Latere in umbra magna vicinæ Arboris,
Irridet; &, Te quantò, ait, ſatius fuit
Juniperis, & geniſtis, & periclymenis
Dominari, tantæ quàm invidere tantulam,
Et anteponi velle magnitudini!
Virgilii, Homerique æmulos quoſdam, ſibi
Palmam arrogantes, fabula, ut ſapiant, monet.

FABULA XVI.

Porcus & Sturni.

Uliginoso terram in agro dum fodit
Glebasque roſtro Porcus evertit putres,
Erumpere cogit vermiculos: Sturni advolant,
Foſſorem ſtipant, & capeſſunt ſtrenuè
Inſecta lubrica, & avidè liguriunt.
Meus ille ſtupidus agmen aligerum ſibi
Honoris causâ huc advolâſſe credidit:
Sola parasitos excitaverat fames.

FABULA XVII.

Pica & Acanthis.

Sua ſola Picam futilem loquacitas
Domino jucundam amabilemque fecerat.
Procacibus illa perſtrepens clangoribus,
Modò objurgabat omnem familiam, modò
Potum ſibi darent, poſtulabat, aut cibum;
Statimque, quidquid vellet, habebat affatim.
Eâdem Acanthis quæ latebat in domo,
Fundere canoros didicerat tantùm ſonos;
Mulcensque cantu ſolitudinem ſuam,
Durabat, omni ſe abſtinens querimoniâ;
Nec dignabatur poſtulare quidpiam.
Interdum ad ejus lene & argutum melos
Familia, & ipſe dominus, attenti, aurium
Operam dicabant, deliciasque musicas
Remunerabant ultro magnis laudibus;

Sed alia rarò impertiebant munera.
Ergo, quibus etiam ſuſtineret ſpiritum,
Avis miſella ſæpe caruit victibus,
Elanguitque, ac denique periit fame.
Hinc Literati nempe diſcunt, o dolor!
Modeſtiam nocere doctis artibus,
Valere ineptas, quas juvet impudentia.

FABULA XVIII.

Muſtela & Columba.

MUSTELA catulos cùm quotidie ſuos
Transferret; hanc Columba, quid toties locum
Mutare, tamque ſollicitam eſſe cogeret,
Interrogavit. Illa reſpondit: Tuos
Cùm te viderem pullos in eodem loco
Usque educare, & hos tibi usque ſubripi;
Tua iſta fecit me anxiam ſecuritas.

FABULA XIX.

Sidera & Sol.

DE principatu contendebant Sidera:
Sol oritur: omnis ceſſat hìc contentio.
Procerum ſuperbia deficit, cùm Rex adeſt.

FABULA XX.

Leo iratus.

Dum quærit olim iratus elapſum Leo
Alium leonem, quem mactet odio furens,
In puteum offendit: inſpicit, ſuam videt
Pictam in liquore imaginem; quem vult, ſibi
Hoſtem hunc adeſſe credit; irruit, & perit.
Sæpe furioſi plus ſibi, quàm aliis, nocent.

FABULA XXI.

Idem argumentum.

Animalia Leo vi ſibi ſubjecerat
Plurima, & iniquis opprimebat legibus:
Etenim voraci cogebantur ſingulis
Diebus ad cibatum corpora mittere
Electa cujusque optimi e numero gregis.
Gens univerſa tam feram tyrannidem
Nullo eſſe pacto tolerandam cùm diceret,
Vulpecula docto perdere Tyrannum dolo
Aggreditur: ut erat procurandis illius
Opſoniis præpoſita, ſe quodam die,
Mœrorem ſimulans anxium, domino obtulit
Jam ſiccis exſpectanti faucibus dapes;
Et, Hâc tuâ, inquit, nobili dignum gulâ,
Meâque dignum induſtriâ paraveram,
Ac deducebam commeatum, quem ſuis
Aſinus clitellis dum recipit, mecum, gemens,
Expoſtulavit de graviore ſarcina;

Nullusque non erat exquiſitior cibus :
  Leo ſed alter, ante qui paucos dies
Advenit huc, & multa jam ſæva edidit
Facinora, & affectare culmen imperî
Videtur, ipsâque ſolet in viciniâ
Latitare, ſubitò prosiliens mihi obſtitit ;
Fruſtraque nomen inclamanti regium
Violentus, audax, immo contemptor tuæ
Majeſtatis, opes rapuit omnes, & ſuum,
Fœdè triumphans, in latibulum condidit.
Ad hæc ſuperbus, & vehemente percitus
Leo furore : Duc, ait, duc me ſtatim
Nefarium ad latronem, quem dedam neci.
  Viam celeriter corripuêre : mox videns
Puteum, doloſa quem priùs notaverat,
Aptumque technis judicaverat ſuis,
Vulpecula : En hoc ipſum latibulum eſt, ait,
Quo ſe ſolet recipere ſacrilegus latro :
Age, ultor invade, & inopinantem opprime.
Furibundus ille accedit ; in puteum inſpicit,
Cernensque reflexam ab aquis effigiem ſuam :
Etiam ſceleſtus impias audet minas
Intendere mihi, exclamat ! Et præceps ſimul
Irruit, & imo ſuffocatur in vado.
  Sæpe furioſos proprius perdit furor.

FABULA XXII.

Erucæ duæ.

In caule eodem Erucæ creverant duæ,
Et ſocietatem iniverant ſororiam.
At una, pennas cùm repentè cerneret
Sibi advenifſe, papilionum ſe gregi

Statim immiſcere cupiens, ſurſum enititur:
Fertur per auras, veterem amicam negligit,
Et hujus, erucarumque omnium immemor,
De gente ſe iſtâ umquam fuiſſe pernegat.
Homines repentè emerſos ex humili loco
Tolerare possim, ni ſuum ſpernant genus.

FABULA XXIII.

Fur deceptus.

RECONDERE aliquis theſaurum in terræ ſinu
Cùm vellet, unum e vicinis vocaverat,
Qui ſe adjuvaret, ſecretique conſcius
Fieret. At ille, occasione mox datâ,
Fidem fefellit; ſeque teſte conditas,
Clam ſuſtulit opes. Dominus illuc poſtmodum
Solus revertens, vacuum ut invênit locum,
Dijudicavit id quod res erat, ſuo
Eſſe imputandum amico perfido ſcelus.
Adit hunc, dicitque theſauro jam condito
Adjungere aliam velle ſe pecuniam:
Adeſſet ergo similem poſterâ die
Daturus operam. Se adfuturum ſcilicet
Promittit iſto Fur lætatus nuntio;
Speratque ſummam pariter hanc poſſe abripî,
Suoque properat reddere alteram cavo:
Quam dominus ut recepit, abſcondit domo,
Nihilque Furi, præter animo dejici,
Relinquens, docuit, propriis ſæpe artibus
Malam improborum cupiditatem decipi.

FABULA XXIV.

Vulpis & Lupus.

PLENÆ ſimulacra lunæ dum ſpeculo ſuo
Placidus profundi redderet putei liquor;
Acceſſit illuc fortè, victum quæritans,
Jejuna Vulpis; &, ubi proſpexit, fames
Maleſuada perpulit, uti pinguem crederet
Summis ſuper aquis innatare caſeum.
Ergo duobus, alternabant qui vices,
Penſilibus alta e machina ſitulis itus
Cùm facilis eſſet ad usque puteales aquas,
In eum, quem levitas propria, & alter prægravans
Extulerant ſurſum ad marginem, ſeſe injicit:
Delapſa ſed mox luget errorem ſuum;
Seque perituram deputat. Animum tamen
Vitamque miſera ſuſtinet. Jam biduum
Erat conſumptum, cùm Lupus tandem advenit:
Quem conſpicata: Situlum, ait, te in hunc citò
Immitte; properaque in mei partem boni:
Opimus hîc eſt mihi repertus caſeus:
Comêdi, quantùm cupiditas voluit mea;
Nunc ſatura cogor hunc, sic abraſum, ut vides,
Deſerere. Luna ſcilicet decreverat,
Et simul imago lunæ. Stultè credulus,
Avidusque prædæ inanis, obſequitur Lupus;
Præponderansque corpore, & fundum petens,
Surſum propellit Vulpem; quæ parum anxia,
Lupo quid fieret, liquit hærentem vado.
Quod cupimus, id verum eſſe facilè credimus.

FABULA XXV.

Cervus æger.

NEMOROSO in antro Cervus æger cœperat
Languere : Cervi nemoris ejuſdem incolæ
Venêre ad ipſum, dictitantes, maximam,
Quidquid doleret, capere ſe partem mali.
Suam ille gratus hos ita benignè vicem
Dolere viſos, optimis affectibus,
Aptisque verbis, quando id unum nunc poteſt,
Remuneratur; & pietatis ſedulæ
Officia laudat; ſeque, non obſtent modò
Fata nimis aſpera, memorem ſpondet fore.
At priſtina brevi cùm revertiſſet ſalus,
Exſurgit; viſit quo ſuæ ſint res loco;
Videnſque ab iſtis ſolatoribus ſuis
Abſumpta latè ſua fuiſſe pabula :
Officia, dixit, ſancta quanti veneunt!

FABULA XXVI.

Graculus.

OLIM ſuperbus, impudenſque Graculus,
Fur ipſemet ille, qui alitis junonii
Radiantibus ſe pennis exornaverat,
Revulſas ardeæ alas fortè reperit;
Haſque ſibi, ſtultè cupidus, quo potuit modo
Aptavit. Ultra nubes jam ſe præpetem
Ferri volatu poſſe ſublimi autumat.
At vix ſe in auras craſſiores ſuſtulit,

Miſerè impeditur, talis remigii inſolens,
In humumque prono capite præceps decidit.
Ineptos fabula plagiarios notat.

FABULA XXVII.

Muſarum Alumnus & Bombyx.

MUSARUM Alumnus junior, nugax, levis,
Oſor librorum, cubiculumque, quo ſuus
Ipſum magiſter detinebat ſedulò,
Horrere ſolitus pejùs atro carcere,
Luctum ut fugaret, falleretque tædium,
Bombycem alebat. Hunc videns ſubtilibus,
Quæ neverat ipſe, filis ſeſe involvere:
O ſtulta beſtia, iſtis quæ laboribus
Perfungeris, ait, ut tibi carcerem ſtruas!
At ille retulit: Tale opus ni fecero,
Eruca cogar repere, nec umquam mihi
Continget, ut venuſtum muter in alitem.
Pueri monentur, doctis ut laboribus
Se exerceant, ni repere per humum velint.

FABULA XXVIII.

Formica & Jupiter.

FORMICA ſortem conquerebatur ſuam:
Ævum ſe innumeris trahere obnoxium malis;
Timere ſemper, ruſticæ plebis gravi
Ne conteratur plantâ, vel perdicibus
Jucunda fiat eſca: O Jupiter, mihi

Concede pennas, inquit, ut periculis
Eripere tantis incolume poſſim caput.
Motus querelâ pervicaci Jupiter
Pennas conceſſit imprudenti beſtiæ.
Ergo illa gaudet munere novo, & ſe levis
Tollit per auras: at ſimul ab hirundine
Adſpicitur; in eam devolans rapido impetu
Avis famelica nec opinantem vorat.
Stultè appetentes, dum annuit, plectit Deus.

FABULA XXIX.

Cultor arborum imperitus.

CUM cupidus aliquis agriculturæ foret,
Animique vanâ elatione turgidus,
Suam latere vellet imperitiam;
Fictâ ambulandi causâ agricolam convenit
Valde peritum: ſolitis hunc laboribus
Fungentem paulùm obſervat; atque etiam videns,
Fruticationem cùm ſuperfluam arborum,
Vagos ſtolones, ramuloſque inutiles
Is amputaret: Cur, ait, tantam facis
Lignique, frondiumque cædem? Hinc ſcilicet,
Inquit colonus, uberior fructus redit.
Neque ille plura quæſiit: prudentiam
Seſe artis omnem jam aſſecutum credidit;
Abiitque. Fundum mox reverſus ad ſuum,
Capit ſecurim; & obvios quoſque arborum
Bonos maloſque ramos abſcindit miſer;
Spemque furioſus reſecat omnem palmitum.
Docet fabella, ſæpe ab exemplis bonis
Capere imperitos peccandi fiduciam.
Sed & ſevera Stoicorum ſanctio

Hic quoque notatur, animi nullum quæ probat
Affectum, at omnes penitus exſcindi jubet.
Illi quidem altæ ſemina mentis indita
Habuêre, plenaque utilis ſapientiæ
Sanxêre multa, & auſus hæc olim fui
Celebrare quodam carmine: ſedenim omnium
Præſtare cùm ſe motuum expertes volunt,
Nec Dî videntur eſſe, nec homines mihi.
Quid? excitatam miſericordiæ indolem
Cohibere, frænare pietatem, extinguere
Virtutis etiam igniculos: hæc virtus erit?
Talis apathia dici virtus si poteſt,
Virtutis ergo ſummum in automatis latet.

FABULA XXX.

Ad Reverendum Patrem Carolum de Neuville.

Columba & ejus Pullus, Buboque & Aquila.

ILLUD profectò, Carole, dat animos mihi,
Quòd laus tua ſingularis eloquentiæ,
Sapientiæque ſumma vis te non vetant
Has penitùs intueri fabellas leves,
Quas arte finxi, & expolivi tantulâ:
Etiamque, quâ ſint parte commendabiles,
Quâ parte peccent, ponderare te ſinunt.
Age noſtris æquam perge porrò luſibus
Præſtare mentem. Judex en inducitur
Regina volucrum: quæ tuam ſatis probè
Vicem an ſuſtineat, diſpicere nunc te velim.
Columba Pullum excluſerat, gratum ſibi,
Studioque magno vigilans educaverat.
Videbat hunc plerumque apud gentem ſuam

Ornari laudibus; & gaudebat in ſinu.
Suffragia tamen blanda multitudinis
Benevolæ ſecum tacita dum conſiderat,
Timet, immodeſtus verba ne dederit favor,
Illuſeritque. Veritatis appetens,
Bubonem, ſolitum turris in faſtigio
Residere, vitamque agere ſolitariam,
Nil dubitat unà cum ſuo Columbulo
Adire, ſincerumque judicium rogat
Super hujus omni ſive virtutum indole,
Sive vitiorum. At ille, dotes quælibet
In qualibet ipsi luce ponantur, truces
Obliquat oculos; qua que, recto si velit
Examinare intuitu, forsitan probet,
Statim repudiat, antequam perſpexerit.
Matrem miſellam diſcruciat ingens dolor
Pudore mixtus: neque Bubonis tetrici
Vim judicandi pravis ductam affectibus
Cognoſcere ejus nimia ſimplicitas ſinit.
Relinquit ergo mœſta acerbum judicem;
Metuensque, caræ vera ne nimis nota
Inuſta fuerit proli, hanc reſpicit, & gemit;
Neque tamen, oculis ſedulò quamquam utitur,
Obnuntiatam turpitudinem poteſt
Videre; Bubonisque vereatur licèt
Auctoritatem, tamen aſſenſum ſuſtinet.
Sed cùm meminerit, Aquilam dici ceteris
Volantibus unam magis acutum cernere,
Columbulum illi ſiſtit ultro judici:
Trepida humiliſque, cauſam veniendi docet,
Et obſecrat, uti ſe nimis diu anxiam
Ab inquieto liberet erroris metu,
Sententiamque de re omni certam ferat.
Haud renuit Aquila: hos in Columbulum ſimul
Defigit oculos, adſpicere Solis facem
Rutilam irretorti qui valent. Poſtquam ſatis

Pervidit omnia : Iſto, dixit, optimus
Toto vigeſcit ſuccus in corpuſculo :
Formæ decenti veneres non deſunt ſuæ,
Nitore blando, munditiiſque ſimplices :
Quædam at nec abſunt negligentiæ mala,
Quæ delicatis aſperam cenſoribus
Creare poſſint nauſeæ moleſtiam.
Plumisque, pennisque varius color insidet,
Quem cura facilis, & naturalis decor
Concentu amico ad elegantiam inſtruunt :
At ſuavitatem paulò concitatior
Animaret utinam virtus, & nuſquam aureæ
Mediocritatis lumen elangueſceret !
Imbelle roſtrum & innocens rixam fugit,
Parabilesque, & obvios tantùm cibos
Adhibere novit : ſed animosiùs velim
Converteretur in omne noxium pecus ;
Et in ciborum delectu cupiam quoque,
Guſtûs adeſſet doctior ſagacitas.
  Hunc tu tamen, pia mater, gaudeas licet
Genuiſſe talem : Paucis, plura cùm nitent,
Maculis offendi, candida ratio vetat.

FABULA XXXI.

Equus & Seſſor imperitus.

Loris sinebat currere admissis Equum
Vehementem Seſſor imperitus : quod videns
Clamavit aliquis : Ni caves, tuum brevi
Immodicus ille deferet ruptum impetus
Sonipedem : age ergo, lora prudens contine.
Extimuit ; at ſe dum putat meus hic ſtupor
Præſtare, quod monetur, conatu aſpero,

Subitoque fræna concutit; Equus & ferox
Simul erigit ſe, non ferens moleſtiam,
Præcepsque retro lapſus Seſſorem opprimit.
Quàm temperatum sibi moderamen expetant
Homines regendi, ex hac fabella diſcimus.

FABULARUM
ÆSOPIARUM
LIBER NONUS.

PROLOGUS.

PERICULOSAM miles ingreſſus viam
Non tam ſollicitè ab hoſtium insidiis cavet,
Quàm veritus ego ſum, & anxius operam dedi,
Ne quempiam hiſce fabulis offenderem.
Quòd si ſecus contingat: haud crimen meum,
Sed malevolorum injuſta criminatio,
Hominumve ſtultè errantium vanissimæ
Suſpiciones, quælibet ſpecies mali
Mihi imputetur, hanc omnem conflaverint.
  Cœptus quàm honeſtâ fuerit hic meus labor
Ratione, quantumque habeat innocentiæ,
Monere toties, neſcio an quidquam mihi
Sit profuturum: ſed nihil certè magis
Mihi expetendum, quàm laus ingenuæ & probæ
Integritatis; & nihil magis expeto.

FABULA I.

Anguilla & Anguis.

Anguilla dixit Angui: Cur noſtrum genus
Quotidie homines prendunt, deglubunt, edunt,
Dum vos refugiunt, ac timent attingere?
Reſpondit Anguis: Hi ſciunt videlicet,
Prodeſſe nos nihil, & nocere plurimùm.
Improbitas ipſa ſæpe tuetur improbos.

FABULA II.

Piſcis.

Bene calefactam miſſus in ſartaginem
Piſcis, furente ut ſe calore liberet,
Reſilit; at prunas miſer in ipſas decidit:
Sic ergo, frictus ne pereat, aſſus perit.
Quem pertinacis ira Fortunæ premit,
Mutat aliquando, nec tamen vitat malum.

FABULA III.

Sus & Apes.

Apicula teneram læſerat Suis cutem;
Iratus ille, tantulæque tam levem
Punire volucris punctiunculam volens,
Aggreditur ipſum diſjicere apiarium,

Quaſſatque roſtro: totum at examen ruit,
Et mille punctum aculeis hoſtem fugat.
Qui vindicare injurias quærit leves,
Ille ſibi plerumque graviores ſuſcitat.

FABULA IV.

Picta Solitudo & Columba.

PICTAM in pariete imaginem blandiſsimam
Taciti Receſsûs, temere poſitas arbores,
Has permeantem innubili lucem ætheris,
Interque gramina fugientem rivulum,
Vidit Columba; cùmque premeretur siti,
Huc celeritate, quantâ potuit, ſe intulit:
At miſera ſolido offendit; & in ipſo impetu
Malè vulnerata, præceps ad humum corruit.
Hæc fabula homines, heu! nimis multos monet,
Quos vana ſpecies ad ſuum damnum trahit.

FABULA V.

Paſtor & Rex.

OVIUM regebat magnum & eximium gregem
Paſtor beatus: cujus cùm prudentiam,
Induſtriamque cognoviſſet proximæ
Rex civitatis; hunc, ut ovibus, sic quoque
Aptum regendis hominibus fore judicans,
Ad ſe vocavit, &, reluctantem licèt,
Regni adminiſtrum fecit. Ille, qui ſatis
Ingenii haberet, vique judicii bonâ

Inſtructus eſſet, virtutesque ceteras,
Quarum uſus indigeret, facilè conſequi
Studio & labore poſſet, rem domini ſimul
Populique rectè gessit, & tulit datas
Utrinque laudes. Quosdam at aulæ principes
Livor malignus impulit, ut mendaciis,
Doliſque turpibus, in animum Regis graves
Suſpicionum injurias inducerent.
Hunc inſuſurrant furtis ditari ſuis,
Pecuniamque publicam corradere:
Arcam fuiſſe viſam in ejus cubiculi
Secretiore parte, clauſam ſedulò,
Multisque lamnis communitam ferreis:
Illic recondi ſcilicet raptas opes.
His invidorum machinationibus
Rex denique victus, arcam recludi jubet.
Nil perturbatus ille, ſuæque conſcius
Integritatis: Magne Rex, inquit, cave,
Ne fiat id, quod poſteà infectum velis:
Crede innocenti: neſciam labis meam
Semper fuiſſe, & eſſe adhuc teſtor fidem:
Ultra ne inquire. Sed cùm proficeret nihil,
Arcam recludit ipſe; ſimulque proferens
Singula, cucullum ſcilicet paſtorium,
Sagumque ruſticum, & panarium, & pedum
Et fiſtulam: Theſaurus en, inquit, meus:
Hunc olim amare ſolitus, hoc uno frui
Deinde volo: forſan invidere desineat
Malevoli. Rex pudore confuſus gemit;
Et exſecratus ſcelera gentis invidæ:
Ne me, ait, amice, miſerum amicum deſere.
At ille durus fugit, & oves redit ad ſuas.
Invidia numquam vincitur: hanc virtus ſemel
Experta cedat, si sibi ipſa conſulat.

I

FABULA VI.

Ruſticus & Sophus.

LONGINQUAM ad oram vi procelloſi maris
Alliſa quondam navis, Ruſticum & Sophum,
Merſis profundo ceteris, ejecerat,
Potûs, cibique, & omnium rerum indigos.
Omnem ſuam illi miſeriam poſtquam ſatis
Habuêre perſpectam, & vident jam ſe fame
Eſſe perituros, aliquid opis ni ſuppetat,
Mœrent, ſilentque: mox tamen Sophus prior:
Bono, inquit, animo es; me duce, ſperari poteſt
Fortuna melior: hinc ad urbem proximam
Citò ambulemus: uberes ſcientiæ
Fontes aperiam: quid malum ſit, quid bonum,
Quid turpe, quid decorum, gentem barbaram
Docebo; mentibus ingeram novitiis
Honeſti amorem; omneſque ſanctis artibus
Rite inſtitutos adducam, ut ſuas opes
Quaſcumque participare nobiſcum velint.
At Ruſticus: Quis, inquit, antequam tuas
Tot artes, tamque difficiles perſuaſeris,
Efficiet, miſera ne fames nos enecet?
Alimenta ventri, inani jam nimis diu,
Paranda ſunt quamprimum; & hac ipsâ die
Cœnare cupio; proviſoque protinus,
Ne desit id quod flagitat necessitas.
Dixit; ſimulque proximum petit nemus;
Ramos defringit arborum, mundat, ligat,
Defert in urbem, venales pronuntiat,
Vendit, ciboſque factâ emit pecuniâ.
Ars optima, ſuo quæ domino victum parat.

FABULA VII.

Ad Joſephum Farſettium, Patricium Venetum, & in Academia Florentina ſocium.

Felis & Mus.

TUSCI ſermonis illius veteris, boni
Sanè, & faceti, & elegantis, integram
Urbanitatem verſibus adhibes tuis,
Jucunde Farſetti, & poeticam ſimul
Nôſti latinam, ſcriptor haud incallidus.
Avitum honorem his perge porrò mitibus
Ornare ſtudiis: at voluptatem ſequi
Malam, improbive delicias miſerabiles
Amoris ullo ne dehinc lepido velis
Celebrare cantu, fabula ſequens admonet.
Felis doloſa Murem incautum ceperat:
Gulæ voracis impetus primùm fuit
Prædam comedere; ſed malam urget beſtiam
Alia cupiditas, & cogit aliquantulùm
Differre cædem: fraudulentis ſcilicet
Priùs oblectare collibet ſe luſibus.
Suum ergo, fingens ſe miſereri, mitibus
Connivens etiam oculis, vel obvertens caput,
Captivum omittit; at fugientem mox levi
Curſu affecuta recipit: gaudio exsilit,
Circúmque ſubsilit, & reſilit, & inſilit;
Et rurſum omittit; & fatigatum metu,
Sævoque ludo, mulcet, ac demitigat
Clemente plantâ, aut unguibus mediocriter
Exertis excitat ad inutilem fugam;
Tum ſemivivum, more pilæ, ſurſum vibrat;

Jactat, receptat, vexat, ac demum vorat.
Animum inſcientem retibus poſtquam ſuis
Amor impedivit, barbarus & exlex Amor,
Blanditur atrox, & jocatur perfidus,
Demumque luctu perditum immolat ferox.

FABULA VIII.

Villicus, Vulpis, & Canis.

ADVENERAT nox, immemorque Villicus
Liquerat apertas gallinarii fores.
Jejuna Vulpis ſenſit; & ſomno gravi
Dum familia omnis, & Canis cuſtos jacent,
Huc avida ſiccis faucibus ingreditur: nihil
Diſcernit, an gallina, vel pullus neci
Mandetur: prima quæque mactat corpora;
Prædamque ſecum, quantam ferre poteſt, rapit.
Ubi ſua damna poſtero agnovit die,
Doloris impos Villicus objurgat Canem,
Cæditque fuſte. At ille contra: Cur, ait,
Me plectis immerentem? an ideo ſum nocens,
Quòd tu ipſe fueris negligens rei tuæ?
Herus ubi peccat, ſæpe ſervus plectitur.

FABULA IX.

Cycnus.

CYCNUS canorâ voce placuerat diu,
Multamque laudem, dulce cantûs præmium,
Retulerat: at pertædet illum denique

Quòd usque eodem canere dicatur modo.
Itaque natura & uſus quod perfecerant,
Omne id repudiat, & novos tentat ſonos.
Os diſtorquetur : dura vox extruditur :
Neſcio quid canitur gutture invito inſolens.
Laudare ſoliti vituperant, si qui audiunt;
Iſtumque, dicunt, Cycnum, an Anſerem licet
Credere? Figura Cycni, vox eſt Anſeris.
Huc ſequere, quà Natura tibi monſtrat viam.

FABULA X.

Simius & Speculum.

QUI, qualis eſſet, neſciebat Simius,
Et ſe putabat bellulum, effigiem ſuam
Vidit fideli redditam a Speculo : nihil
Ad ſe attinere tale simulacrum ratus,
Gaudet videndo, ridet, acres & jocos
Subamarus inficetam in beſtiam jacit,
Induſtriamque laudat artificis manum.
Sed aliquis : Heus, te, dixit, ignoras? tua eſt
Ipſa hæc imago. Sentit hic porrò aſperam
Vim veritatis Simius, jamque incipit
Damnare Speculum, quod priùs laudaverat.
Qui Fabularum noverit proprium genus,
Haſque eſſe Specula meminerit posita omnibus;
Quò ſpectet illud argumentum, intelliget.

FABULA XI.

Gallus & Cochlea.

Ad culmen excelſæ arboris dum nititur
Gallus ſe tollere volitando, nec poteſt;
Huc perveniſſe Cochleam attonitus videt.
Efficere id autem quonam licuerit modo
Pennis carenti, ſcire diſcupit, & rogat.
Quid tum, inquit illa, si volare neſcio:
Adrependi artem calleo magis utilem.

FABULA XII.

Serpens & Talpa.

Me cæcitatis admodum miſeret tuæ,
Talpæ inquiebat Serpens; namque vix potes
Erumpere foras, & aliquantùm progredi,
Quin te ſalutis offeras periculo.
  Hæc cura, retulit Talpa, ne te maceret:
Raró ambulare cupio; latibulum colo,
Meisque vitam tutus in tenebris ago.
Te verò, qui tam acutùm cernere diceris,
Nullane pericula premunt? Audivi tamen
Jacêre veſtræ plura gentis corpora,
Quàm noſtræ, acerbæ quæ data fuerint neci.

FABULA XIII.

Culex.

Ab avida procne cùm ſuum opprimi Culex
Gentem videret, aeriis ceſſit plagis;
Et ſe recepit ruſtici vilem in caſam:
Sed uſquequaque retia hìc extendere
Videns araneam: Heu, ait, miſero mihi
Quid quæsii? Iſte plenus inſidiis locus,
Plenus periclis. Ergo textricem ſuæ
Inimicam genti abominatur, & fugit.
Hinc ad ſuperbam divitis volat domum,
Furtimque ſplendidum in conclave permeat:
Latet aliquandiu, animi dubius, an ſatis
Sibi omnia tandem tuta ſint. Poſtquam metum
Abjecit omnem, ex angulo erumpit levis;
Atque, Bona, dixit, habitat has ſedes Salus:
Lautè, beatè, tutò vivere hic licet.
Nox interim advenit; accenduntur lumina:
Novus iſte Culici fulgor inſueto placet:
Huc ergo ruit; at uſtulatur, & crepat.
Sæpe hoſtes ſapiens qui ſuos fugit, ſuâ
Sibi hoſtis ipſe deinde ſtultitiâ perit.

FABULA XIV.

Mulus & Porcus.

Macer & onuſtus ſarcinâ nimiùm gravi,
Tardè ambulabat, & ſuam crebrò gemens
Vicem dolebat Mulus: hunc Porcus, ſua

Quem nimia pariter impediebat obeſitas,
Sic conſolandi gratiâ allocutus eſt :
Age verò, frater, hos inanes comprime,
Parumque honeſtos gemitus : æquo animo ſequî
Sua quisque fata debet : omnes te ſciunt
Natum gerendis oneribus ; quæ ſi libens
Alacrisque gerere detrectaveris, nihil
Profeceris ; ea namque cogêris tamen,
Triſtisque, gerere. At oculos in me denique
Conjice, tuamque diſce fortunam pati.
An levius eſſe, quàm te, onuſtum me putas ?
Adverte quantum pinguitudinis geram :
Meum illud onus eſt, quo quidem totus premor
Eò usque, vix ut ingredi liceat mihi ;
Et vita noſtra peragitur nihilominus
Satis jucundè ; nec curis edacibus,
Ulliſve porrò gemitibus corrumpitur.
  Orationem Porci Mulus reſpuens :
Sortem, ait, utrinque diſparem eſſe non vides ?
Eſſem beatus, ſi carerem ſarcinâ ;
At tu miſer eris, cùm tuum amittes onus.

FABULA XV.

Vulpis.

Vulpis dum furtim villici chortem ſubit,
Queritur, meatus quòd ſit anguſtus nimis :
Sed inſequentem poſthac dum refugit canem,
Queritur, meatus quòd ſit multò laxior.
  Humana ſæpe ratio ſecum dissidet.

FABULA XVI.

Rubus & Ovis.

PLUVIA imminebat : sic hortatus eſt Ovem
Rubus : Procellam non vides ? quid reſtitas ?
Huc recipe te celeriter in meos sinus,
Tua ne tam nitida permadeſcant vellera.
Diffidere cuiquam neſcia Bidens paruit ;
Utque Rubi densis protegeretur frondibus,
Spinoſa ſe hujus brachia inter condidit.
Pluviam quidem vitavit : at beneficium
Hoſpitis avari pretio magno conſtitit.
Abire nullo quippe jam potuit modo,
Quin lanæ id omne, quod fuiſſet ab improbis
Semel apprehenſum brachiis, relinqueret.
Fabula rapaces ad patronos pertinet.

FABULA XVII.

Villicus & Columba.

CIBUM Columbæ Villicus cùm poneret,
Grana, inquit, iſta doleo certè quòd tibi
Afferre cogor : quantò juſtiùs bovi
Apponerentur, cujus irrigata ſunt
Sudore multo ? vili & inſuavi tamen
Contentus ille fœno vitam ſuſtinet :
Sed te otioſam, desidemque tam bonis
Gaudere vitæ ſubsidiis, ægre id fero.
Retulit Columba : Talibus granis doles
Me refici : at illa delegiſti ſedulus

Toto ex acervo pessima, reſervans tibi
Quæcumque bona ſunt. His operarium bovem
Fuiſſe longè digniorem judicas:
Natura ſed ejus non petit tales cibos.
Me denique otioſam ac desidem vocas:
Ingrate! noſtris perfrui te fetibus
Potes oblviſci? mihine pullos educo,
An tibi, qui ſæpe, cùm teneram lanuginem
Vix induerunt, hos mihi abripis, & voras?
Tuam ergo curam desine queri tam levem,
Unde tibi tanto fenore pretium redit.

FABULA XVIII.

Cornicula & Columba.

CORNICULA olim cùm Columbam inviſeret,
Fecunditatem gratulari cœperat,
Quæ singulis progeniem mensibus ederet.
At illa: Ne mei, inquit, commemores mihi
Cauſam doloris. Parere toties quid juvat?
Quoscumque pullos educo, dominus rapit
Avarior, damniſque diteſcit meis.
Plerumque miſera eſt ſervilis fecunditas.

FABULA XIX.

Psittacus.

PROBE educatum, prænitentem corpore,
Ac bene valentem Psittacum vir nobilis
Emerat; hunc atriensi curandum dedit;

At ille totum id rejicit negotii
Ad janitorem, janitor ad topiarium,
Demum topiarius ad inertes pediſequos;
Qui, ſatis herili, necne, fiat Pſittaco,
Flocci æſtimantes, illum ſæpe & ſæpius
Cibique, potûsque indigentem negligunt,
Adiguntque, ſortem ut priſtinam recolens gemat;
Et, Vita, dicat, paupere mihi ſub casa
Heri prioris quantò erat beatior!
Quas convenire ſciſſet naturæ meæ,
Cautè eligebat, præparabat ſedulò,
Et copiosè largiebatur dapes;
Altor mihi ſolus ille quidem, ſed optimus.
Nunc in ſuperbâ hujuſce nobilis domo,
Ubi meliorem mihi fore ſortem credidi,
Vita mea ſervis commendatur plurimis,
Longâque miſer intereà conficior fame.
Benefaciendi curam si ſuſceperit
Idoneus unus, præſtat multitudini.

FABULA XX.

Vulpis & Lupus.

CITATIORE dum viam carpit gradu,
In foveam Vulpis inopinanter decidit.
Accedit huc fortè Lupus, & dum proſpicit:
Age, inquit illa, amice, quod facilè potes
Dare, perituræ ne mihi auxilium nega:
Aliquot reciſos quære ramos arborum,
Et injice, qui me ad reſiliendum ſublevent.
Manedum, Lupus ait; quod petis, faciam lubens;
Sed dic, amabo, num diu eſt, cùm sic jaces?
Tuque adeò, quam prudentem & callidam ferunt,

In has incurrere insidias quonam modo
Potueris, ego profectò ſcire pervelim.
Ohe! reclamat Vulpis impatiens moræ,
Nunc iſta desine, quæſo: me primùm adjuva,
Ex hoc periculo ut reducar ociùs:
Tibi noſtra tum omnis hiſtoria narrabitur.
Periculosâ ne beneficium morâ
Corrumpe lentus; at juva citò, quem juvas.

FABULA XXI.

Viatores duo & Latro.

DUO Viatores dum simul faciunt iter,
Marſupium unus reperit plenum aureis.
Eia, inquit, alter, in commune! Sed lucri
Ille negat ullam poſſe ſe partem dare;
Totumque jure uni reſervandum sibi
Contendit, unus cùm ipſe sit, qui invenerit.
Intereà utrique armatus occurrit Latro.
Nummorum tunc poſſeſſor: Eia, dexteram
Confer, ait; vimque vi repellamus: duos
Non vincet unus. Pauper at retulit comes:
Non tanti eſt: quid enim possit hic vacuo mihi
Abripere? ſed tu, habere qui ſolus bonum
Volueris, ſolus jure nunc malum feres.

FABULA XXII.

Mercurius & Sculptor.

MERCURIUS in cujusdam Sculptoris domum
Cùm divertiſſet, patris effigiem ſui
Adſpexit; & quæsivit, quanti venderet.
Hanc nummulis ut audit omnino decem
Sibi comparari poſſe, gaudet in sinu,
Venire magnum tantulo pretio Jovem.
Sed hîc ſuum quoque ſtare simulacrum videns,
Multóque pluris eſſe vendendum ratus:
Quanti, inquit, iſtud? Sculptor autem: Si alterum
Signum petitâ compares pecuniâ,
Iſtud tibi pro cumulo mercedis dabo.
Ridicula quàm sit humiliorum vanitas,
Tunc, juſta cùm sit æſtimatio, patet.

FABULA XXIII.

Gallus & Vultur.

IMPERIUM latè gentem in gallinaceam
Sibi aſſeruerat victo Gallus æmulo:
Hinc ſe ſuperbus tollit ad culmen domûs,
Suam ipſe cantu celebret ut victoriam.
At Vultur audit, & advolans illum rapit.
Impunè victor nullus inſolens fuit.

FABULA XXIV.

Idem argumentum.

PLACIDÈ vivebant Galli duo: ſupervenit
Gallina, bellumque ſimul. O Amor, Ilium
Tu perdidiſti! Prælium ſatis diu
Inter feroces æmulos dubium fuit:
Addebat animos nempe ſpectatrix frequens,
Quam fama pugnæ nuntia huc acciverat:
Sed unus altero inferior tandem, & malè
Mulcatus, hinc ſe proripit celeri fugâ;
Et, abſcondat ubi dedecus, latebram petit;
Helenamque non unam; ah! ſuo partam gemens
Relinquit hoſti, præmium victoriæ.
Interea tecti ſcandit ad faſtigium
Victor ſuperbus, & epinicium ſibi
Canit ipſe, acutis ingeminans clangoribus.
At vultur, auras ambiens dum circinat,
Quæritque prædam, audivit; & ſimul ingruens,
Stultè triumphantem occupat, lacerat, vorat.

FABULA XXV.

Canis domeſticus & Canis externus.

CONVIVIUM ſolemne Canis domeſticus
Videns parari, invitat externum Canem,
Secum ut futuri particeps fiat boni.
Benignitatem hanc ſperat ille credulus
Fore efficacem; quódque ſperat, jam ratum
Sibi eſſe reputat; reſque ſuæ quo ſint loco,

Et varietas quos quanta commendet cibos,
Ut videat, ad culinam vadit : at coquus
Eum, apprehensis derepentè cruribus,
Præcipitem de feneſtra projicit in viam.
Quicumque ſe ſpondet aliorum de bonis
Fore liberalem, noſtra fabella hunc notat;
Culpatque pariter ejus imprudentiam,
Qui cautioni tam caducæ habet fidem.

FABULA XXVI.

Simia & ejus Filius.

SUUM ad Tribunal omnes olim Jupiter
Mercurium juſsit convocare belluas;
Ut pulchriores edidiſſe filios
Quas judicâſſet, has donaret præmio.
Accurrit ergo Simia, & turpem offerens
Simiolum : Is, inquit, bellulus meus mihi
(Cedite, parentes ceteræ) palmam exigit.
Malus Auctor fetus numquam bene novit ſuos.

FABULA XXVII.

Avium & Piſcium fedus.

CUM Piſcibus Aves federe icto ſanxerant,
Ut operâ & opibus ſe juvarent mutuis.
Sed hinc, & illinc publica res cùm poſtulat,
Ut obligatam facta liberent fidem;
Neque gens natantum ſeſe in auras tollere,
Neque gens volantum permeare undas poteſt.

Inutilis ibi ſocietas conjungitur,
Ubi via dividit invia, & diſpar genus.

FABULA XXXVIII.

Arbuſcula & Quercus.

LAUDABAT Quercûs arduæ præſtantiam
Sub ejus umbra geminans Arbuſcula.
Meum quidem, inquit Quercus, altum in æthera
Surgit cacumen; dominor in totum nemus:
At quò magis præcello arboribus ceteris,
Tantò faciliùs venti, grandinis, nivis,
Fulminis atroces me petunt injuriæ.
Hâc fabulâ homines commonentur infimi,
Summis ſuam invidere ne ſortem velint.

FABULA XXIX.

Auceps.

IRRETIENDIS laqueos explicaverat
Volucribus Auceps; alliciendi gratiâ
Poſuerat eſcam: demum in inſidiis cubans
Exſpectat. Agmen mox ſatis magnum advolat;
Sed hæc avaro indigna viſa paucitas:
Nihil ergo tentat ille, in horam differens,
Dum multitudo accederet frequentior.
Aliæ poſt alias interim abſcedunt aves;
Novis ſimæque ſuccedunt prioribus
Longè minore numero: ad extremum, cibi
Egenus & macer, unicus paſſerculus

Jam ſuperat; & in occaſum cùm ſol vergeret,
Vacuus ne redeat Auceps laqueos contrahit,
Illamque triſtis futilem prædam capit.
Meliora dum vis, ne bona amittas, cave.

FABULA XXX.

Ruſticus & Canis.

CUNIS jacentem filium valido Cani
Cuſtodiendum Ruſticus commiſerat:
Adrepsit hydra immanis, artus parvulos,
Et delicatos devorare jam parans.
Sed occupat eam, corripitque mordicus
Cuſtos fidelis, atque grandi vulnere
Debilitat, incaſſumque tollentem minas
Opprimit: at meritam inferre dum properat necem,
Puerumque, cunasque ſimul evertit ſuper
Extinctâ peſte. Mox ſuo ex arvo redux
Agricola, cunas hinc ut everſas videt,
Inde efferatum rictibus Canem adſpicit
Adhuc cruentis; hunc, dolore percitus,
Ligone, quem tenebat, impacto ferit,
Interficitque, nil morari ſuſtinens,
Animi furentis impetum dum vindicet.
At cunas ubi reſtituit, demortuo
Super angue puerum vivum, illæſum reperit;
Seram facinoris egit pœnitentiam,
Et ſe coarguit ipſe, & agnovit gemens,
Iræ malum reverti ad auctores ſuos.

FABULA XXXI.

Accipiter & Luſcinia.

CAPTAM tenebat diris Luſciniam unguibus
Accipiter. Illa : Si me dimittas modò
Fundam tibi melos quàm potero doctiſſimum,
Suaviſſimumque ; quin & experiar ſimul
Cantare laudes & mei clementiam
Victoris, inquit. At mihi, retulit latro,
Non auribus bene eſſe, ſed ventri volo.
Canant Poetæ ; at meminerint, quædam feræ
Ingenia nullis artibus humanis capi.

FABULA XXXII.

Gutta, Pontus, & Oſtreum.

CUM tenuis alto Gutta cadens ab æthere
Vaſtos devolveretur in Ponti ſinus :
Heu ! tantula, inquit, tantæ quid voragini
Prodeſſe poſſum, primo fluctu ſcilicet
Exhaurienda, & interitura funditus ?
Dum ſic miſella deprimit ſortem ſuam ;
Patulo dehiſcens ore ſummis Oſtreum
Emergit undis, hancque delapſam excipit,
Penitus recondit, induratam perficit :
Quæ Gutta fuerat, exſtitit demum unio ;
Ac deinde honoris illud ad faſtigium
Evectus eſt, ut Regis ornaret caput.
Qui ſe fatentur humiles, extollit Deus.

FABULA XXXIII.

Corvus & Lupi.

Lupos ſecutus Corvus ad multum diem,
Prædam his potitis officium jactat ſuum,
Sibique partem retribuant aliquam, rogat.
Reſpondet unus: Gratum id eſſet forsitan,
Si cura noſtri te comitem nobis daret:
At ſola prædæ cupiditas huc te impulit;
Ad quam obtinendam cùm operæ potueris nihil
Conferre, meritò te vacuum dimittimus.
Inutiles fabella parasitos notat.

FABULA XXXIV.

Cuculus, Philomela, & Aſellus.

Cum cantaviſſent coram Aſello judice
Cuculus, ac Philomela; & hic tantùm duos,
Quos nôrat, usque & usque repetiſſet ſonos;
At illa concinnâſſet egregium melos,
Sonosque mirâ varietate volubiles;
Poſtremò Aſellus dixit hanc ſententiam:
Philomelæ cantus paulò eſt intricatior;
Placet Cuculus, multò æquabiliùs canens;
Noſtrasque, pugnæ præmium, laudes feret.
Quæcumque capere intelligendo non poteſt
Judex ineptus, ea plerumque deprimit.

FABULA XXXV.

Porcus & Nautæ.

CUM navem, acerbum fluctibus iratis, mare
Vexaret, & turbaret exanimes metu
Nautas; jacebat Porcus interea gravi
Sopore merſus. Illi desidem excitant,
Et exprobrantes tam ſupinam inertiam:
Commune, clamant, non ſentis periculum?
Dormire, mortem cuncta dum intentant, potes?
Trepidate, ſtulti, grunniens Porcus refert:
Iſta ſapientem me probat ſecuritas.
Nautæ reponunt: Immo ſocordem probat.
Apathia, tantis Stoicorum laudibus
Celebrata, rurſus hâc notatur fabulâ.
Illam eſſe dicunt Stoici conſtantiam;
Mihi videtur eſſe mentis tarditas.

FABULA XXXVI.

Juvenci duo & Pratulum.

DUO Juvenci gramina, forent quæ ſatis
Et larga & idonea faciendo corpori,
In colle habebant: inde ſed lætam procul
Ut aſpexêre viriditatem Pratuli,
Ejus repentè desiderio perciti,
Huc ſe transferre properant. Aliquantum viæ
Confecerant: frutetum ſe denſum objicit;
Hàc permeandum: tentant; & aditum ſibi
Inveniunt: at prædator irruit lupus;

Utrumque ferus oppugnat; unum ſtrangulat:
Evadit alter propellente agilis metu,
Tandemque Pratulum ad expetitum pervenit.
Laboris igitur jam ſolatio frui
Parat; avidusque ſe teneris ingurgitat
Graminibus. At recepit letiferas dapes,
Simulque virus ſauciâ cute combibit.
Videlicet omnis infeſtus erat is locus
Serpentibus atris, herbis & nocentibus:
Ergo miſer inde cùm reverſus eſt domum,
Languere cœpit, & obiit mortem brevi.
Quemcumque ſtulta cupiditas cogit ſuum
Relinquere bonum, meritus hic malum invenit.

FABULA XXXVII.

Urſus & Vulpis.

QUOD mortua Urſus corpora nulla manderet,
Humanitatem idcirco jactabat ſuam:
At Vulpis: Immo vis, ait, humanus mihi
Videri? mande mortua, vivis abſtine.
Tam facinoroſa neminem vita inquinat,
Qui laude ſe aliquâ dignum non exiſtimet.

FABULA XXXVIII.

Lupus & Agnus.

AGNUM trahebat, aure correpta, Lupus:
Flebilibus autem cùm ille lamentis ſuam
Plorare ſortem inſtaret; impatiens latro

Dimisit aurem, quam tenebat mordicus,
Dorſumque miſeri proterens duro pede:
Iſto ejulatu, iſtis, ait, balatibus
Teneram excitare miſericordiam cupis;
Noſtrasque contra vires auxilium vocas:
At protinus te ſtrangulabo, ni taces.
Reſpondet Agnus: Heu! meum ut ne lugeam
Tam grande damnum, facere ſola mors poteſt.

FABULA XXXIX.

Cynicus & Rex.

Cynicus talentum a Rege cùm peteret ſibi:
Plus, inquit ille, quàm decet Cynicum, petis.
Denarium ergo jam petit. Petis minùs,
Ait ille rurſus, quàm decet Regem dare.
Nil dare volenti cauſa facilè ſuppetit.

FABULA XL.

Orator & Circulator.

Idonea vitæ & moribus cùm funderet
Orator olim copioſus in foro
Atheniensi, concionem civium
Numeroſam, honeſtam gratulabatur ſibi:
Verùm ecce concrepante tintinnabulo
Spectacula ſua Circulator nuntiat;
Simulque concio Oratorem deſerit,
Et properat illuc, gaudii quò ſpes vocat.
Unus tamen remansit, in angulo ſedens:

At ille dormiebat. Quem blandè alloquens
Orator, & collaudans, quòd prudentior
Stultam refugeret multitudinem ſequi,
Datumque ſignum ludicri contemneret,
Poſtquam excitavit: Ludicri ſignum eſt datum,
Ait homo perturbatus!... O, vale, vale.
Plerumque dulci poſthabetur utile.

FABULARUM ÆSOPIARUM
LIBER DECIMUS.

PROLOGUS.

ACERBITATIS multum, & acrimoniæ
Semper habet omnis ſatirarum feſtivitas :
Quapropter, hominum ut eſt plerumque præferox
Natura, proclivisque ad iracundiam,
Quoscumque ſe exercere in hoc ludo juvat,
Sibi concitare grave periculum ſolent.
At propria cùm ſit Fabularum humanitas
In corrigendo, & in docendo ſuavitas;
Miror, quòd optimus harum Phædrus artifex
Ab inſtituta abiverit paulùm via
Diverſus; animique ægritudini obſequens,
Viro potenti turpem inuſſerit notam.
Sed qualis illum maximas injecerit
In calamitates culpa, narrare hîc libet.
  Par dignitate, ſuperior potentiâ
Cæſaribus, uno Principe Tiberio minor,
Sejanus homines deſpiciebat ceteros
Longè remotos infra ſe : immo traditas
Imperii habenas continebat improbus
Dominator. Humilis, ac tenuis homunculus,

Qui

Qui gereret animos ſorte majores ſuâ,
Triſtem, at verendam immanitatem non tulit:
Libertus, omnia fortè nondum priſtinæ
Qui ſervitutis argumenta amiſerat,
Tali, tantoque ſempiternam inurere
Sejano Phædrus auſus eſt infamiam.
Nam cùm ille, factus in dies magis inſolens,
Sibi poſtulâſſet Livillam uxorem dari,
Livillam Drusi filiam Germanici,
Quam deinde magni Caïus Auguſti nepos,
Mox Druſus etiam natus Tiberii unicus,
Adhuc bonâ ætate, viduam reliquerant:
Rumor per urbem de malo hujus ambitu
Diſſeminatus continuò percrebuit,
Plebemque, & proceres, mox & ipſum Principem
Commovit. Hominis exagitandi commodam
Occaſionem Phædrus hanc ratus, arripit:
Doctam, facetam, & elegantem fabulam
Concinnat: Sol uxorem ducere quòd velit,
Ranas inducit conquerentes cum Jove,
Furis beati nuptias celebres notans.
Brevì reſcivit crimen illatum sibi,
Doluitque Sejanus, & auctore cognito,
Aliam de ranis sibi Regem petentibus,
Quam nil diſſimulans publicam ille fecerat,
Fabellam ad ipſum pertinere Tiberium
Facilè probavit. Ergo accuſat hunc reum,
Et crimine læſæ majeſtatis alligat.
Hinc iſta luctûs significatio tam frequens
Auctoris afflicti, & graves querimoniæ.
In aliquod etiam vitæ diſcrimen miſer
Fuerit adductus; quod ſatis & ipſe indicat:
Certè irrogatas vixit ærumnas diu
Perpeſſus. Emendatus exemplo ſuo,
In ſcriptitandis nihilo ſegniùs tamen
Fabellis poſuit operam, at innocentibus,

K

Ex his dolorem delenivit remediis:
Felix, qui Sortis aſperæ inclementiam
Tam ſuavi ſtudio mitigare noverit;
Feliciorque, si numquam, hoc ipſo malè
Abuſus, illam ſibi feciſſet aſperam!

FABULA L.

Glires & Fagus.

PROCERA Fagus fructibus Glires ſuis
Enutriebat, & cavo etiam conditos
Trunco tegebat, commodam præbens domum:
Adſcendere tamen toties, ac deſcendere,
Victûs petendi gratiâ, ignavos piget;
Suamque demum altricem ſtatuunt impii
Evertere. Omnes ergo, junctis viribus,
Effodere certant, ſtrenuique, dentium
Sæpe repetitis circùm abroſas ictibus,
Stirpes recîdunt; donec, oppugnantibus
Impulſa ventis, Fagus infelix ruat.
Tum glandis, illi facilè quidem, quantum volunt,
Comedere poſſunt: ſed ubi conſumptus fuit
Proventus omnis, non alias rurſum dapes
Suppeditat arbor exsiccata funditus:
Gliresque tandem longa fames cogit mori.
Benefico ingratus qui nocet, nocet ſibi.

FABULA II.

Piſcator.

RETIA ſub amne Piſcator prætenderat;
Mox omne longo verberat conto vadum,
Fundoque penitus moto limum diſſipat.
Quæſivit aliquis, perlucentes antea
Cur ſic liquores reddidiſſet turbidos:
Ni facerem, dixit, vacuus hinc forſan domum
Repetere cogar: ſed operâ dum ſic meâ
Turbatur amnis, piſcibus lucem eripit,
In retia ut illi temere palantes ruant.
  Fabella quosdam ſpectat ad cives, quibus
E turbulentis rebus emergit lucrum.

FABULA III.

Rex & ludi Magiſter.

LUDI Magiſtro Rex aſinum mandaverat
Manſuetiores edocendum literas,
Pollicitus amplum collocatæ præmium
Operæ, si fieret, quod jubebat; ſin minùs,
Graves minatus pœnas. Talem is ut videt
Non poſſe legem rejici, injuſtam licèt,
Se præſtiturum ſpondet, quod Rex expetit:
Sed erudire aſellum, ut eſt opera admodum
Difficilis; annis exſpectetur ut decem,
Dum res ad exitum adducatur, impetrat.
Amicis interim ipſius miſeram vicem
Dolentibus, qui ſe operæ inexplicabli,

Periculo etiam capitis, obligaverit:
Nil metuite, inquit, ſpatium intra datum mihi,
Vel me, vel asinum, vel Regem mors auferet.
Procraſtinatum ſensim abit periculum.

FABULA IV.

Muſculus, Felis, & Gallus.

PROBE educatus olim quidam Muſculus
Cùm præterire anguſtias vellet cavi
Natalis; ipſum provida monuit parens,
Prudenter ageret, & caveret ſedulò,
Ne calamitatem sibi fortaſſe maximam
Ab improborum arceſſeret commercio.
Nil temere ſe promittit auſurum fore
Muſculus; & alacri gaudio exsiliens simul
Erumpit. Ubi progreſſus aliquantùm fuit,
Felem modeſtâ præditam ſpecie videt,
Secum otiantem leniter: cujus malum
Haud ſuſpicatus ingenium, ipſam protinus
Adire ſtatuit, si liceatque, mutuum
Ferire fedus: at ecce, dum ſtultam parat
Commotionem improvidæ mentis ſequi,
Supervenit, canitque Gallus. Aſpero
Exterritus ille vocis argutæ ſono,
Fugit, cavumque quàm celerrimo pede
Repetit; &, Audi, mater, audi, clamitat;
Tuique miſeram filii vicem dole:
Formâ elegante beſtiam invêni modò,
Mitem, quietam, totam amabilem: nitet,
Ridetque facies blanda: ſpecioſum caput
Breves, acutas, rectas auriculas gerit:
Tum nulla pars eſt delicati corporis,

Quam non pilorum mollis obtegat ſeges.
Volui animantis tam bene ornatæ fidem
Tentare : adibam, cùm ſe ſubitò huc intulit
Criſtatus ales, tibiis exilibus,
Nudisque nixus, oculis ardens igneis,
Vultu minaci, & corneo roſtro ferox;
Simulque gutture eluctatus horrido
Cùm triſtes & peracutos truderet ſonos,
Fugere coegit me prope exanimem metu.
O nate, retulit mater, plaudo & gaudeo,
Quòd fugeris : nam mitis iſta beſtia
Fugienda & exsecranda eſt, quâ fallacior,
Gentique noſtræ inimicior nulla exſtitit :
At nihil hic ales horridus nobis nocet.
Cognoſce penitùs, antequam dijudices.

FABULA V.

Ranæ & Junci.

Ranæ in palude, Juncis obsitâ, diu
Tutæ latuerant. Cepit illas tædium
Obſcurioris vitæ : proſpectum sibi
Omnem videlicet adimi, graviter ferunt;
Et ſe quoque fieri adſpectabiles velint.
Odiosis ergo ſtirpibus ut purget vadum,
Suis quemdam adigunt ruſticum clamoribus.
At variæ peſtes, ardeæ, ciconiæ,
Vulturii, mox ut ictibus cunctis vident
Eas patêre, huc advolant identidem,
Carpuntque miseras, ſeminecesque glutiunt.
Tenues & humiles hâc monentur fabulâ,
Illuſtriorem vitæ ne cupiant ſtatum.

FABULA VI.

Arbores duæ.

FRUGIFERI generis Arbores quidam duas
Habebat : unam vaſe clausit ligneo,
Ut ingruentis ab hiemis moleſtiâ
Defenderetur ſub tepenti fornice :
At alteram patente poſuit in ſolo,
Ut ferret, aliis unà cum compluribus,
Quascumque pluviæ, frigoris, & æſtûs vices.
Quid accidit autem ? fructus illa præcoces,
Malosque; ſeros hæc, bonosque protulit.
Hinc diſcimus, puerilis inſtitutio
Privata quàm ſit poſthabenda publicæ.

FABULA VII.

Viator, Tigris, & Corcodilus.

MINUS aliquando ſimplice periclo duplex
Nocere, vera oſtendit hæc narratio.
Quidam Viator calle in anguſtiſſimo,
Rupem arduam inter, Gangis & crepidinem
Dum carperet iter, efferam adſpexit Tigrim
Huc irruentem : ferre vult retro gradum;
At Corcodilus parte ab hâc etiam furens
Accurrit. Ergo geminæ ſe miſerum videt
Et hinc, & illinc pariter expoſitum neci;
Nullàque utramvis belluam poteſt viâ
Effugere; & in prædam involare jam parans
Tigris exerebat ungues : ecce autem ſimul

Pernix eódem Corcodilus advenit,
Omiſſoque homine, ſerratis hanc dentibus
Mediam apprehendit, & ſub aquas ſecum rapit;
Malumque duplex qui timuit, neutrum ſubit.

FABULA VIII.

Navis & Nauta.

IMPOSITO Navis onere cùm ingemiſceret,
Nautam rogavit, ipſam ut antennis ſuis,
Rudentibusque, armamentisque ceteris
Levaret, omnem sic magis celerem sibi
Et expeditum dictitans curſum fore.
At ille: O ſtulta, quid petis, ait? maximè
Juvabit id quod impedimentum putas.
Fabella quorumdam hominum ſtultitiam notat,
Qui liberos præſtare ſeſe dum volunt,
Abjudicant res maximè sibi utiles.

FABULA IX.

Serpens & ejus Filius.

SERPENS monebat filium, ut adeſſet sibi,
Serpentem in alium dum rueret, ac mordicus
Corriperet, & glutiret. Tam nefarium
Túne, inquit ille, ut perpetres facinus, pater?
De gente noſtrâ is unus eſt... Tace, tace,
Inepte: sic agere expedit; ſerpens enim,
Serpentem si non devoret, non fit draco.
Hos ad potentes fabula noſtra pertinet,
Qui creſcere ſolent ex alienis cladibus.

FABULA X.

Canis aſtutia.

Ut inter homines, ita quoque inter beſtias
Ingenia quædam singularia eminent.
Præſtare ſtulto callidus nihilo magis
Videtur, quàm cata vulpis fœtidæ ſui,
Cui pro ſale data eſt anima, ne putreſceret.
Animantes autem ex moribus generis ſui
Consideratæ, quantùm intelligentiâ
Aliquando nôrint ſociis antecellere,
Brevi hoc exemplo nunc mihi probandum venit.
Tres in culina dum ad focum cubant canes,
Tempore hiemali, quartus en ſupervenit;
Qui cùm videret idoneum locum sibi
Nullum relictum, excogitavit hanc viam
Id obtinendi, quod volebat: ſe foras
Repentè proripit; & quàm maximis poteſt
Viciniam omnem commovet latratibus:
Quibus excitati, qui cubabant ad focum,
Statim allatrantes exeunt: at hic simul
Furtim regreſſus in culinam, quem locum
Sibi arbitratur commodiſſimum, occupat.
Animalia autem hujuſmodi, quis eſt ſophus
Qui perſuadere possit, nihilo plus meris
Automatis ſapere? si cochlea, vel oſtreum
Dicantur eſſe machinæ verſatiles,
Parum repugnem: ſed Canem hunc, æquè ſuis
Inſervientem commodis, ac si foret
Veterator aliquis ultima e Normannia,
Quicumque ſenſu deſtitutum dixerit,
Rationis expers ipſe videbitur mihi.

FABULA XI.

Canis venaticus & Moloſsi.

Et curſu & aſtu ſuperior venaticus
Leporem, excitatum latibulo, cepit Canis.
Prædam ſtatim vorare ſuadebat fames:
Perſuasit aliud futilis ſuperbia.
Namque is, Moloſsi non procul ut erant duo,
Huc ſe repentè contulit, oſtentans ſuæ
Velocitatis pignus ac ſolertiæ.
Leporinum at illi vix odorem ſenſerant,
Protinus ineptum in oſtentatorem ruunt,
Prædamque, ſtulta quam cupiditas gloriæ
Inexſpectatam detulit, avidè vorant.
Ne quære laudem, ubi fruendam rem tenes:
Dum frueris, etiam te ſilere juverit,
Ne te ipſe forſan indicio prodas tuo:
Quod & ſequente comprobatur fabulâ.

FABULA XII.

Corvus nimiùm loquax.

Reppererat olim Corvus pinguem caſeum:
Cùm debuiſſet tacitus hac prædâ frui,
Sua crociendo ſignificare gaudia,
Bonamque ſortem ovante gutturis ſono
Annuntiare maluit, nimiùm loquax.
Corvi ergo plures advolant famelici,
Ruuntque, rixaſque vehementes excitant,
Demumque opimam diripiunt hujus dapem.

FABULA XIII.

Ovis & Canis.

Quo veſtiatur, laneum abripit mihi
Tegmen Herus, dixit invidens Ovis Cani;
Is autem quid retribuit? ingratus jubet
Me victitare fortuito gramine;
Dum te ſaginat pane, cibisque ceteris,
Quibus ipſe veſcitur. At Canis contra refert:
Ingrata es ipſa, tale ciborum quæ genus,
Studii & laboris præmium, invideas mihi:
Mihi namque victus quò ſalubrior venit,
Noſtram, luporum quoslibet contra impetus,
Tantò validiùs tibi operam ſentis dari.
Hos fabula monet, qui sibi indignè ferunt
Minùs bene eſſe, quàm ſuis cuſtodibus.

FABULA XIV.

Equus & Muſcæ.

Equum macerrimum, ulceratum, & inſuper
Caudâ carentem, dira Muſcarum cohors
Aculeis pungebat pertinacibus.
Hanc ille poſtquam nullâ vi moleſtiam
Excutere potuit; denique volucres malas
Rogare cœpit, ultro ipſæ diſcederent,
Miſerrimamque ſpernerent cutem, horridam
Ulceribus; aliumque simul oſtendens equum
Pinguem & nitentem, ſuadet ut in hunc devolent,
Meliorem quippe potaturæ ſanguinem.

Reſpondet una : Fortè fieret quod rogas,
Niſi ille nimiùm corpulentus, & ferox,
Nimiúmque longâ præditus caudâ foret.
Themidis notantur infimi ſatellites,
Qui vexant miſeros, a beatis abſtinent.

FABULA XV.

Orator ad Statuas.

STATUAS ad veteres, quæ, docti artificis manu
Politæ, fictis exprimebant vultibus
Monſtra vitiorum varia, qualia ſunt amor
Illicitus, ira, livor, ambitio, furor,
Dum verba copioſus Orator facit,
Inſtatque vehemens, & ſuadere nititur,
Ut ad bonam recipere ſe frugem velint:
Commonet amicus, canere ſurdis deſinat,
Suamque potiùs ad homines facundiam
Convertat. Ille verò: Méne, homines licèt
Adhorter, inquit, plus profecturum putas?

FABULA XVI.

Turdi.

AMANS quietis, & periculum timens
Unus de multis, qui petebant exteras
Regiones, peregre abire Turdus noluit;
Suoque victitare natali ſolo,
Si fors beatè minùs, at certè tutiùs,
Maluit. Acutum poſt ubi remiſit gelu,

K vj

Hiememque veris pellere cœperunt vices,
Tanto relictos e grege reverti videt
Duos omnino. Cùm niterent hi quidem,
Etiamque pinguioris onere corporis
Diſtenderentur, ſortem jactabant ſuam:
Tuque, inquiebant, si voluiſſes hunc locum
Deſerere, & eſſe noſtri incepti particeps,
Non sic langueres invenuſtus, & macer.
Contra ille retulit: Mihi, macro quantùmlibet,
Et invenuſto, vividæ vires tamen
Vigeſcunt: at validior eſto ſanitas,
Meliorque noſtrâ, vos corroboraverit;
Quantis repertum eſt hoc bonum periculis
Obnoxium? abire tanto quos vidi grege,
Cur vos recipio partem vix centesimam?
  Trans Oceanum opes qui peregrinas petunt,
Hi fabulam ad ſe pertinere exiſtiment.

FABULA XVII.

Aſellus & Rivus.

AD Rivum Aſellus venerat: egregios videt
In margine ſatos ulteriore carduos:
Sollicita jejunum huc porrò impellit fames,
Suadetque, dulcibus agens illecebris, ſtatim
Trajicere Rivum; quod & aquæ sinunt breves:
At delicatos lympha si tingat pedes,
Timet inepta pecus, ne rigeſcant ſcilicet:
Exſpectemus, ait, omnis aqua dum defluat.
Exſpectat ergo, at tamdiu, dum languidos
Deficiat artus pæne conſumptus vigor.
Trajicere tandem si queat, tentat vadum;
Sed fruſtra: inertem limus impedit tenax

Et lubricus, ne ad dulces perveniat cibos.
Rem bene gerendi quiſquis horam prorogat,
Bonis, quibus eget maximè, meritò caret.

FABULA XVIII.

Iris & Phœbus.

SPECIES refulgens tot variis coloribus
Irim ſuperbam fecerat: ſed poſtmodum
Facta ex ſuperba cùm fuiſſet inſolens,
Contemnere illa præ ſe Phœbum cœperat,
Cui color ineſſet, quamlibet nitido, unicus.
Sentit, & inanem ut reprimat ſuperbiam,
Reſpicere Phœbus illam deſinit; & ſimul
Vaneſcit ejus omnis & color, & decor.
Hos qui vituperant, quorum beneficio ſuos
Debent honores, hâc monentur fabulâ.

FABULA XIX.

Cervus & Piſcator.

IN litore maris Cervus iter cùm carperet:
Nullum, ait, opinor, eſt periculum mihi
Ab aquis timendum; verùm ab agris non item.
Huc ergo tantùm reſpicit, malum ſibi
Infligat ne quis fortè venator, cavens.
Piſcator autem cymbulâ vectus levi
Senſim propinquat, oram & extremam legit;
Jactoque telo malè cautum ſternit ferum.
Undique cavendum eſt: e loco minimè omnium
Suſpicioſo calamitas ſæpe advenit.

FABULA XX.

Mus & Talpa.

Mus inconſultus huc, illuc dum curſitat,
Paſcentem in ipſo cavi aditu Talpam videt:
Compellat ultro: reſpondetur: invicem
Confabulantur. Hunc oculis captum ferunt;
At cautus eſt, & facilè quemlibet ſonum,
Paratus, aure ſemper arrectâ, excipit.
Murem sic admonere cœpit: Heu! miſer,
Cur tam ſollicitos, tamque tibi parum utiles
Amas iterare curſus? Quid tantùm juvat
Ferri, referri, & inquietum pertrahi,
Utcumque prava curiositas jubet?
Quietus, & beatus in tuo potes
Latibulo vivere: illud, an te ipſum fugis?
Ibíne ſolùm inviſus occurris tibi?
An verò neſcis, te, simul erumpis foràs,
Multisque, gravibusque objici periculis?
Nihil umquam audiſti perniciosâ felium
De gente, quàm sit agilis, aſtuta, & rapax,
Tuumque quantis cladibus afficiat genus?...
At, at, mihi aures perculit aliquis ſonus:
Latibulum ſubeo: tu vale, & fuge, si ſapis.
Nihil eſt, Mus inquit; te ciet inanis metus:
Manedum. Sed ille jam cavo latet ſuo.
Simulque felis (nam ipſa furtim repſerat,
Prædam ſecuta) prosilit, & Murem capit.
Vivit beatus, qui latens vivit sibi.

FABULA XXI.

Chamæleon.

CHAMÆLEONTIS quis color proprius foret,
Duo viatores diſputabant : Viridis eſt,
Ait unus : immo violaceus, alter refert.
Delitigantes cùm viam procederent,
En ſe ipſe, cauſa jurgii, Chamæleon
Objicit, aperto in heliotropio ſedens;
Flavusque totus viſus eſt. Stupentibus :
Color omnis, præter candidum & rubrum, mihi
Rerum, inquit, omni ſpecie ab objecta venit.
Turpis Adulator hoc ſibi ſcriptum putet :
Namque ille, niveam præter innocentiam,
Pudoremque verecundum, imitatur omnia.

FABULA XXII.

Villicus, Felis, & Caſeus.

CLAUSAM in cubiculo Villicus Felem inſcius,
Expoſitumque ſimul Caſeum reliquerat.
Ergo illa prædam tam parabilem videns,
Nil dubitat ilicet & capeſſere, & frui.
Herus domum reverſus, vacuum Caſeo
Reperit catinum, terſumque : dolet : reſpicit :
Reſidentem in clunes adſpicit felem, & ſuo
Vultu modeſto, leniterque perfido,
Magnum exhibentem ſpecimen innocentiæ :
At iſta ſpecies, inquit, non me decipit,
Scelerata beſtia ; nam meum pinguem mihi

Te ſurpuiſſe Caſeum , certò ſcio.
Immo hunc comêdi , Felis ait , nec pœnitet :
Tuæque pignus largitatis credidi :
Namque tua sinere non potuit prudentia ,
Cuſtodiendum Feli Caſeum ut dares.

FABULA XXIII.

Imago picta in Camerâ.

ALIQUIS in altâ Camerâ pictam Imaginem
Miratus : Illa quantò , dixit , ſuaviùs
Teneret oculos , si prope adſtaret mihi ,
Quæ tam procul remota tam valdè placet !
Secretiores ergo per ſcalas levi
Adſcenſu ad ipſam pervenit teſtudinem :
Sed omnia vaſta lineamentis videns
Crassique , diductisque in enormem modum ,
Stupet , & agnoſcit denique errorem ſuum.
Quàm multi in alto collocati culmine
Oculos hiantes infimorum detinent
Errore blando , quos propiùs si inſpexeris ,
Grandes pateſcent turpitudinis notæ !

FABULA XXIV.

Homo & Urſus.

IN confragoſum ſe aliquis abdiderat nemus ,
Vitam obſtinatus agere ſolitariam.
At ſolitudo cùm tamen grave tædium
Afferret , arcto ſocietatis vinculo

Sibi junxit Urſum nemoris ejusdem incolam:
Qui singularis ſtimulo amoris percitus,
Utilibus, agreſte ingenium quantùm ſinit,
Juvare ſocium curis, & laboribus,
Et genere quovis officiorum nititur:
Modò nemus omne luſtrat ipsi, diligens
Venator, & prædam affert quâ potitus eſt;
Modò fidus ipsi janitor ſervat caſam:
Etiamque muſcas, si per æſtivos dies
Moleſtas eſſe dormienti viderit,
Abigere didicit: una ſed Hominis genas
Cùm inſtaret olim pungere contumaciùs,
Et ſæpe abacta, ſemper huc reverteret;
Arripuit lapidem, robore quem magno vibrans
Impegit, muscamque, & Hominem leto dedit.
Stultus inimico ſæpe amicus plus nocet.

FABULA XXV.

Vulturius, Oſtrea, & Vulpis.

Vulturius olim invenerat grandem Oſtream;
At teſta prædam durior cùm clauderet,
Suam ille fruſtra explere conatur famem:
Idoneum ergo a Vulpe consilium petit.
Quæ delicatæ pariter appetens dapis:
Operam, inquit, omnem miſerè perdideris tuam,
Si frangere velis corneam roſtro domum:
Sed altè in auras evola, quantùm potes;
Hinc rupem in iſtam mitte durum corticem;
Facilè frangetur, & apertam dapem offeret.
His ille monitis ſtultus ultro paruit.
At liberatam carcere Oſtream ſuo
Poſtquam videt doloſa Vulpis, hanc vorat,

Concharque tantùm Vulturio linquens, fugit.
Hos fabula docet imprudenter conſuli,
Ad quos redire consilii fructus poteſt.

FABULA XXVI.

Aves de creando Rege deliberantes.

REGEM creare cùm sibi vellent Aves,
Dicto adfuit gens omnis & die & loco:
Ibique ſciſſæ ſtudiis dum partes ſtrepunt,
Et fluctuantur animis alternantibus,
Comitia pavo luſtrat intereà, rotat
Superbus, omnes caudæ gemmas explicat.
Tam nitidus oculos vulgi præſtringit decor;
Nomenque regis ac decus junonio
Quin deferatur aliti, jam nil moræ eſt.
At pica renuit; consiliumque reprobans
Male auſpicatum: Pulcher, & comptus quidem
Rex, inquit, ille eſt, quem placet nobis dari;
Sed bella si excitentur, si hoſtes ingruant,
An fortis ultor vindicabit impetum?
Inertia fortè redimitur prudentiâ:
Ipsius at mens cæca tam eſſe dicitur,
Quàm cæci, quotquot oculos in caudâ gerit.
Aſſentit omnis cœtus, & plauſu dato
Picæ ſagaci, damnat errorem ſuum.
Species inanis imperitos decipit:
Peritus in re nil, nisi ipſam rem, videt.

FABULA XXVII.

Puer & circumlitæ ſaccharo Nuces.

SATIS quidem capacis alvi, at gutturis
Paulò arctioris vitreum vas, ſaccharo
Circumlitas tenaci, ſervabat Nuces:
Quorum albicantis illecebras corticis
Pellucida clauſtra cùm foràs tranſmitterent;
Tantam bonorum copiam ſimul adſpicit,
Simul fruendi cupidus accedit Puer.
Facilè, quò properat, vacua deſcendit manus;
Evadere autem plena nimis jam non poteſt:
Amittere ille, quam tenet, prædam negat;
Et pugnat obſtinatus, & nil proficit:
Flere ergo cœpit. Stultam pervicaciam
Miſeratus aliquis: Tot ſimul, ait, ſi velis
Capeſſere, nullam habere fas erit tibi;
Sed habebis omnes, ſingulas ſi ſumpſeris.
Jam monui, & rurſus id monere juverit:
Sibi ipſa ſemper nimia cupiditas nocet.

FABULA XXVIII.

Philomela & Veſpertilio.

CAPTIVA totos muta peragebat dies
Philomela: tantùm, nox ubi multa venerat,
Canere ſolebat, luctûs ad ſolatium:
Cauſam cùm peteret quidam Veſpertilio,
Reſpondit: Quia diurnis cantibus meis,
Ut me miſellam caperet, adduxi aucupem.

Statim ille retulit: Si ſic feciſſes priùs,
Quàm capta in huncce trudereris carcerem,
Laudarem; at iſtas, cùm tibi proſunt nihil,
Nunc te recurrere ad artes, ſtultum judico.
Prudentiâ cavetur, ne eveniat malum:
Evênit? unâ oblivione vincitur.

FABULA XXIX.

Myrtus & Arbor magna.

Quassata ventorum importunis flatibus
Suadet colono Myrtus, ipſam ut transferat,
Locetque in umbrâ vaſtæ & excelſæ Arboris:
Sed Arbor illa tanta cùm radicibus
Breviſſimis hæreret in terræ ſinu;
Simul atque boreas ingruit violentior,
Cadit, ruinâque opprimit Myrtum ſuâ.
Sortem clientum fabula miſeram indicat.

FABULA XXX.

Avarus & Graculus.

Furax Avaro nummos aliquot Graculus
Surripuit, abditoque repoſuit loco.
Sed mox cùm Avarus furtum haberet cognitum,
Velletque furem comprehenſum plectere:
Mala beſtia, inquit, te mihi nam quis meos
Abripere nummos furor adegit? quid tibi
Prodeſſe poſſunt? hos edules an putas?
Non eſſe edules ſcio, reſpondet Graculus:

Eos tamen, deceptus exemplo tuo,
Prodeſſe mihi tam poſſe, quàm tibi, credidi.

FABULA XXXI.

Gallina plumis ſpoliata.

GALLINAM vulpis rapuerat famelica;
Nec ſuſtinens, dum tuto manderet hanc loco,
Moras breves, plumarum jam ſpoliaverat
Plus parte mediâ. Facinus advertit canis;
Accurrit; in prædonem vehemens irruit,
Avidiſque prædam extorquet illi e dentibus.
Gallina malè mulcata cùm gentem ad ſuam
Rediret: O ſorores, quàm parum abfuit,
Quin dirâ vobis, inquit, eriperer nece!
Hinc fortè in agros paululùm diverteram:
Scelerata vulpis me nec-opinantem rapit,
Miſeramque, validus ni canis ſuccurreret,
Vorâſſet. Exin memorat, flebiliter gemens,
Gravibus ſuam omnem Sorte ab injuſtâ malis
Quàm ſæpe jam olim doluerit vitam opprimi:
Et verbis, ut dolentûm mos eſt, aſperis,
Etiamque pauló ſignificantioribus,
Suum renarrat infortunium recens,
Dulcem excitare cupiens miſericordiam.
Contra ſed illæ ſic glocientes clamitant:
Fuge hinc, inepta, cum tuis querimoniis;
Tibique apud aves quære deplumes locum:
Si miſera es, ipſa, quidquid advênit mali,
Tibi advocâſti moribus indoctis tuis:
Cúmque ea parumper renueret, ferociunt,
Roſtriſque ſævis abigunt, extrudunt foràs.
Ubi eſt calamitas, eſſe ibi culpa creditur.

FABULA XXXII.

Ictericus.

Quodcumque sive ars, sive natura exhibet,
In Orbe præſtans eximiis coloribus,
Ictericus omne id reſpuebat intuens;
Et indignatus conquerebatur, nihil
Occurrere usquam ſibi, quod flavum non foret.
Sed aliquis, iſtam non ferens calumniam:
Cognoſce teipſum, dixit; atque ſedulò
Proviſe, morbum, quo laboras, si queat
Suis medicina remediis expellere:
Videre ſano res, uti ſunt, fas erit.

FABULA XXXIII.

Asinus pelle leonis indutus.

Asinus leonis fortè pellem invenerat:
Suo ſtatim illam corpori aptans induit.
Ita nempe vitii id omne, quod ſibi indidit
Natura, facilè corrigi poſſe autumat:
Etiamque calidos jam ſe habere ſpiritus
Miratur, &, eorum inſolens, ſibi adſtupet.
Hinc ſe ergo contra silvicultrices feras
Bellator infert; ſeque terribilem putans:
Tremite, paveſcite; hoſtis en adſum ferox,
Immiſericorsque, ſtrage qui multâ domos
Implere veſtras, animo deſtinaverim.
Dixit; alacerque prosilit magno impetu,
Signumque belli dat simul clarum, & rudit,

Et ab ore vaſto clamorem horrificum ciet.
Fugêre primò territæ adſpectu feræ;
Sonusque celerem duplicat auditus fugam.
At cantilena callidam non decipit
Aſinina vulpem: pecudis arcadicæ melos
Probè illa novit; ſeque fert ipſa obviam:
Aſinumque, dixit, te eſſe nunc etiam liquet;
Quod & iſtæ auriculæ, quarum apex ſurtim emicat,
Satis indicabunt, si ipſe denegaveris.
Tunc belluarum cetera, expulſo metu,
Plebs revenit; & Aſinum ambit; & acerbè jocans,
Alienum ineptæ pecudi tegmen deripit,
Ictuque crebro inertem pulſat, & probris
Onerat, & omni contumeliâ afficit.
Ibi militaris nil juvat ſpecies, ubi
Occaſione deficit animus datâ.

FABULA XXXIV.

Felis & Canis.

Felem, Canemque longa contubernii
Neceſſitudo tam bellè conjunxerat,
Ut etiam ſæpe mutuùm colluderent.
Miratus aliquis, quòd animalium in genus
Tam diſpar caderet tanta familiaritas,
Naturæ quamdam conciliatricis fidem
Occultam, tantò firmiorem credidit
Subeſſe, quantò hæc ipſa rarior foret.
At mox, utrique cùm ciborum reliquias
Projiceret in commune, ut advertit pari
Contentione prædam ab illis diſtrahi,
Rixamque concitari, pugnam denique
Pugnari, ut feles inter & canes ſolet:

Veſtra, o malæ, inquit, beſtiæ, indoles patet:
Vos, video, nulla vis amicitiæ priùs
Sociavit; una ſed libido perpulit:
Res fructuoſa namque vix proponitur,
Diſcordia simul media vos inter venit.

FABULA XXXV.

Agricola & ejus filius.

AGRICOLA curam filio mandaverat
Agrum excolendi, vetere ſqualentem situ,
Fruticantibusque ſentibus latè horridum.
Tanti laboris ille ſpeciem non tulit;
Silvamque fœdam vix oculis luſtraverat,
Exterritus recubuit, & vel otio,
Vel etiam ſomno totam conſumpsit diem.
Quod ita accidiſſe, propter ægritudinem
Hujus malè deſperantis, ut advertit pater:
Age, nate, dixit, quid operæ sit opus, vide:
Nunc iſte, latus quinque dumtaxat pedes,
Purgandus, excolendus angulus èſt tibi.
Is cùm annuiſſet, & factu facillimum
Opus hoc diurnum compeiſſet; alterum
Consimile penſum sibi datum poſtridie
Aggreſſus ultro eſt, & pari abſolvit modo:
Aliisque deinde ſe diebus ad patris
Implenda juſſa morigerum sic præſtitit,
Ut cultum agri pars nulla non receperit.
Objecta rerum magna moles territat?
Partem intuere, & aggredere eam naviter;
Quæ facilè votis ubi tuis reſponderit,
Aliæ ſequentes similem habebunt exitum.

FABULA

FABULA XXXVI.

Nux & Arbores infructuoſæ.

FABULA XXXVII.

Perdices duæ & Auceps.

De ſorte cùm Nux gloriaretur ſuâ,
Aliasque multas Arbores contemneret
Infructuoſas; una dixit: Fructibus
Ubi tuis aliqua acceſſerit maturitas,
Simul omnes fuſtibus & lapidibus te petent,
Et exſpoliando mille plagas ingerent.
Tunc ſterilitatem noſtram hanc optabis tibi,
Hanc ipſam, quam tu nunc, ſuperba, deſpicis.
Confidere ſuis divites opibus vetat
Fabula: rapaces copia invitat manus,
Ut non modò gravi ſæviant injuriâ,
Sed & aliquando perniciem ſummam afferant:
Quod altera hæc fabella teſtatum dabit.
Pullos eodem in agro Perdices duæ
Simul educabant, una complures quidem;
At altera duos tantùm. Ditior parens
Contemnere cœpit iſtam præ ſe pauperem:
Quantisque, dixit, me affici damnis priùs
Eſſet neceſſe, quàm mea similis tuæ
Fortuna fieret! Talem cùm ſuperbiam
Paupercula parens ferre non poſſet; loco
Diverſa paulùm abſcessit. Intereà ſuis
Inſtructus Auceps omnibus dolis, gradu
Accedit illuc tacito: paſcentem hanc videt
Cum prole gemina, reſpuitque: at alteram,
Stipante cinctam tanto pullorum grege,

Ut pariter adſpicit, eò confert unicè
Induſtriam, cæcosque pedicarum dolos;
Matremque, & omnem familiam simul capit.

FABULA XXXVIII.

Os & Oculi.

ORA invidebant oculi, quòd varias dapes
Huc usque & usque, sibique numquam porrigi
Ullas viderent: ergo id injuſtum putant,
Expoſtulantque cum manibus. Iſti manus
Solatium aliquod ægritudini ut ferant,
Mel, invenire quod licuit ſuavissimum,
Peramanter ipsis admovent: at melleam
Hi ſuavitatem non modò nullam ſentiunt,
Sed & gravi torquentur acrimoniâ.
Non appetenda quælibet bona ſunt tibi;
At ſola, quæ naturæ conveniant tuæ.

FABULA XXXIX.

Adamas & Artifex imperitus.

OLIM imperiti cùm veniſſet in manus
Artificis Adamas, ſubter illapsis quidem
Granis notatus arenulæ, at levissimis,
Perpauculisque, cetera commendabilis
Et magnitudine, & nitore, & pondere;
Is obſtinatus, nil non, ut vitium extrahat,
Tundendo, radendo experitur: at ſuum
Denique Adamantem deminuendo perdidit.
Periculoſum eſt vitia quædam tollere.

FABULA XL.

Pratum, Apis, & Vipera.

HERBIS opertum erat innumeris Pratum ferax;
Sed ut ſalubres multas, & ſuaviſſimis
Paſſim offerebat præditas coloribus
Odoribusque, sic etiam aliquot ſuâ
Contagione, peſtiferoque noxias
Veneno alebat. Huc adrepsit Vipera,
Apisque pariter advolavit: at fuit
Utriusque ſtudium longè diſpar. Hæc enim
Generandi mellis cupida, qui gratiſſimus,
Simulque fuerit optimus, florem hunc petit,
Huic diligente pertinaciâ insidet,
Hujus liquores exquiſitos exprimit.
At Vipera, ſuum ut augeat virus, malam
Cicutæ ad herbam tendit, hâc ſe ingurgitat,
Succosque triſtes corpore atro combibit.
Boni bona, mali mala ſolent ex omnibus
Deligere libris, propria quæ faciant sibi.

FABULA XLI.

Sorex & Mus.

CUM cantitare bellè ſeſe crederet
Sorex, acutos ore ſtridulo ſonos
Ciere ſolitus, geſtiebat, & sibi
Plaudebat; Muris etiam carpebat jocans
Taciturnitatem. At ille: Si ſaperes, ait,
Pariter taceres: quo dicto, ſubiit cavum.

Mox autem inepti crebreſcente Soricis
Stridore feles admonita ſupervenit,
Tacitoque greſſu accedens incautum occupat.
Atque ita ſuo ille proditus indicio perit.
Damnoſa ſtulto ſemper eſt loquacitas.

FABULA XLII.

Urſa & Leæna.

Quædam Urſa catulos ut figuraret ſuos
Laborioſè & anxiè cùm lamberet;
Vidit Leæna: Lambe, ait, quantùm voles,
Non fiet, urſos ut non educaveris.
Raró elegantem cura reddit hunc librum,
Quem ſemel informem partus infelix dedit.

FABULA XLIII.

Eruca & Vipera.

Æstivus olim dum Sol ardet, Viperæ
Eruca dixit: Me oppidò miſeret tuî,
Quæ, tanta cùm ſis, cogeris humi repere
Per ſeſqua, ſilices, totque inæquales vias:
Natura ſed mihi dedit innumeros pedes,
Qui ſuſtinerent hoc meum corpuſculum.
Tibi tamen, inquit Vipera, invideo nihil;
Te namque multò celeriùs, quamquam pedes
Non habeo, poſſum pervenire quô volo.
Ignaviam ſubſidia nil fere juvant:
Per ſe ipſe ſolus multùm agit habilis vigor.

FABULARUM
ÆSOPIARUM
LIBER UNDECIMUS.

FABULA I.

Amnes, Pontus, & Natura.

VEHEMENTER Amnes indignari cœperant,
Quòd cogerentur perpetuo volubiles
Agitari curſu, ut undis vectigalibus
Avaros Ponti locupletarent gurgites:
Cur ſe ille fines continens intra ſuos
Ita veſit unus opibus alienis frui?
Excurrat: urbes atque agros perambulet;
Aut nulla poſthac auxilia ſperet sibi.
Statuêre demum lite cauſam perſequi;
Ipſamque Naturam adhibuêre judicem.
At illa queſtus hos ubi vanos audiit,
Damnavit inſolentem contumaciam:
Refugitis, inquit, opibus hunc ſuperfluis
Juvare, cujus ex benigno munere
Venit id, quod eſtis; nam ipſe cuncta permeans,
Ne desit humor fontibus veſtris, cavet.
Dixit, & ab omni sic jam ſolitos tempore,
Decurrere jubet patrium ad Ponti ſinum.

Obtemperare properant Amnes ; & ſuis
Pendere tributa Regibus populos docent.

FABULA II.

Leo & Villicus.

Fame coactus Villici chortem Leo
Subierat. Ille facilè ſe prædâ ratus
Tantâ potiri poſſe, clauſit oſtium.
At vix regreſſum ſibi negari ſenſerat,
Ilicèt atroces corde flammato Ferus
Concepit iras : diris infremuit modis,
Simulque, rapidus quò furor pepulit, ruens,
Crudelitatis ſpecimen horrendum dedit.
Namque violentus irrumpit in ovilia,
Et in bubilia ; miſeraſque ſtrangulat,
Laceratve pecudes. Tunc dolore perditus
Suam exſecratur temeritatem Villicus ;
Trepidanſque furtim patefacit, quantam poteſt,
Viam Leoni : qui mox egreditur quidem,
At victor, at cruore plenus, & ſatur.
Ad incitas redactus hoſtis præferox
Quàm ſit timendus, illud exemplum docet.

FABULA III.

Simiæ & Vulpecula.

Coïere quondam Simiæ e regionibus
Prope univerſis interioris Africæ.
Strepunt ; & aliquid, quod ſit e re publica,

Statuere dum optant, multa movent, nil promovent.
Tantùm queruntur; deque contumeliis
Hominum, variiſque injuriis expoſtulant.
Una tamen: Iſti, credo, nos reputant, ait,
Pulchelli homulli ſensûs omnis indigas;
Peponemve nobis eſſe pro corde autumant:
Tanto, tam iniquo nos habent contemptui!
Atenim quid ipsis omnium inſevit parens
Natura, quo non gaudeat noſtrum genus?
Specie, decore, dignitate corporis,
Ni miſerè fallor, inferiores haud ſumus:
Bene qui nos verò noverit, ſolertiâ
Induſtriâque ſuperiores quis neget?
Sed nos tamen ſceleſtis interea dolis
Superare nôrunt: captas abducunt domum,
Venduntque ſcurris, qui nos, ut faciant lucrum,
Uni ſtudere cogunt hiſtrioniæ,
Hinc producendas ad jocum & lùdibrium.
Quid agimus autem? talibus cur denique
Nos vindicare miſeriis non quærimus?
Vitam ut agitamus omni legum vinculo
Solutam, inermes, &, libido quà jubet,
Vagantes, facilè vis & nequitia opprimunt.
Profuerit ergo, conſtitutis legibus,
Omnes in unum rite compelli gregem,
Variasque contra excurſiones hoſtium,
Circumdatam altis mœnîbus urbem condere.
Excepta magnis plausibus eſt oratio:
Pulchrè, bene, rectè, clamant; quódque probant, volunt
Id exſequi, ſtatimque. Sedem commodam
Fertilis ad imum collis eligunt latus,
Perennis unde fontis emanat liquor.
Jamque properabant ſaxa, ligna mœnibus
Apta exſtruendis quærere. At Vulpecula,
Conſilia earum ſtulta quæ cognoverat,
Increpuit; &, Vos quænam, ait, miſerabilis

Ad hos labores impulit perſuasio?
Quid opera vobis tanta promerebitur,
Sudorque tantus? Carcerem videlicèt.
Nam in urbe veſtrâ, quodam ut in vivario,
Clauſas tenebit hoſtis, & vos aut simul
Abripiet omnes, singulasve quas volet.
Denuntiatis territæ periculis,
Incepto inani deſtitêre Simiæ.
  Adversùs hoſtes validos imbecillium
Quò major multitudo congregabitur,
Hòc turba major opprimendam ſe dabit.

FABULA IV.

Equi duo.

Duos equiſo ſonipedes coëmerat,
Natos eâdem matre, firmis viribus,
Formâque corporis elegante præditos.
Hos educare cœpit. Alter ſe quidem
Cunćta ejus ad præcepta docilem præbuit:
At obſtinatus alter indole aſperâ
Dominum refutat: durum os, mobilius caput,
Cervix rigidior, nulla celeritas pedum,
Mollitia crurum nulla: quomodò diſceret
Variare gyros, vel tolutìm incedere?
Ergo hunc equiſo mulioni vendidit.
Poſt tempus ambo forte fortunâ simul
Cùm devenirent publici hoſpitis in domum;
Hic horridus, gerensque ſarcinas graves,
Alacrem, nitentem, &, glorioſo pondere,
Equite ſuperbum nobili, fratrem adſpicit:
Salutat; unde, simili prognatus loco
Uterque cùm sit, vitam agant tam diſparem,

Triſtis requirit. Ille reſpondet : Bonum
Hoc omne, frater, in me ineſſe quod vides,
Bene collocata fecit educatio.

FABULA V.

Canis & Taurus.

PUGNAM parabat inire cum Tauro Canis;
Et, Facilè vincam, dixit; namque dentibus
Sum longè melior. Capite ſed prono irruens
Hunc fôdit ille nec-opinantem cornibus.
Fabella te ullo cum hoſte congredi vetat,
Niſi antè nôris, quà minùs, quà plus valet.

FABULA VI.

Naufragus & Oceanus.

ÆRIS alieni vi obrutus quidam nepos
Cùm nihil haberet, unde ſolvendo foret,
Rem lite voluit perſequi ejus creditor;
Sed ipſum Æſopus fabulâ hâc deterruit.
Magnas dolebat aliquis amiſſas opes
Naufragio: Oceanum poſtulat de injuria.
At ille: Numquid diſſimulavi, qui forem?
Numquid voraces eſſe gurgites meos
Neſcire debuiſti? Ceterùm ex aquis
Tua bona recipe, ſi potes, per me licet.

FABULA VII.

Aſellus ſimum, deinde flores gerens.

OLENTE Aſellus ibat oneratus ſimo:
Cùm verò peſtem refugientes fetidam
Plerique latè de via decederent:
Hi nos verentur, debitum & noſtris, ait,
Meritis honorem præſtant. Alterâ die
Positos figlinis vasibus flores gerens
Rediit: ad ipſum multi accedunt, optimos
Secuti odores & colores vividos.
At ille confluxiſſe turbam exiſtimat
Se unum videndi & admirandi gratiâ.
Habet hoc ſtupiditas oppidò percommodum,
Quòd cuncta facilè in optimam partem accipit.

FABULA VIII.

Pulex & Homo.

PULEX momordit Hominem: at extemplò fuit
Comprenſus. Oro mittere me, ait, ut velis
Beſtiolam tam minutam, tam levis ream
Punctûs. At ille renuit; hoſtemque enecans:
Doceantur, inquit, ceteri similes tuî,
Periculoſum quàm ſit illos pungere,
Quorum digitulis facilè poſſunt opprimi.

FABULA IX.

Canes duo & Ovis.

MAGNO furore perciti Canes duo
Lacerare ſeſe mutuis dum morsibus
Inſtant, amica pacis & concordiæ,
Componere iras, dirimere atrox prælium
Studet Ovis; etiamque audet interponere
Os tenerum & imbelle efferatis rictibus:
Sed nec valet proficere quidquam; & præmium
Inanis operæ, os inde diſciſſum refert.
Ne ſe potentum rixis medios ingerant,
Infirmiores hâc monentur fabulâ.

FABULA X.

Gallina & Formica.

SUIS comitata pullis dum perambulat
Gallina campos, in formicas incidit:
Huc huc adeſte, clamat; hîc insiſtite,
Comedite: præbet optimam vobis dapem
Nigerrima iſta beſtiolarum natio.
Hi juſſa matris ore peragunt ſtrenuo;
Neque illa dulcem carpere eſcam negligit.
At cogitatio triſtis intereà ſubit,
Quæ talibus querelis mox effunditur:
Vos, o miſelli, ſedula educo parens,
Expleo alimentis exquisitioribus,
Herus hinc ut avidus bene ſaginatos voret!
Heu flagitiosi ventres! heu gula! heu ſcelus!

Coqui, esitari tam formoſas alites!
Tam delicatas, tam innocentes victimas
Jugulari! Ab alto proxima ramo arboris
Formica, quæ ſe huc, evitaret ut necem,
Receperat, querentem Gallinam audiit;
Et, Iſta quænam eſt, inquit, impudentia,
Quòd tam ſeverè de hominum nunc expoſtulas
Crudelitate, cùm ipſa tu crudelior
Gentem univerſam prandio uno deleas?
Damnare qui vult alios, ſe inſpiciat priùs.

FABULA XI.

Remi & Clavus.

REMI increpare quondam Clavum cœperant;
Hanc dictitabant ejus eſſe inertiam,
Quòd abſtineret verberandis fluctibus,
Staretque ſemper fixus. Dum ſic obſtrepunt
Tumultuantes, appropinquavit ratis
Ad ſaxa quædam occulta: damnum ſentiunt
Remi; unus & mox alter, & mox tertius
Illiditur: reflexus at motu levi
Clavus ratem omni liberat periculo;
Et, Diſcite, inquit, quàm non ſint inutiles,
Rem providentes qui gubernant publicam.

FABULA XII.

Simius.

PERSONAM inepti & impudentis troſſuli
Cùm ſuſtinuiſſet bellè quidam Simius,
Socium recenti philoſophorum ſe gregi
Addidit; & iſtam bellè perſonam quoque
Suſtinuit: at, quæ eſt imitatricis beſtiæ
Levitas, mox ipſum philoſophari tæduit.
Quid ſectamur, ait, diſciplinas futiles?
Quin ſapimus, & sinceram laudem quærimus?
Ergo ſimulare nititur hominem probum:
Perficere nullo ſed modo inceptum valet.
Aliqui ſunt artibus ita corrupti malis,
Nequeant ut ipſum induere ſimulacrum boni.

FABULA XIII.

Struthiocamelus & Alauda.

STRUTHIOCAMELUS plumæ candidissimo
Nitore, denſâ & mole vaſti corporis
Dum gloriatur, ceterarumque alitum
Præ ſe univerſum reputat abjectum genus;
In cælum fortè ſuſpicit: Alaudam videt,
Minutam aviculam, ignobilique præditam
Specie, ſublimes purioris ad plagas
Ætheris animoſam ſe volatu tollere:
Et, Hæc mea, inquit, dignitas quid me juvat,
Si pondus eſt, quod retinet hærentem ſolo?

FABULA XIV.

Fontes duo.

FONTES eodem monte prognati duo
Aliquandiu inter arundineta, per vias
Utrinque non absimiles, poſtquam pauperem,
Gementes, conquerentes, torſerant aquam;
Fortè unus ad lævam exsilit, & pratum adſpicit
Diffuſum in infinitam magnitudinem,
Ridentibusque passim amictum floribus;
Et, O vale, inquit, frater mi, vale; huc ſequor,
Jucunda rerum quò nova hæc ſpecies vocat.
Simul abit hinc diverſus, & pratum petit;
Ejusque variam latè pulchritudinem
Percurrere dum vult, ſe plures in rivulos
Dividit: at avidum ſatiat exhauſtus ſolum;
Florumque triſtes inter delicias perit.
Intereà eodem, quo receptus eſt ſemel,
Prudentior alter alveo ſe continens,
Labitur: it inter aſperas cautes quidem,
Curſusque paulò difficiliores habet,
Rarumque gratos; at ſuî amittit nihil:
Immo e propinquis decidentem collibus
Catervam aquarum recipiens, auget ſuas:
Mox etiam ad ipſum hinc inde rivi confluunt;
Fitque amnis ingens, rivus ipſe qui fuit.
Non eſſe eundum, blanda quâ facilem viam
Monſtrat voluptas, hoc exemplo diſcimus.

FABULA XV.

Tirunculus in pilæ ludo, & ludi Magiſter.

PILA, rudis adhuc, ludere Adoleſcentulus
Magnopere amabat: exciperet ipſam modò,
Satis peritè mutuam remitteret:
At fervidior excipere vix umquam poteſt.
Ludi Magiſter sic monebat: Ni tuos
Cohibere motus celeriores noveris,
Studio & labore quolibet ſcientiam
Noſtræ hujus artis haud licebit aſſequi.
Cur intermiſces alios aliis impetus
Usque vehementes, usque & usque turbidos?
Servare, & exſpectare venientem pilam
Diſce: in reticulum providentis decidit;
Conatum inanem præcurrentis præterit.
Denique memineris in hiſce noſtris luſibus,
Haud aliter, atque gravibus in negotiis
Præpoſteram nocere diligentiam.

FABULA XVI.

Ex ſervo Dominus.

OPES repentè ad maximas emerſerat,
Qui fuerat antè ſervus, parmenoniâ
De gente, doctus ſtare, dum bigæ volant,
Poſt rhedam, ac dominum ſuſtinere pensilem:
Is ipſe, veterum nunc dominus ſodalium,
Cùm totus eſſet in gravi negotio:
Jungite equos, inquit: viſere Mathonem volo.

Parent: deſcendit; at vehiculi non videns
Uni patêre molle cubiculum ſibi,
In partem, ut olim, poſticam levis inſilit.
Non facilè omittes agere, quæ diu egeris.

FABULA XVII.

Perdix & Villica.

VEXATA Perdix gravibus infortuniis,
Cùm quæreret vim contra & insidias locum,
Eſſet ubi tuta, ad Villicam confugerat:
Miſerere matris, inquit, quam miſeram facit
Spes dubia ſobolis; o miſerere, quæ potes
Parere sine metu, & educare liberos!
Crudelis, heu! venator, atque barbarus
Ova, tenera ova me incubare non sinit:
Vel modò, ferociùs ingruens, nido expulit;
Viſamque plumbo confeciſſet miſſili,
Nisi necem mihi paratam præcipiti fugâ
Vitarem, & iſtas per ſegetes, cæcis viis,
Huc me reciperem. Te ergo nunc nefarii
Contra exſecrandos hominis auſus, o bona,
Per dulce matris nomen obteſtor; mihi,
Expoſcere jubet quam necessitas, opem
Ne deneges: habere me hoſpitam velis;
Meumque nidum transfer in domum tuam.
Promitte tantùm, quos priùs ſervaveris,
Quàm naſcerentur, poſtmodum bonâ fide
Vivos, vigentesque a te ſervandos fore
Incolumes. Precibus Villica his ultro annuit,
Et ſe hoſpitali jurejurando obligat.
Ad ova properat indicata; colligit;
In angulo cubiculi ſecreti locat;

Quas eſſe novit maximè acceptas dapes,
Ponit parenti: læta mox tenerum gregem
Exsiſtere videt; curam & impendit libens
Vigilantiorem: denique fidem, quam dedit,
Præſtare, facilè ſtatuit: at pullis ubi
Veniſſe corpus atque pinguitudinem
Advertit, horum dulce veſci carnibus;
Et utile eſſe, meminit; & epulum viro
Solemne præparandum cùm recurreret,
Necat, heu! miſellos, verubus & fixos coquit;
Ipſamque matrem elixam condît juſculo.
  Pugnat ubi utilitas, facilè vincitur fides.

FABULA XVIII.

Viator & Ignis Fatuus.

CUM vallis inter deviæ putres lacus
Erraret altâ noctis in caligine
Viator, ignem vidit, quem fatuum vocant;
Et prælucere a proxima putans domo
Aliquâ, recipere quò ſe poſſet, hunc ducem
Secutus eſt. Mox autem præceps cum ſuo
Duce lutulentum in gurgitem devolvitur.
  Fallaciores tenebris ipsis indicat
Fabella multas, quæ micant hodie, faces.

FABULA XIX.

Homines duo, cæcus alter, alter claudus.

DUO, cæcus alter, alter autem debilis
Dextro pede, homines ad vadum devenerant
Formidoloſum: reſtiterunt. Audii,
Cæcus, ait, iſti, quod quidem nunc admones
Obſtare, non temere eſſe credendum vado:
Hinc namque, & illinc gramineâ, quam tu vides,
Specie lutoſas obtegi voragines;
In quas, nisi usque media teneatur via,
Facillimum eſſe deprimi, veſtigio
Fallente, mergique; ergo utroque lumine
Privatus, haud me his ausim aquis committere.
Neque ego mehercule, inquit Claudus, hoc pede
Uno adjuvante, nec ſatis ſtabili, neque
Satis expedito, hanc aggredi viam velim:
Sed humeri fortes tibi ſunt; & oculis ego
Clarè videntibus utor: imponi tuæ
Cervici me sine: gradientem dirigam.
Aſſentit ille: sic vadum, quod uterlibet
Solus nequiſſet sine periculo ingredi,
Tuti simul ope mutuâ ambo tranſeunt.
Ad omne ſpectat fabula humanum genus.

FABULA XX.

Scarabæus & Aquila.

SCARABÆUS Aquilæ illapſus in dorſum inſciæ
Adſcenderat. Illa ſe ſupra aërias plagas
Ardentem in ignis fulminumque patriam
Impavida tollit, animal impurum gerens,
Nec ſentiens. Tum incurſitantes mutuo
Fragore nimbos ut Scarabæus audiit,
Speciemque vidit fulgurantis ætheris,
Hæſiſſe vellet in ſolo, inter fetidas,
Quas conglobârat, bubuli pilas fimi.
Illuc quidem redibit; at eum jam vetant
Redire vivum Fata: nam perterritus,
Aurasque carpere regionis igneæ
Subtiliores non valens, delabitur;
Ipſumque delabentem vita deſerit.
Monentur humiles, altiora ne petant.

FABULA XXI.

Mus & Taurus.

MUS, nebulo pravus & malitioſus, gravi
Inſtinctus odio, dormientis in pede
Tauri protervis dentibus memorem notam
Fixit; cavumque repetiit celeri fugâ.
Ille excitatus quærit auctorem mali,
Juſtæ ultionis cupidus, & nullum videt:
Hinc totus exardeſcit iracundiâ
Terribili; atroces ore mugitus ciet.

Rabido : furoris intremit cæci impotens :
Pedibus arenam ſpargit : in auras cornibus
Sævit : at inanes haſce dum jactat minas,
Accendit ignes, ulceroſum qui jecur,
Venasque adurant ; & facilè ſanabilis,
Si modò aliquantùm vellet acquieſcere,
Curationem morsûs difficilem facit.
Adversùs hoſtem quisquis ignotum furit,
Quid proficit ? malum auget, nedum leniat.

FABULA XXII.

Simii navigantes.

HOMINIBUS vacua, at armamentis omnibus
Inſtructa, fortè ſtabat ad litus ratis.
Vidit caterva Simiorum, ſtulta gens,
Cupida imitandi quidlibet : temerarii
Conſcendere audent ; & simul properant opus
Facere : hi capeſſunt remos, hi vela explicant ;
Alius rudentes tractat, alius per foros
Diſcurrit, alius graviter ad clavum ſedet.
Quod quisque fieri vidit, ſe ſcire autumat,
Quia vidit : at quod ab aliquo factum vides,
Id facere minimum eſt, nisi prudenter feceris.
Quid multa ? funis rumpitur : ratis volat :
Verùm aſperati mox ubi fluctus maris
Dèpræliantium ira ventorum incipit
Ciere, nautas occupat miſerabiles
Cæcus, & e ſtultis reddit inſanos, pavor.
Quæ vela fuerant contrahenda, latiùs
Tendere laborant, totos & pandunt sinus ;
Clavusque, qui flectendus in dextram fuit,
Torquetur in siniſtram, & impetum juvat.

Procellæ : huc ergo currere ratis cogitur,
Ubi periculum imminet præſentius ;
Illiditurque, undamque rimis accipit ;
Et imperitis cum ſuis ductoribus
Ponti profundum in gurgitem demergitur.
Fabella ſpectat ad imitatores malos.

FABULA XXIII.

Sturnus, Hirundo, & Aves aliæ.

PROPERABAT Avium turba dulces ad cibos,
Dulces, at insinceros, & plenos dolis.
Malè ominati Sturnus auctor consilî
Præibat ipſe, timidiores incitans
Verbis & exemplo. At volans propter, monet
Hirundo prudens : Videant porrò, quid petant ;
Caveantque : tales fraudibus malis dapes
Carere numquam : ſe vidiſſe ſæpius
Aves miſellas, perfidis ejusmodi
Cùm deciperentur artibus : credant ſibi
Peregrinari ſolitæ, & quam ſcientia
Uſusque rerum doctiorem reddidit.
Pleræque veram judicant Hirundinis
Orationem, ultroque laudant in sinu ;
Etiamque nôrunt, quàm ſit omnis indigus
Rationis iſte Sturnus & prudentiæ :
Verumtamen, quod ſuadet ille, perplacet ;
Et obſequuntur : at mox valde pœnitet
Eſſe obſecutas, cùm ſe hærere ſentiunt
Miserè impeditas pertinaci glutine.
Ubi ſemel animos blanda cepit vanitas,
Si veritas obloquitur, amittit fidem.

FABULA XXIV.

Lynx & Talpa.

Oculata cæco Talpæ Lynx: Quid eſt, ait,
Cur vitam amare poſsis, cùm ſcias miſer
Lucem, univerſum quæ juvat mundum, tibi
Inutilem eſſe? munere tanto quæ caret,
Illane vocanda vita eſt? hoc tuum tamen
Intelligis ipſe forſan infortunium;
Ideoque quodam vivus in tumulo lates,
Sub humoque degens omnium adſpectus fugis:
At ceteris ut lateas, non lates mihi,
Oculo quæ acuto in abditos terræ ſinus
Penetrare novi. Talpa contrà sic refert:
Cernere tam acutum quòd benignior tibi
Superûm voluntas dederit, ultro gratulor;
Sed neque, quòd iſta, quam calamitatem putas
Miſerrimam eſſe, cæcitas sic me obruit,
Tantopere tibi deſpectus eſſe debeo:
Nam singularis mihi facultas aurium
Data fuit: & nunc... certè nunc aliquem ſonum,
Tibi forſan aliquid triſte minitantem, audio.
Sonus erat arcûs, quem abditus tetenderat
Venator, altum adigere vulnus deſtinans.
Volat ſagitta, Lyncis & transverberat
Pectus; oculosque, poterant qui densiſsimam
Superare noctem, æterna jam nox occupat.
Natura dotem cuique largita eſt ſuam;
Nec ſemper utilior eſt, quæ magis placet.

FABULA XXV.

Pictor & ejus Cenſores.

Veris peritus Pictor effigiem ſui
Cujuſdam amici expreſſerat coloribus :
Sed, qui laborem laudibus meritis, uti
Speraverat, remunerarent, judices
Cùm convocâſſet, nullus ex illis fuit,
Qui non tabellam parte ab aliquâ diceret
Peccare ; & omnes contendebant, non ſatis
Verum exhiberi caput ; &, Hominem novimus,
Aïebant : non eſt ejus hic naſus, neque
Oris, oculorum, frontis hoc notum decus.
Quid agat miſellus Pictor ? hos falsâ videt
Præjudicatâ opinione decipi ;
Nec ſanioris ad judicii regulam
Facilè reduci poſſe : vertit ſe dolum
Ad innocentem. Poſt novem aut decem dies
Revocat, eorum conſilio ſe dictitans
Uſum fuiſſe ; &, improbatum quod fuit,
Caput emendâſſe. Sed tabellam is interim
Novam, at ſimilibus ornamentis, pinxerat ;
Capitiſque vacuum cùm reliquiſſet locum,
Telâ circum amputatâ ; amico ſuaſerat,
Caput ipſe, latitans, ut ſuum huc immitteret.
Hi redeunt : Paulò longiùs conſiſtite ;
Suſpendenda, inquit, altiùs ita poſtulat
Imago ; ceterùm acriter disquirite,
Bene, necne, quod improbâſtis, emendaverim.
Mox verò : Cur nos fruſtra revocas, inquiunt ?
Vultumque, totumque caput nunc etiam liquet
Nihilo eſſe veris ſimiliora, quàm priùs.
Hic imperitos judices caput alloquens :

Erratis; ego ſum mihi ſimillimum caput.
Ad pervicaces criticos fabula pertinet.

FABULA XXVI.

Exercitus duo prœliantes, & Muſca.

OLIM obſtinati præliabantur duo
Exercitus: ex una parte clarior
Virtus, & artis bellicæ ſcientia
Major adhibetur; at viros ex altera
Tuetur immanis elephantorum cohors,
Fortiſſimoſque manibus anguineis capit,
Et lacerat, aut elidit adverſarios;
Aut medias in phalanges corpora, ceu pilas,
Viva jaculatur atque terrorem ſimul:
Artique, virtutique demum prævalet
Ferocitas, immanitaſque virium.
Huc fortè Muſcarum ingens advolaverat
Examen: illæ copias cùm ſic vident
Furentes, hinc pugnare pro victoria,
Hinc pro ſalute; bellicoſo ſe ſimul
Ardore quodam concitari ſentiunt;
Et una, Quis nos, quis retinet, inquit, ſtupor?
Hîc, tanta laudis ubi patet nobis via,
Hîc ſpectatrices otioſæ hærebimus?
Agitè, ſorores; audeamus nos quoque
Præclara per facinora niti ad gloriam;
Infirmiores adjuvemus copias,
Iſtiſque porrò belluis immanibus
Laudem triumphi, quam ſibi certam putant,
Extorqueamus. Dixit; & facti ducem
Animoſa ſeſe præbuit: quam protinus
Hinc ſe volatu adversùs horribiles feras

Audaci

Audaci agentem, audaciâ non diſpari
Examen omne ſequitur: ubi pugnæ ad locum
Venêre, plures ſe in catervas dividunt;
Et in elephantos irruentes, lancinant
Hoſtile corpus, quà tenerior eſt cutis;
Aculeoque pertinaci, quam ſemel
Pupugêre partem, perſeverant pungere.
Acerrimam illi quærunt hanc moleſtiam
Excutere, fruſtra; mox ſuis ductoribus
Obtemperare denegant; mox & furunt
Contra phalanges, quas tuebantur priùs,
Et cedere cogunt. Quod simul adverſarii
Nôrunt, & animos & sibi vires novas
Simul redire ſentiunt, & impetum
Conferti in hoſtium inclinatos ordines
Repentè faciunt, militesque territos
Ac perturbatos facilè vertunt in fugam.
Victoriam ergo denique illuſtrissimam
Sunt conſecuti; cúmque poſthac laudibus
Extollerentur, nulla Muſcarum, quibus
Victoria debebatur, facta mentio eſt.
  Significat hæc fabella, ſæpe eventuum
Cauſas fuiſſe maximorum parvulas.

FABULA XXVII.

Felis, Vulpis, & Lupus.

FELISQUE Vulpisque unà carpebant viam
Confabulantes: de vita, de moribus
Præclara multa differebant: quid pium,
Quid impium; quid turpe, quid honeſtum foret,
Subtiliùs ipſo diſputabant Socrate.
Lupum interim vidêre, cùm diſcerperet

Miſeram bidentem, ederetque. Vulpis hîc prior
Exclamat: O ſcelus atrox! tam diram necem
Quonam facinore placida & innocens pecus
Potuit mereri? Raptorem hunc nefarium
Oportet, inquit Felis, totum turpibus
Eſſe obvolutum tenebris ignorantiæ,
Ac de principiis juſti & injuſti nihil
Umquam audiiſſe. His & aliis hujuſmodi
Dum philoſophantur invicem ſententiis,
Villæ propinquant. Fortè in agrum proximum
Egreſſa cum tenello pullorum grege
Gallina fuerat: Vulpis hanc ubi adſpicit,
Philoſophiam omnem prorſus obliviſcitur,
Furtimque progreſſa inſciam matrem occupat:
Quod facinus avida Felis nihilo ſegniùs
Imitata, pullum de grege electum rapit:
Ambæque ſecedentes commodum in locum,
Quam philoſophando accenderant, explent famem.
Multi ſceleſtos exſecrantur, qui, simul
Occasio data eſt, quodlibet faciunt ſcelus.

FABULA XXVIII.

Formica & Eruca.

FORMICA folio brassicæ hærentem videns
Erucam, ſprevit; increpansque vocibus
Injuriosis: Quid te, ait, iners beſtia,
Quid eſſe dicam? vivis? an cùm te parens
Natura fingere incepiſſet, noluit
Abſolvere? vita si fruere, quin te moves?
Sed dormientem inertiam fruſtra excito:
Et colligendam me vocat ad meſſem labor.
Age tamen, miſera; me intuere, si potes,

Et diſce, quàm non, ut situ torpeſcerent,
Animantibus Natura tribuerit pedes.
  Conviciis Eruca tam petulantibus
Nil commovetur; ſed quod aggreſſa eſt opus,
Placidè, quietè pergit illud exſequi:
Sibi ipſa tenuem ſuperinducit corticem
Paulatim, dum ſe totam circumtexerit:
Sepulta poſtquam sic fuit aliquandiu,
Mutatur album in alitem, vincla exuit,
Linquit ruinas diſſoluti carceris,
Demum ſe in auras tollit, & nitidus volat
Papilio. Paucos poſt dies arbuſculam
Circa virentem ludibundus dum leves
Exagitat alas, Formicam eniti videt,
Aſcenſu ut ejus truncum ſuperet, aſperi
Per adminicula corticis; &, hanc, desidem
Turpemque vitam quam putaveras, ait,
Fatere non fuiſſe inutilem mihi.
  Fabella quoſdam, ut evehantur, otio
Plus agere, quàm alios diligentiâ, docet.

FABULA XXIX.

Canis piger.

Canis ſtrigoſus, & hiemem contra aſperam
Vallo pilorum ſeptus haud ſatis bono,
Quæsivit aliquam latebram, quâ ſe conderet,
Nec invenire potuit. Horrifer interim
Perflabat aquilo: ſub jove ergo frigido
Cùm pernoctare cogeretur, angulum,
Non usquequaque pervium ventis, petit:
Inflexo in orbem corpore contractus cubat,
Et ora clunibus admovere nititur.

Hîc, nimis acuta frigora quoniam vetant
Dormire, ſecum diſputat: Parvum tibi
Cubile fabricare, dum clementior
Sinebat annus, dum jacebant per vias
Virgulta cæſa, perque agros ſtipulæ leves;
Quantum laboris id erat, aut induſtriæ?
Nunc facere id ipſum cùm tu velles maximè,
Nec tibi materia, nec tibi vires ſuppetunt.
Perfer tamen, & obdura: at hanc simul Deus
Occasionem retulerit, quam nunc piget
Prætermisiſſe, ne relinquatur locus
Iterum pigendi, providebimus; ratum eſt.
Quibus ita conſtitutis, tandem obdormiit:
Sed frigoris vi ſæpius expergiſcitur.
Exſurgit: artus debiles quaſſat tremor;
Crura obrigeſcunt; ambulare vix licet,
Et quærere, quo depellat immodicam famem.
Sic vivitur, hiems usquedum receſſerit.
Recessit: arvis floridum ver imperat:
Succedit æſtas; jamque dives imminet
Autumnus: ut adhuc igneis vaporibus
Humus æſtuabat, ille in umbra ſcilicet
Decubuit; ac dum anhelat, & collum & pedes
Quàm maximè protendit, & languens jacet,
Cubilis hujus fortè meminit, quod sibi
Statuerat olim fabricare: At hæc mei
Videtur, inquit, magna ſpecies corporis!
Non herculè ita ſum parvus, ut putaveram:
Aptum autem quodnam mihi cubile conſtruam,
Quodnam ædificium, ut tantus habitem commodè?
Atque hos per æſtus agere quid poſſum miſer?
Consilium inane vitupero: vires meas,
Induſtriamque talis exſuperat labor.
Mos hic pigrorum eſt, ut bona, quibus indigent,
Nolint parare, ubi queunt; ubi nequeunt, velint.

FABULA XXX.

Rana, Coluber, Ciconia, & Lacerta.

Ab hoſte Colubro Rana perniciem ſibi
Valde timebat, quippe quæ ter aut quater
Experta jam eſſet perſequentis impetum,
Suâque magnâ diligentiâ necem
Vix effugiſſet. At Ciconia interim
Prædonem in udo dormientem pratulo
Videt, ſimulque præpes illuc devolat;
Ipſumque curvis unguibus violens petit,
Et premit, & obluctantem adunco ſaucians
Roſtro coercet, & diſcerpit, & vorat.
E litore lacûs proximi Rana adſpicit
Omnia, ſuâque causâ rem peragi putans,
Prædæ vorantem reliquias Ciconiam
Adire properat, gratias ut protinus,
Victrice dignas, & beneficio pares,
Perſolvat, ipsique in clientelam ac fidem
Se conferat: dum levibus autem ſaltibus
Iter inſtitutum conficit, fortè obviam
Habet Lacertam; cui ſuum, quò pergeret
Interroganti, ſponte consilium explicat.
At illa rerum improvidam sic admonet:
Bene tibi quòd voluiſſe credis hanc avem
Magnam & potentem, falleris multùm, o ſoror:
Namque, fruerere hâc luce communi, an ſecus,
Ea planè, opinor, neſciit, nedum tuas
In animo haberet vindicare injurias,
Tuamque vitam protegere: verùm unicè
Id expetebat, ſcilicet prædam ſibi
Occurrere aliquam, explere quâ poſſet famem;
Quòd si iſta, quam nunc ſtrenuè depaſcitur,

Inventa non fuiſſet, heu! dubio procul
Famelica meum ſe ad genus, vel ad tuum
Vertiſſet; atque nos etiam ambas forsitan
Admittere dignata eſſet ingluviem in ſuam.
Lacerta vix finierat, extensis tremens
Repentè Rana cruribus ſe ſuſtulit;
Nec ſubsilire deſtitit, donec lacum
Attigit, & imo ſe recondidit vado.
Fabula potentes indicat, quos, infirmis
Si fortè prosint, ſola ſua utilitas movet.

FABULARUM ÆSOPIARUM LIBER DUODECIMUS.

FABULA I.

Lyra & Homo imperitus muſicæ.

VERSICULOS aliquis arte facili ſimplices
Componere fruſtra cùm tentaſſet, protinus
Inſulſum haberi voluit hoc ſtudii genus:
Quem corrigi iſtâ porrò fabellâ velim.
Homo rudis, asper, horridusque, & muſicæ
Planè imperitus, in Lyram fortè incidit;
Statimque chordas increpare tinnulas
Digitis protervis auſus eſt: illæ ſonos
Artifice dignos tali, ineptos ſcilicet,
Miſerabileſque reddidêre: tum gravis
In ejus animum ſubiit indignatio;
Et, Quales, inquit, eſſe dicam judices,
Habere qui te, inepta, contendunt locum,
Nec ultimum, ſuavissima inter organa?
Si me, Lyra refert, uti nôſſes, tu quoque
Contenderes id ipſum quovis pignore.

FABULA II.

Corvus & Cycnus.

Se pulchriorem Cycno quidam, qui ſine
Rivali amabat ſeſe, Corvus credidit.
Mox itaque ad ipſum propiùs accedens, ſuas
Conferre pennas glorioſus incipit,
Nigerrimamque pulchritudinem ſuam:
At candor inde magis olorinus nitet.
Deprimere dum vult alienam elegantiam,
Hanc ſæpe ſtulta provehit æmulatio.

FABULA III.

Roſa & Homo naribus & oculis captus.

Homo captus oculis, atque odoratu carens,
Audierat efferentes magnis laudibus,
Florumque reginam eſſe dicentes Roſam
Pleroſque: Didici jamdiu, inquit, publicæ
Opinioni non temere habendam fidem:
Deceptus olim hujuſmodi ſermonibus
Hominum ferè omnium ore vulgatissimis,
Caveo meherclè, ne nimis sim credulus.
Aliquando in hortis, dirigente ſervulo,
Cùm deambularet: Duc, ait, duc ad Roſas:
Laudes quo habendæ sint loco, quas audii,
Volo experiri. Accedit: inter ceteras
Una eminebat; hanc ubi ſummam attigit,
Capeſſere imam tentat, ac decerpere:
Floris at eximium qui decus non viderat,

Neque porrò odorem acceperat ſuaviſſimum,
Aculeos ſpinarum ſenſit oppidò;
Et, Credite, inquit, iſtis laudatoribus:
Roſa, quod juvare poſſit, habet planè nihil,
Multumque habet, quod noceat: expertus ſcio.
Non multùm ab illis, qui improbare non timent
Bona quæque ſcripta, abludit hæc narratio.

FABULA IV.

Simius troſſuli ornatu inſtructus.

FAMAM politi, lepidi, & urbani volens
Captare, munditiam exquiſitam Simius,
Omnemque pulchelli hominis ornatum induit.
Ita decoratus celebrem conventum petit,
Præfertque magnam rite confidentiam,
Ac pro elegante troſſulo ſeſe gerit.
Continuò habetur talibus meritis honor.
At gaudio ille geſtiens ubi vult loqui,
Omnes pudere cœpit, quòd honoraverint
Animal ineptum; abiguntque & ejiciunt foràs.
Hos fabula monet, ſplendido qui corporis
Ornatu abundant, ſenſu communi carent.

FABULA V.

Cuniculus & Hirudo.

UNDANTIORE dum Cuniculus jacet
Cruore plenus, & apoplexiam timet,
Secum inquietus cogitavit, jam ſibi

In tanto agendum quid periculo foret,
Cujuſve porrò medicam opem repoſcere
Sibi expediret: comparem demum rogat,
Arceſſat aliquam, ſed jejunam, Hirudinem.
Mandata rectè conficiuntur: en adeſt
Hirudo, qualis expetita eſt. Ad cutem
Cuniculi illa fortiter ſeſe applicat,
Ejuſque ſanguinem avida totis viribus
Exſugit; ægrotumque morbo dum levat,
Seſe ipſa reficit: quod ubi bellè præſtitum eſt
Utrinque, magnas ille gratias agit.
At Sanguiſuga mercedem aliam poſtulat.
Cuniculus autem: Nunc certè ingrata es, ſoror,
Odioſa es, inquit; tace, & abi; nam si tuâ
Operâ ego valeo, ſanguine meo tu vales.
Sæpe eſt beneficî merces in beneficio.

FABULA VI.

Lupi duo.

Duos premebat, & in bidentium gregem
Sceleſta rabies ventris urgebat Lupos:
Metus autem præſens reprimebat impetum.
Vident quidem imbelle pecus; at pariter vident
Et opilionem validum & impigros canes.
Quid agant? famelici hinc recedant? Beſtiis,
Non tantùm hominibus, addit ingenium fames.
Deliberata res peragitur hoc modo:
Dum nemoris unus per iter occultum gregi
Furtim appropinquat, &, ubi processit ſatis,
Opaca poſt dumeta in insidiis cubat;
It alter audax, rectâ procurrens viâ,
Lanigeram contra gentem: quem canes simul

Adſpiciunt, diris ſæviunt latratibus.
Subsiſtit ille; mox retro vertit gradum;
Fugamque simulat, identidemque reſpicit.
Ruunt molossi; accurrit ipſe fervidus
Opilio, magnisque excitat clamoribus:
Agite, inſequimini, siſtite hunc; dedam neci.
At ille pedibus melior, ubi ſentit sibi
Turbam imminere, viribus totis fugit,
Subitque silvam, latibuloque proximo
Receptus, hoſtes denique eludit ſuos.
Igitur Opilio triſtis ad gregem redit;
Videnſque dissipatas & pavidas oves,
Attonitus hæret: cogit ac numerat pecus;
Ovemque noſcit omnium heu! carissimam
Abeſſe: nam dum abſcedit hinc improvidus,
Iſte ſceleratus alter intereà latro
Occasionem commodam nil diſtulit
Apponere lucro; ſed inopinatò irruit,
Rapuitque prædam ex omni deleƈtam grege;
Notosque per circuitus repetiit locum,
Socius ubi siccis exſpeƈtabat faucîbus.

Hæc fabula docet, non ibi eſſe maximum
Semper, ubi maximè eminet, periculum.

FABULA VII.

Bos philoſophus.

PHILOSOPHUS olim famâ erat celeberrimus
Bos: Magna quid, aït, cornua iſta me juvant
Ad conſequendam, quam volo, ſapientiam?
Supervacua ſunt; immo plurimùm nocent:
Per nemora namque quoties, & silentibus
Sub umbris ambulo, ſapientes ut ſolent,

Denſis fruticibus, arborumque ramulis
Retenta ſæpe turbant, &, totus mihi
Multa meditanti adeſſe ne possim, vetant:
Etiamque cogunt ſæpius, quàm nos decet,
Meminiſſe, nobis ipſa hæc a Superis data,
Injurias poſſemus ut refellere;
Quibus adjumentis philoſophi minimè indigent.
Rogat ergo lanium, cornua revellat sibi.
Monet ille, videat porrò prudens, quid roget:
Id sine doloris ſenſu vix tolerabili
Non poſſe fieri. Falleris, bone vir, ait
Bos obſtinatus: hæc propago cornea
Senſum ipſa nec habet, nec poteſt progignere:
Neque illa noſtro multùm adhæret vertici;
Labare viſa nuper eſt, cùm paululùm
Obnixus inter mutuùm nexas vepres,
Arbuſculasque, mihi patefacerem viam.
Age modò, propera. Lanius ergo paruit:
Sed cùm ille tandem, juſſum quod fuerat opus
Efficere ſummis niteretur viribus;
Dolore victus repulit odioſam manum,
Immugienſque philoſophus fûgit procul.
Plerique, facilè dimiſſum iri quæ putant,
Ubi vênit hora, poſſe dimitti negant.

FABULA VIII.

Aſella & ejus Pullus.

PULLUS Asininus in virente pratulo
Laſciviebat, exſiliebat, gramina
Floresque pedibus ludibundis proterens:
Nitebat; & tenelli ſpeciem corporis
Lepidam venuſtamque adjuvabat alacritas

Feſtiva, comitata ipſa luſibus & jocis.
Aſella, mater credula, hunc talem videns,
Geſtit, triumphat; ſpesque mirificas habet,
Fore, ſingularem ut conſecutus gloriam,
Emineat olim proprium ſupra genus.
Intereà creſcit; & aliquot poſt menſibus
Amiſit omnem non modò pulchritudinem,
Sed omnem etiam feſtivitatem priſtinam;
Aſinusque demum evaſit horridus, piger,
Stolidusque, bardusque, & aſino ſimilis patri.
Fabella matres, pupulorum dotibus
Lepidis ſuorum ne nimis credant, monet.

FABULA IX.

Noctua, Cornicula, & aves aliæ.

Aliquando, cùm eſſet compoſita nondum dies,
Auſa eſt e triſti Noctua egredi cavo,
Et ſe per auras ferre paulò longiùs.
Quam ſimul adſpiciunt, undique advolant aves,
Circúmque volitant innumeræ, & ipſam ambiunt
Certatim, & ſtudio perſtrependi geſtiunt.
Tunc illa ſecum: Me reginam ſcilicet
Suam fatentur, & ſalutant, & colunt
His motibus & his glorioſis cantibus.
Ergo hinc ſuperbit. Quod videns Cornicula:
Fuge, ſtulta, dixit; & tuum propera cavum
Repetere: non modò tibi nullus eſt honos
Habitus; at ipſa ludus es facta & jocus.
Pro laude ſtultus ſæpe contumeliam
Putat, eam ſi qua temperet feſtivitas.

FABULA X.

Sturnus & Cuculus.

Dum Sturnus in cœtu avium & geſtit & ſtrepit,
Huc ſe Cuculum inferre properantem videt;
Et eſſe, non Cuculum, at Accipitrem ratus,
Pavore ſubito commovetur, & ferum
Trepidante pennâ fugere prædonem parat.
Perſpexit errorem; atque diligentiam
Fruſtra timentis turba deridet procax,
Circúmque ludens adsilit, & exsibilat:
Unde ille tanto corrigendum ſe dedit
Pudori, ut etiam maximas contra metûs
Cauſas paratum pectus obfirmaverit:
Quapropter aliquot poſt dies, verum videns
Accipitrem, eodem perſtitit tamen in loco
Intrepidus, at mox unguibus ſævi alitis
Eviſceratus, ſtultitiæ pœnas dedit.
Quicumque timidus natus eſt, temerarium
Se facilè, fortem ſe probare non poteſt.

FABULA XI.

Simius ad tabellam elegantem.

Pictam eleganter belli hominis imaginem,
Suſpenſam in aula, fortè vidit Simius:
Ha, ha, he! quis, inquit, iſtum imagini meæ
Ornatum, & veſtes tam elegantes addidit?
Ego namque certè is ipſe ſum; hoc meum êſt caput,
Mea hæc labella, hæc mea frons, hæc mea lumina.

Audivit aliquis, & impudentem beſtiam
Refellere ipsis veritatis viribus
Cùm vellet, e pariete detractum objicit
Speculum. Sed ille de malo queritur dolo,
Et objici ſpeculum infidele clamitat.
Abſurda quæque ſomnia sibi fingere
Ferè ſolet, amor quem ſuî ſtultus tenet.

FABULA XII.

Statua.

JACEBAT urbis inquinata ſordibus
Marmorea moles: hanc peritus artifex
Detexit, expolivit, pulchram denique
In ſtatuam vertit, & locavit in basi,
Eò magis laudandam, quò fuerat magis
Abjecta, magisque injuriis obnoxia.
Regia poteſtas ab humili si quem loco
Extulit, adorant, qui hunc priùs contempſerant.

FABULA XIII.

Mulier & Speculum.

QUÆ pulchra fuerat, Mulier cùm ſeneſceret,
Incepit eſſe turpicula: ſui tamen
Se in lævitate Speculi amabat, ut priùs,
Inſpicere: at inde nulla jam remittitur
Imago, quæ non ejus animo ſuggerat
Augurium triſte de reliquiis omnibus
Venerum & lepôrum, jam ruinæ proximis.

Illa ingemiſcit, lacrymat; mox iraſcitur,
Stultissimoque amore vindictæ furens,
Nimis fidele Speculum effringit. Quò tamen,
Quò denique ipsi res redit? Innumera quidem
Fragmenta Speculi per pavimentum jacent;
Sed ipſa totidem ſpecula ſunt, quæ singula
Objiciunt dominæ, turpitudinem ſuam.
Abſcondere homines vitia quædam dum volunt,
Ea ſæpe faciunt clariùs ut appareant.

FABULA XIV.

Rivuli duo.

In geminum abibat fons perennis rivum:
Unus ad amœnos hortos cùm pertenderet,
Procliviorem in alveum deductus eſt
Cum honore magno; plumbeis etiam tubis
Eſt circumſeptùs, ut ſaliret commodè,
Lymphisque recidens arcuatis, omnium
Recrearet oculos. Alter humilis interim
Latebat, & fruticibus densis obsitus
Fluebat, ægrè: ſubter illapsis tamen
Humum fecundabat aquis: at gratâ lìcèt
Uligine fabam, cichoreum, cucumim, blitum,
Porrumque, lapathumque, raphanumque, & brassica
Satiaret, optimosque ſuccos gigneret,
Hunc deſerebat merita laus inglorium.
Dum pompæ inanis artifex extollitur,
Jacet miſerias inter utilis faber.

FABULA XV.

Aquila & Gruis.

PER altiores ætheris liquidi plagas
Volabat Aquila cum Grue : acribus hinc humum
Dum luſtrat oculis, candidam pellem adſpicit,
Tali artificio poſitam, ut intuentibus
Referret agni corpus, & caput, & pedes ;
Lætâque ſociam voce compellans : Viden
Hunc, inquit, agnum in colle paſcentem ? Gruis
Reſpondet : Oculos ni tuis habeam pares,
Cernere remotum longiùs mihi non licet :
In hac tamen regione vidi ſæpius,
Magnis volucribus insidias cùm tenderent
Agricolæ ; & iſtud, quod tibi eſt prædæ loco,
Subvereor, ne fòrs obtegat aliquem dolum.
Itaque cavere oportet.... Odioſa es, tace.
Tam certò hunc agnum, quàm eſſe te Gruem, ſcio.
Sic fata, more fulminis delabitur,
Prædamque inanem viribus totis petit :
At ſub doloſâ pelle cuſpis quæ latet
Mortifera, pectus irruentis trajicit.
Omnia videre qui putantur, non vident
Omnia : ſed etiam ceteris acutiùs
Quòd videant, cauſa eſt ſæpe cur errent magis.

FABULA XVI.

Ovis & Ranæ.

INCAUTA gramen in paludis margine
Olim carperet Ovis, lubricâ veſtigium
Fallente terrâ, ſubitò in undam decidit,
Hæsitque limo præpedita: mox tamen
Seſe expedire quærit, & quanto poteſt
Conamine putres inter ulvas ſe movet,
Cœnumque pedibus excitatum dissipat.
Ranæ indignantes: Noſtra quid sic, inquiunt,
Turbare regna pergis & virides domos?
Quid cogitas, inepta & indocilis pecus?
Quin conquieſcis? te negas videlicet
Habitare poſſe in hoc lacu: at certè nimis
Es delicata: natæ in ipſo nos ſumus,
Et vivimus contentæ. Reſpondet Bidens:
Regna volo, fateor, ſordida hæc relinquere:
Ignoſcite tamen: nata in ipsis non fui.
Hos fabula notat, aliis qui graviter ferunt
Ea diſplicere, quæ sibi in primis placent.

FABULA XVII.

Canis & Herus.

ACER, fidelis, ſtrenuus, herilem domum
Bene tutam ab omni fure præſtabat Canis.
Quapropter ipsi maximas laudes Herus
Tribuebat ultro, & occurrenti ſæpius
Palpationes, & blanditias affatim

Impertiebat; at cibos dabat manu
Parciſſimâ. Ergo clamitat cuſtos miſer,
Et objicit Hero, non ſe blanditiis ali,
Neque recreari laudibus corpus macrum:
His ſe carere poſſe; tribueret modò
Solidius aliquid, quo repelleret famem,
Nil ſe obſtiturum, cetera quin omitteret.
Juſtos at ille queſtus elusit jocans,
Famelicoque blandiens multò magis,
Quàm priùs, inanem effudit benevolentiam,
Victumque nihilo liberaliùs dedit.
Largìre, dives, pauperi, quibus indiget:
Non es benignus, si das, quæ nihil hunc juvant.

FABULA XVIII.

Ficedulæ duæ.

DUAS inopia ad ultimam Ficedulas
Necessitatem adduxerat: Vola hinc, ſoror,
Ait una languens, ac debilior alterâ;
I, quære, si fòrs invenire àliquid cibi
Potueris: exſpectabo, dum redeas ferens
Subsidia vitæ: propera verò; nam fames
Me conficit, brevíque me cogat mori.
Omnem illa per agrum quæsituram ſedulò
Se pollicetur, & reverſuram priùs,
Quàm ſol occiderit, si minùs ut opem ferat
Caræ ſorori, at ambæ ut intereant simul.
Accelerat ergo, nunc volans, nunc in ſolo
Spatiata, macri infirmitas quantùm sinit
Corpuſculi. Progreſſa paulò longiùs,
Denique oneratam fructibus ficum adſpicit
Pulchrisque, maturisque: tum, Bona o Salus,

Exclamat, hanc tuam, oro, diuturnam mihi
Benignitatem redde! Suaves hinc ſimul
Divellere cibos, & ligurire incipit;
Nec deſinit enim, donec ingluviem ſuam
Saturavit, & ſe ingurgitavit plus ſatis:
Poſthac ſororis miſeriam reminiſcitur
Tandem; & repertæ particulam aliquam dapis
Deferre ſtatuit, cujus alma ſuavitas,
Inſinuans, guſtum deficientis excitet,
Vireſque paulùm reficiat. Verumtamen
Occidere ſolem cùm videret: Me priùs
Nox opprimat, ait, quàm relictos ad lares
Remeare liceat; mihique præterea ſopor
Urgere ſolito gravior oculos incipit:
Itaque quod ipſa ratio, quod neceſſitas
Jubet ipſa, faciam; languidos artus bonæ
Tradam quieti; cras ubi præluxerit
Aurora, pennis hinc citatis me feram
Caram ad ſororem. Sic loquentis uvidum
Repentè ſomnus occupat corpuſculum,
Ligatque, nec dimittit, usque dum diem
Phœbus retulerit, eamque conſuetis aves,
Pecudesque, & homines nuntiaverint ſonis.
Evigilat illa, & ſolvere adſtrictam fidem
Sollicita properat; pervenit, delabitur
Notum ad cubile: at qualis adſpicitur ſoror!
Heu! miſera, ſurſum pedibus extentis, jacet
Reſupina, mox & ſpiritus agit ultimos.
Opem a beato promptam ne exſpectet miſer:
Copia juvandi quò ſit major, hòc magis
Languere caritatis officium ſolet.

FABULA XIX.

Taurus & Canis.

TAURUM inter & Canem orta magna lis erat,
Internecino ut prælio rem confici
Neceſſe fuerit. Taurus indignè ferens,
Quòd, tantò inferior cùm ſit hoſtis, audeat
Obsiſtere ſibi, & aleam certaminis
Tentare, in ipſum capite demiſſo ruit,
Creditque adactis jam confoſſum cornibus:
Cæcum at furorem effudit in vacuum aëra.
Namque Canis obſervàrat hujus impetum,
Levique ſaltu facilè declinaverat.
Ferocior redit ille: nec refugit Canis;
Aſt ubi propinquare videt adverſarium
Tollentem atroces hiſpido vultu minas,
Occurrit audax, & inopinantis simul
Saliens ad fauces, ore diducto occupat,
Mordetque, præſtringitque ſummis viribus:
Et ille miſerâ percitus rabie licèt
Excutere quærat peſtem importunissimam,
Fortesque concitare cervicis toros
Non ceſſet, artubusque ſæviat omnibus;
Acer tamen moloſſus, quam partem ſemel
Arripuit, inſtat premere pertinaciter,
Hæretque pendens, dum devictus ad ſolum
Procumbat hoſtis intercluſo ſpiritu.
Malè temperatæ immanitati virium
Doctam agilitatem prævalere hinc diſcimus.

FABULA XX.

Tethys & Halcyon.

INDUXIT olim Tethys dilectam sibi
Halcyonem, in ipſo litore incerti maris
Nidum ut locaret; ſéque promisit fore
Viſuram, ab omni parte, quà rerum tenet
Regina clavum, ne quid infortunii
Ipsi adveniret. Credula volucris nihil
Subeſſe retur, cur fidem dictis neget:
Quapropter omnem repudians metum, parit,
Incubat, excludit ova; pullos educat:
Quos alacres vegetosque, licèt implumes adhuc,
Videns, sibi ipſa gratulatur in sinu,
Pulcherrimæque ſpem propaginis fovet.
Aliquando curis excitata dulcibus
Cùm pabula magis delicata quæreret
Adhibenda ſoboli, & avolâſſet longiùs,
Repentè ventis ingruentibus ferox
Intumuit æquor, & fragoſum increbuit
Per ſaxa murmur, & remugiit procul
Feralis echo: trepidat infelix parens,
Timetque natis: revolat extempló; at videt
Nidumque, pullosque aſperis, heu! rupibus
Illiſos, fluctibusque ludibrium datos.
Satius amicum habere nullum, quàm levem.

FABULA XXI.

Ignis & ejus repertor.

QUI primus Ignem reperit, ejus vivido
Splendore captus in ſuos illum ſinus
Recondidiſſe fertur, ne cum ceteris
Hominibus tanti cogeretur vim boni
Communicare. At ille ſic reconditus
Viſcera perêdit ſenſim amatoris ſui.
Fabella avari pectoris vitium notat;
Simul indicat, ipsi noxiæ quàm ſint opes.

FABULA XXII.

Taurus & Villicus.

TAURUS ferire cornibus auſus eſt herum:
Secantur illa. Tunc novum meditans ſcelus:
Haud vereor, inquit, ne mihi ſecentur pedes
Simulque calce Villicum impacto ferit.
Ratio nocendi ſuppetit ſemper malis.

FABULA XXIII.

Culex.

E FÆCE vacui cùm eſſet exortus cadi
Culex, volare cœpit, & pennâ levi
Luſtrare magnum inane: ſic enim locum

Eſſe hunc vocandum credit, intra quem vago
Fertur volatu. Sed mox, ut foraminis
Exigui ad oram leniter ſeſe appulit,
Reſiſtit: Ecquod, inquit, attonitus metu,
Patulæ, profundæ oſtium voraginis
Hoc eſſe dixerim? insidias hîc ſuſpicer
Aliquas latêre: dulce neſcio quid tamen
Inſueta blandi ſpirat aura luminis.
Tentanda dubio eſt in periculo via.
Simul intrat audax: at canalem ut ultimum,
Partim volando, partim rependo, attigit:
O! clamat, ubi ſum? ſe mihi explicat novi
Quàm vaſta mundi ſpecies! iſte quàm cadus
Finiri anguſtis jam videtur terminis!
Cellam ergo volitans protinus vinariam
Pervadere omnem geſtit; cùm verò ſibi
Unum videret ejus ex ſpiraculis
Pateſcere, ſubit impavidus, & ſe foràs
Erumpit. Ipſum hîc nova, ſubita totum capit,
At maxima, at incredibilis admiratio;
Jamque aſpernatur cellæ magnitudinem,
Dum ſpatia vaſta, immenſa ſpectat ætheris.
Non magna, mi homo, ſunt, quæ tu magna judicas:
Exſpecta: minima mox videbuntur tibi.

FABULA XXIV.

Templum Bovis.

PELUSIUM olim cùm eſſet advectus recèns
Quidam hoſpes, ædem ſtructam magnis ſumptibus
Intravit. Ipſum auguſta molis arduæ
Majeſtas, & mirifica religio loci
Dum variè afficiunt, dumque ſuſpenſum tenent,

En

En Bos verendi adducitur templi Deus
Pinguis, ſaginâ ſtrangulante debilis,
Tardissimisque passibus vix ambulans.
Tunc ille talem Ægyptiorum inſaniam
Cùm derideret tacitus in ſuo ſinu,
Meminit, in urbe ſe omnium celeberrima
Videre ſtructas paribus impensis domos,
Amplas, ſuperbas, quarum ſe domini quidem
Quoſdam putarent adſpectabiles Deos,
Sed hominum ſæpe vix haberentur loco.

FABULA XXV.

Jactator facti incredibilis.

REGIONIBUS e longinquis in patriam redux
Narrabat aliquis falsa multa: quod quidem
Mirum haud videri debet; etenim qui procul
Amant abire, cùm redière, sic ſolent.
At quædam, veri quæ similia non erant,
Cùm venditaret, &, quinquaginta pedes
Latum, uno ſaltu gurgitem in Maurusia
Tellure ſeſe tranſmisiſſe diceret,
Odioſus eſſe cœpit audientibus,
Increduloſque reddidit; & unus, Tibi
Paulò minorem en, inquit, latitudinem
Præſcribo: dictis credo, si ipſam transilis.
Inſcitè mentientes fabella arguit.

FABULA XXVI.

Vomeres duo.

VOMER jacebat obsitus penetrabili
Rubigine, ut eâ pænè adeſum diceres.
Aliquando, ſolitos poſt labores ex agro
Reductum Vomerem alterum, fratrem ſuum,
De maſsa eadem, opificis ejuſdem manu
Procuſum, adſpexit & nitentem & ſplendidum;
Et, Unde, quæſo, frater, inquit, sic nites,
Sic ſplendes? Ille: Quod vides in me bonum,
Id mihi, ait, omne exercitatio dedit.

FABULA XXVII.

Cuniculus & Venator.

THYMOQUE, ſerpylloque paſtus, & ſatur
Cuniculus agitabat variis motibus,
Saliendo, cursitando, leve corpuſculum;
Cùm concitati ſonipedis rapido impetu,
Equitisque crebro ſævientis verbere
Perterritus, antrum repetiit celeri fugâ;
Trepidusque latebram in ultimam ſe condidit.
Poſtmodum ubi tandem evanuit falſus pavor,
Ad paſcua redit; & venatorem videns
Accedere ſensim timido & ſuſpenſo pede:
Ab hoc mihi, inquit, homine nil periculi
Objicitur; etenim placidus eſt, & hunc meum
Videtur ipſe occurſum pertimeſcere:
Non ſum tamen ulli valdè formidabilis.

Dum ſic miſellus garrit, & ſe decipit,
Homo ille placidus miſſili hunc plumbo necat.
Sæpius, ubi omnia tuta ſunt, homines timent,
Et ſe, ubi timenda ſunt omnia, tutos putant.

FABULA XXVIII.

Salix & Agricola.

In valle aquoſa, ad humidam pinguiſſimæ
Paludis oram, adulta vernabat Salix.
Hinc, in propinquo monte pinus conſitas
Suſpiciens, cùm videret ad cælum erigi
Verticibus altis ardua inter nubila,
His invidere cœpit, & ſortem ſuam
Deſpicere; cúmque pauperis cultor loci
Huc acceſſiſſet, ipſum amaris queſtibus
Inceſſit: in ea ſe languere jam diu
Triſti, inſalubri valle: morituram brevì,
Ni citiùs, ex hoc humido præter modum,
Nimiſque frigente ſolo, in montem transferat.
Agricola ſtultis, ſtultus ipſe, paruit
Precibus; valentemque licèt, avulſam ſolo
Natali, in altum tranſtulit montis jugum.
Triumphat illa, ſe carere jam putri
Humore, nec bufonum ſordibus inſici,
Nec affici ranarum contumeliis.
Aquilonis autem impulſa primo flamine
Dejicitur, & per ſaxa præcipitans ruit.
Fabella commonet humili natos loco,
Ad celſa ne ſe culmina optent evehi.

FABULA XXIX.

Arion & Delphin.

REVISERE volens Græciam, ſuas opes
Et vitam Arion fluctibus commiſerat,
Nautisque fluctuum iras ac furias maris
Immanitate nefariâ ſuperantibus.
Jam vorticoſum ſentiebatur fretum
Maleæ; Tænariis jam propinquabat ratis
Litoribus: undæ naufragiis compluribus
Infames nullum non modò ſalubrem metum
Faciunt ſceleſtis; ſed etiam periculum
Paratiores ad ſcelus eos efficit.
Statuunt in æquor innocentem Ariona
Dejicere, ut ejus habere divitias queant:
Tumultuantes conſilium denuntiant
Fatale: ſe ultro mittat in ponti ſinus,
Niſi fortè malit mitti violentâ manu.
Ille furioſos poſſe placari putans,
Quâ præcellebat arte muſicâ, rogat
Citharâ, ante mortem, ludere liceat ſibi.
Sinunt, inane capiat hoc ſolatium:
Deproperet autem, abſolvat extemplò, monent.
Incepit: homines nil moventur barbari:
At vix canoros audiit Delphin ſonos,
Attollit ab aquis caput; & huc unde advenit
Tam docta cantûs ſuavitas, celer adnatat;
Varioque geſtu plaudit, & micantibus
Significat oculis, cupere ſe, ſi fas, opem
Ferre Citharœdo, qui tam mirificè placet.
Quam ſimul Arion haud inutilem fore
Benignitatem intelligit, ratem impiam
Relinquit, & Delphinis in dorſum inſilit.

At ille dulci & glorioſo pondere
Lætus, ſuperbusque, ſonis tentantem novis
Pretium vehendi ſolvere, ad portus vehit
Tænarios, incolumemque reſtituit ſolo.
Sæpe improborum contra vim nefariam
Artibus honeſtis debita advênit ſalus.

FABULA XXX.

Porcus & Felis.

FELEM venuſtam, udoque leniter pede
Suos sibi usque & usque polientem pilos,
Lepidæque formæ ab arte quærentem novos
Addere lepôres, vidit Porcus, & gravi
Hâc monitione, grunniens, redarguit:
Quid hoc, quid eſſe dicam, quòd sic anxio
Studes labore futilem elegantiam
Inducere iſtis vilibus pilis? putas
Hos eſſe tanti? ridiculum eſſe non vides,
Operosè inanes mundítias exquirere?
Laboris autem præmium quodnam refers?
Non vera ſpecies, at simulatio, vanitas,
Tua hæc mihi omnis eſſe forma creditur.
Vis ſapere tandem? reſpice me, ſodes: tibi
Imitandum exemplar en me candidè offero:
Nam fugio quidquid elegantiam vocas,
Reputoque luxum; & ſpreto cultu corporis,
Simplex, agreſtis, ac prope horridus ambulo.
Sic Porcus: at sic contra Felis incipit:
Ut fortè cura fuerit exquisitior
Mea omnis in meo excolendo corpore;
Non tu mihi tamen ulla præbes, quæ ſequar,
Exempla idonea: immo quantò te magis

N iij

Inſpicio, vitiis (si vitia ſunt) in meis
Defixa tantò contumaciùs hæreo.
Nam quis tuam iſtam, præter unum te, ferat
Spurcitiam? quis non a tuis abhorreat
Moribus, in ipſo qui tibi perſuadent luto
Poſſe inveniri delicias? te fetidum,
Spurcumque totum non vides? non olfacis?
Nil tale ſentio, inquis; & ideo negas.
Quid tum, si olenti non olent ſordes ſuæ?
Decôris adjuvandi ſtudium futile,
Simulationem, vanitatemque exprobras;
Et me desipere dicis; & ſapientiam
Docere vis; mihique te ipſum denique
Imitandum exemplar impudenter objicis:
Abi ergo, propera ad balneum; multùm lava
Purga, repurga, rade, terge, perpoli:
Poſtquam decentibus & modeſtis moribus
Tandem inſtitueris vivere, & iſtam ſedulò
Abominandam fœditatem abegeris,
Si rurſus erudire me monitis voles,
Reverte: forſan tunc mihi facies fidem.
In aliis vitia quamlibet verè arguas,
Contraria in te si arguantur, nil agis.

FABULA XXXI.

Leo, filius ejus, & Venator.

LEO cùm jaceret æger, & valde ſenex,
Seſe intellexit eſſe morti proximum.
Accedere igitur filium heredem ſuum
Jussit; &, Extremum hoc, inquit, eſt, quod te monet
Pater: paternum nomen & avitum decus
Metuendâ ſanè virium præſtantiâ,

Summâque virtute animi pulchrè ſuſtines,
Novi equidem: at iſtis dotibus magnis parem
Huc usque, fili, perſpicere prudentiam
In te nequivi; quod tamen certò ſcio
Bonum eſſe maximum: & mihi debes credere,
Quem nempe docuit uſus vitæ longior.
Difficilè perquam eſt, inquies, ubi impetus
Fervet ab amore prædæ, & in cædem rapit
Violentus, iras temperare, frangere.
Fateor: priùs diſpicere nil tamen vetat,
Hoſtiſne, quocum non expediat congredi,
Occurrat; an, quem petere prudenter queas.
Age porrò, monitor ne ſeverior tibi
Videar, age, sino, quadrupedantes belluas
Quascumque pete, perſequere: ſed animal bipes
Unum eſt, ferum, audax, callidumque: hominem vocant:
Huic, nate, bellum non modò cave ne inferas;
Sed ejus etiam veritus occurſum fuge.
Promisit ille ſe obſecuturum patri:
At poſtmodum ſuperbæ cessit indoli;
Et cùm per avia nemorum quodam die
Vidiſſet hominem, Getulum, inquam, ſpiculo
Armatum acuto, venatorem callidum,
Acerrimumque; ſe furoris impotens
Inferre contra non timuit. Improvidum
Paratus ille recipit; adverſo ferit
Mucrone; & inſtat, & moribundum dejicit.
Prudentia comes si non adfuerit, vigor
Nocet animique & corporis, nedum juvet.

FABULA XXXII.

Mus, Muſtela, Vulpis, & Lupus.

NUCEM rapuerat furtim, eâque Mus dape
Bellè refectus, cùm rediret ad cavum;
Hunc adſpicit Muſtela, perſequitur, capit,
Comeſtque: ſed mox irruens ipſam necat,
Pariterque mandit Vulpis: Lupus hanc denique
Famelicus apprehendit; & simul vorat
Vulpemque, Muſtelamque, Muremque, & nucem.
Potentiores ſæpe latrones frui
Latrunculorum ſcelere, fabella indicat.

FABULA XXXIII.

Chorda Lyræ argentea.

CUM francicam olim vellet in academiam
Penetrare, mortuique Conrarti locum
Invadere vir insignis antiquo domûs
Splendore, at imperitus æquè ac nobilis;
Contagionem talis exempli timens
Patrovius, hâc prohibere fabellâ malum
Tentavit, & ita ſocios allocutus eſt:
Lyram optimam olim græculus coemerat,
Elicere ſuaves unde didicerat ſonos:
Ex nervis autem bubulis, quibus lyræ
Vigebat omnis bene canora ſuavitas,
Attritus unus rumpitur demum ac perit:
Quod ille damnum ut reparet, ad novam putat
Et inusitatam sibi recurrendum viam;

Sibique plaudens in ſinu, ruptum amovet
Nervum, & reponit chordam, amens! argenteam:
At mox pœnituit; namque planè contigit,
Lyra ut priorem amitteret ſymphoniam.

FABULA XXXIV.

Nux & Jupiter.

RAMIS in orbem circinatis, & ſuum
Seſe ad cacumen ſenſim componentibus,
Ornata Nux, habebat quod lepido ſatis
Recrearet adſpectu oculos intuentium:
At ſterilis erat. Hoc igitur ex opprobrio
Eripere ut ipſam vellet, orabat Jovem:
Cedensque precibus importunis Jupiter,
Fecunditatem tribuit; qui recogitans
Sortem futuram: Nunc, ait, nunc te juvat,
Quod impetrâſti, ſed nocebit poſteà.
Etenim illa fructus & bonos & plurimos
Cùm protuliſſet, feminæ ſtatim & viri,
Pueri, puellæ fuſtibus miſeram petunt,
Saxisque; perticiſve longis verberant.
Fabella ſpectat ad hominem, qui vixerat
Bene & beatè, quamdiu ſcripsit nihil;
At comparare nomen ubi voluit sibi,
Auctor repentè factus, infelix fuit.

FABULA XXXV.

Sol & Nebula.

TEPENTE missis ex humo vaporibus
Conflata, radios Nebula Solis igneos
Bibebat avidè, & ipſa quam receperat,
Lucem refundens uſque ad extremos sinus,
Tota rutilabat aureis fulgoribus;
Plebisque fixa cùm teneret lumina,
Superbiebat; &, Profectò publicis
Dignam, inquiebat, laudibus me judico,
Quam tantus ornat tamque conſpicuus decor.
Levibus intereà Sol ad occaſum rotis
Devexus inclinatur, ac demum occidit:
Cujus ubi raptum lumen eſt, miſeræ simul
Nebulæ coruſca dignitas omnis perit.
  Fabella fragilem noſtra fortunam indicat,
Quæcumque pendet a favore Principum.

FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER DECIMUS TERTIUS.

FABULA I.

Gibberorum Civitas.

LIGERIS ad undam, Aurelianâ non procul
A Gente, quædam Civitas olim exſtitit,
Cujus coloni gibbere insignes erant
Omnes ad unum quisque ſuo. Huc devenerat
Corpore vir erecto, & humeris, veluti decet,
Sensimque molliterque ſubsidentibus.
Excipitur ille, quocumque inferat gradum,
Sannâ, cavillâ, & acribus conviciis;
Et sic habetur, donec aliquis denique
Occurrat medius, ceteris humanior,
Qui turbam inanem ſummovens & increpans:
Quænam iſta, cives, morum acerbitas, ait,
Indocta, iniqua? cur vexatis hospitem
Bonum, ut videtur, & innocentem? cur grave
Opprobrium additis ejus infortunio?
Ullone crimine alligatum creditis,
Quòd forte noſtrâ deſtitutus ambulet,
Iſtoque, quo nos gaudemus, honeſtiſſimo

Crearit ipſum gibbere carentem Deus?
Fabella magnam ad nationem pertinet,
Quæ vitia quædam quia probat nunc & colit,
Ea vellet omnibus eſſe virtutum loco.

FABULA II.

Bufo & Muſtela silveſtris.

DEFORMITATE corporis fœdiſſima
Coopertus undique, & veneno turgidus
Bufo, pigræ paludis uda in margine
Cubabat: hinc ſilveſtrem Muſtelam adſpicit,
Atque simul oculos tabidâ infectos lue,
Et turpiter eminentes in eam conjicit,
Vibratque virus, adſpectumque mutuum
Sollicitat, ut intuentem obtutu faſcinet:
Tum latera, ſufflans, horridamque agitat cutem,
Et ore patulo ſpiritus teterrimos
Emittit, occultâ attrahendi præditos
Virtute. Magno ſe objici periculo
Intelligit Muſtela; hunc adverſum tamen
Contra intuetur; &, A monſtro, inquit, allici
Tam turpi, tamque abominando me ſinam?
Horreſco reputans! ſatius, heu! fuerit mori.
Sed allicietur miſera, & morietur simul.
Nam Bufo poſtquam vidit attonitam metu,
Et inquietam, & adſpicientem identidem,
Cubare perſeverat in eodem loco;
Neque verò ſegniùs interim corpuſculis
Miſſilibus inſtat prædam circumſcribere:
Quorum illa jam non affluentiam valens
Sufferre, reſilit, ſubſilit, quærit mali
Effugium, nullumque invenit, patulo niſi

Hoc ipſo in ore, quod refugit abominans:
Hucque tamen, huc jam non confugere non poteſt;
Et morte pejus mortis obviæ moram,
Infatuata, malum exiſtimat, nec ſuſtinet;
At in ſepulcrum, quod ſibi paratum videt
Hiare, ſeſe capite prono conjicit.
Trahit aliquando vitium; vel formâ truci
Horribile: quid agat ſpecie blandâ ſubdolum?

FABULA III.

Cerva & Bos.

PER viride pratum Cerva cùm erraret, Bovem
Adſpexit herbis reficientem ſe novis:
Accedit, & sic alloqui prior incipit:
Nihil audiiſti de facinore nobili
Leonis, hìc qui regnat in vicinia,
Et montis ad radicem in exeſo ſpecu
Solet habitare? laudes ejus inclitas
Omnia etiamnum reſonant; & quotidie
Ingens ad ipſum, gratulandi gratiâ,
Undique caterva belluarum confluit:
Cúmque generoſum prædico, ſciens loquor;
Rei omnis actæ magna nempe pars fui.
Nam ſola nuper proximo in ſaltu famem
Sedare dum quæro apicibus tenerrimis
Ramuſculorum, noſter accurrit Leo.
Repentè, & inſcienti ſe mihi objicit,
Clauſæque denſis hinc & hinc arbuſculis;
Et ipſe ſpatium callis anguſti occupans,
Præcludit omnem prorſus effugio viam.
Cohorrui; & (quod ſupererat) miſera accidi
Regis famelici ad pedes, genibus minor.

At ille motus miſericordiâ, gulam
Compeſcuit; ſuæque victor indolis,
Incolumem abire me permisit, & loco
Ceſsit, tremendâ ne ejus ex præſentiâ
Frigidus inertem detineret me pavor.
Bos ruminatur omnia hæc, & ſenſibus
Reponit imis; & re ad extremum ſatis
Conſideratâ: Se tibi Leo obtulit
Inopinanter, ais, & quidem famelicus,
Ut reris: at ego veriùs forſan putem,
Saturum fuiſſe; & (pace cum tua bona
Dictum, oro, fuerit) viſa tu forſan quoque
Macra nimis eſca, nec ſatis, tam nobile
Tergere palatum, digna: ſed ne pertinax
Tibi eſſe videar, eſto, ſiccis faucibus
Venerit, abierit; teque cùm dimitteret
Incolumem, ſanctis legibus clementiæ
Sit obſecutus: at nec idcirco tamen
Deſcendere cogar in tuam ſententiam;
Neque recta ratio credere umquam me ſinet,
Ita eſſe penitus mutatam ejus indolem,
Ut ſine periclo a ceteris animantibus
Deinceps adiri poſsit: immo hæc omnium,
Quam dicis, exorta undique admiratio,
Quòd te innocentem non voraverit Leo,
Veſci innocentum carnibus ſolitum probat.
Fabella multos ad potentes pertinet,
Qui calamitoſum in vulgus aliquando ſuam
Crudelitatem adhibere ſi neglexerint,
Humanitatis laudem apud ſtultos ferunt.

FABULA IV.

Bos & Aſinus.

In prato eodem Bos & Aſinus gramina
Tondebant: ille ſeligebat, quæ magis
Sibi placitura & profutura crederet:
Hic quælibet carpebat, & promiſcuè
Omnia vorabat. Quod videns Bos, admonet
Non omnia eſſe bono ſapore prædita;
Exploret ergo, & ex guſtatu judicet,
Quorum ſaliva ſit potior. Aſinus refert:
Mihi ſaliva par & una eſt omnium.
Latina quævis, dum latina nomine
Vocentur, opera quosdam lectores juvant.

FABULA V.

Hoſtis beneficus.

Sceleratus Hoſtis aliquem dum gladio petit,
Foditque, vomicam aperuit inſanabilem;
Plagamque ſe feciſſe letalem ratus
Abiit: at ille, ſubitus ubi paulùm dolor
Remiſit, ſenſit inteſtinâ ſe lue
Levatum; mox & rediit antiquus vigor.
Inimica amicâ ſæpe plus prodeſt manus.

FABULA VI.

Apelles & Sutor.

DICITUR Apelles, tabulam ubi perfecerat,
Cenſuræ ſolitus publicæ hanc exponere,
Poſt pergulam ipſe cùm lateret interim
Attentus, & avens ſcire quid quis carperet.
Morem ergo ſervans hunc ſuum, quamdam omnibus
Examinandam imaginem pictam dedit,
Quâ delicatos crepidis indutam pedes
Venerem fuiſſe expreſſam nonnulli volunt.
Judicia poſtquam varia variorum audiit,
Accessit Sutor, qui ſupercilio gravi,
Tetricoque vultu, multùm de cenſoria
Severitate referens, judicium quoque
Expromere ſuum voluit, & crepidas notans
Damnavit. Artem propriam quisque artifex
Cenſendus eſt callere, & audiendus eſt,
Secum ait Apelles: quidquid erratum mihi
Notatur hac in parte, corrigam libens.
At ille, meritò qui sibi Sutor bonus
Forſan videri poterat, ſtultè credidit
Se poſſe ad alia judicando progredi.
Quod simul Apelles ſenſit, indignè tulit;
Et ex latebra proferens ſubitò caput:
Ne Sutor, inquit, ſupra crepidam judicet.
De diſciplinis elegantioribus
Abſurdus etiam grammatiſta judicat.

FABULA VII.

Hirundo & Ardea.

HIRUNDO terras & lacus cùm raderet
Celeribus alis, & videret Ardeæ
Conatus ægros ut ab humo ſe tolleret,
Contempsit illam præ ſe; &, Alites, ait,
Iſtæ, quæ tantam corporis molem gerunt,
Artem volandi vix ſciunt: at poſtmodum
Hæc eadem ad alta cùm volando nubila
Se ferret, & coruſcas nimborum domos
Superaret; vidit, & ſtupens obmutuit.
Incepta quamvis grandia moretur labor,
Silete, tenues, dum exitus rem comprobet.

FABULA VIII.

Jupiter, Phœbus & Paludes.

IN ſummum Olympi verticem convenerant
Dei frequentes ac Deæ ipſo cum Jove;
Solemque, quòd ſplenderet ſolito illuſtriùs,
Cùm mirarentur, atque cauſam quærerent,
Hanc vidit, & sic explicavit Jupiter:
Latè patentes Phœbus exoriens agros
Juvare radiis maximè efficacibus
Inceperat: vicinis at Paludibus
Æſtus videtur nimius, intolerabilis:
Hanc ergo quærunt a ſuis moleſtiam
Removere finibus; & ut officiant simul,
Quantamque poſſunt turpitudinem inferant

Sideri odioſo, ebulliunt, limum excitant
Fœdum, veterrimoque corruptum situ;
Vaporibusque putribus nebulas graves
Conflant, & abigunt ſplendidum adversùs jubar.
Nihil commotus, ut decebat, Sol tulit
Injuriam: ad ſe, malè repulſos, attrahens
Radios coegit: & arbitratus hoc ſatis
Sibi glorioſum, ſpectatores si Deos
Solos haberet, ſuperiores ætheris
Illuminandas ad regiones vim ſuam
Convertit omnem: hinc illa lux videlicet,
Fulgore quæ vos inſueto perculit.
Juſtum & beneficum fabula indicat virum,
Qui dum, furenti obnoxius calumniæ,
Opprobria ſuſtinet, interim, plaudentibus
Superis, triumphat laude cumulatus nova.

FABULA IX.

Mors & ejus Miniſtræ.

PROMISERAT Mors, ſede regali ſedens,
Insigniori munere donandam ſuis
Unam e Miniſtris, quæ ſe præter ceteras
Idoneam perdendum ad humanum genus
Oſtenderet. Igne exæſtuans multo febris
Sua maleficia extollit, auget, explicat
Contentione magnâ: deinde cachexia,
Cheiragra, podagra, melancholia, apoplexia
Suam tuentur cauſam nihilò ſegniùs:
At palma demum intemperantiæ datur:
Et Mors, Huic, inquit, ne invidete præmium;
Nam digna certè eſt: illa vos videlicet
Aliasque peſtes multas una procreat.

FABULA X.

Paſſer & Accipiter.

Ad murum affixâ Paſſer in lagunculâ
Nidum poſuerat : vênit huc famelicus
Accipiter : aditus cùm lagunculæ foret
Anguſtior, intrò poſſet ut ſuccedere,
Exertis prædam attrahere tentat unguibus.
Paſſer latibuli in parte prudens ultimâ
Se contineret; nil erat periculi;
Verùm latronis auſus ad nefarios
Irâ incitatus : Tene ſic lentus feram,
Sceleſte, noſtras etiam graſſari in domos?
Dixit; ſimulque adversùs hoſtem ſe ferox
Infert, ut oculos fodiat. At vix hunc ſibi
Occurrere ſentit Accipiter, ungues vafer,
Similis timenti, retrahit; atque ubi foràs
Erumpere prono capite Paſſerem videt,
Irruit, & obluctantem fruſtra, & in cavum
Remeare fruſtra jam volentem corripit,
Educit, aufert; moxque lacerat, & vorat.
Tenues monentur, ut potentum injurias
Diſcant pati, ne gravius arceſſant malum.

FABULA XI.

Myrtus & Quercus.

Pusilla Myrtus invidebat Quercui :
Sed agricolarum repetitis mox ictibus
Hanc ſauciari, denique everti videns,

Humilior etiam optavit eſſe, quàm fuit.
Dejicere ſummos grandibus ſors invida
Gaudet ruinis, dum infimi tutò latent.

FABULA XII.

Puer & Felis.

CIBOS manu tenebat, quos identidem
Mordebat & minuebat obambulans Puer:
Odore capta Felis æquis passibus
Ut comitabatur, & videbatur simul
Geſtuque corporis, oculisque mitibus
Blandiri, adulari; ejus erga ſe putat
Hunc eſſe amorem credulus Puer; & bonam
Tribuit ciborum partem, officii præmium:
Sed ore Felis vix tenuit avidissimo,
Quod appetebat, abiit, aufûgit procul.
Tunc ille: Me, inquit, non ſequebare, at cibos.

FABULA XIII.

Cicada & Hirundo.

CICADA raucis cuncta dum replet ſonis,
Bene eſſe patulis omnium auribus putat;
Sed garrientis ferre vocem non poteſt
Hirundinis; & conviciatur, & vocat
Nimis loquacem, & garrulam præter modum.
Convicium illa sic refellit: Tu mihi
Loquacitatem, tu garrulitatem exprobras,
Hominibus, & avibus, & pecudibus quæ ſoles.

Faſtidium creare per totam diem
Tuâ iſtâ voce ſtridulâ? Hoc retine memor:
Objicere ſtultum eſt ea quæ peccas maximè.

FABULA XIV.

Ovis tonſa.

INVITA nuper & reluctans in manus
Tonſoris avidi tradita fuerat Bidens,
Suamque lanam amiſerat planissimè.
Nunc prata mollia atque vernantes agros,
Nuda quidem, at expedita, dum perambulat,
Seſe ipſa, doctior, arguit imprudentiæ,
Quòd impatienter dentem acutum forficis,
Cùm tonderetur, tulerit: nam totum antea
Sudore corpus diffluebat: &, Locus
Erat, ait, metui, tentaret ne denique
Furtiva ſcabies humidam nimis cutem.
Hic ſæpe prodeſt, qui ſupervacua abripit.

FABULA XV.

Catellus & Moloſſus.

CATELLUS ab hera, nobili mulierculâ,
Quia ſeſe amari ſentiebat, arrogans
Petulansque factus inde eſt; & quoties ſibi
Quidam Moloſſus, ingenio mitis quidem,
Sed acer animo, præpotensque viribus,
Occurreret, eum provocabat: at ſtatim
Hinc ſe amovebat ille, non dignum putans

Honore pugnæ tam pusillum & imparem:
Tamen aliquando propiùs inſtantem videns,
Et perſequentem; ſentiensque etiam feris
Rabidisque morsibus enitentem lædere,
Concepit iras, & inopinatè irruens,
Arripuit ejus auriculas ac diſcidit;
Flentemque, totisque ejulantem viribus,
Suam remiſit nobilem ad mulierculam.
Fabella quoddam genus homullorum procax,
Potentiores ne laceſſat, admonet.

FABULA XVI.

Muſca & Caccabus.

Cibis refertum jurulentis Caccabum
Circumvolabat Muſca, pingues halitus
Secuta: facilem quærit epulandi viam;
Et via si facilis ipsi nulla ſuppetat,
Tentare ſtatuit etiam difficillimam:
Nam ratio cogit imperiosior, fames.
Commodus hiabat, diſcedente operculo,
Aditus: hàc permeare ad optatos cibos
Poteſt facillimè; at remeandi poſtmodum
Ne sibi facultas nulla sit, valde timet.
Invitat eſca, territat periculum:
At inedia tamen excruciat famelicam
Intereà. Quid agat? Eſto; mors, inquit, mihi
Parata in iſto pulmentario excubet:
Non ita videtur eſſe formidabilis,
Ut altera illa, quæ me conficeret fame.
Si denique mori me neceſſe eſt, hanc volo
Eligere mortem, quæ me ſaturatam opprimat.
Nec tam periculoſa fortè, quàm putes,

Illic mihi eſſe comperientur omnia:
Nidore certè pellicior ſuavissimo;
Et ipſe fumus felix augurium canit.
Dixit; ſubitque gurgitis blandi oſtium
Fatale, delicatamque in voraginem
Delabitur: ibi mox repletur, & perit.
Egere miſerum eſt, at miſerrimum bonis
Abundare ita ut inundet affluentia.

FABULA XVII.

Agricola & Apes duæ.

AGRICOLA fortè Apes duas offenderat,
Et excitârat, ut animosè quærerent
Se vindicare: bombis una comminans
Prænuntiis, adversùs hoſtiles genas
Involat. Is autem monitus: Accede huc modò,
Ferocula, inquit, cum tuis minaciis,
Accede: faciam, tam grave hercle ſentias,
Ut nullum aliud ſenſura sis poſthac malum:
Jamque parat ictum; at altera interim silens
Furtim appropinquat, & inimicam fortiter
Nec-opino ſeſe mittens in cutem impetu,
Diræ ultionis imprimit memorem notam.
Eò eſt nocentior ira, quò eſt occultior.

FABULA XVIII.

Agricola & perticales Arbuſculæ.

AGRICOLA ſilvam ingreſſus, ut perquireret,
Si quam inveniret perticalem Arbuſculam
Rectamque proceramque, conſpexit ſtatim
Unam inter alias, qualem ſuccidi & capi
Ipſe expetebat uſus: & minimè quidem
Hanc improbavit ille; ſed aliam tamen
Speravit aliquam ſe reperturum fore
Præſtantiorem: cœpit ergo progredi,
Aciem oculorum ſedulò circumferens:
Sed cuncta ſordent, animum si reflexerit
Ad illud ipſum quod neglexit tollere.
Intereà magis atque magis in ſilvæ intimos
Penetrat receſſus, & viarum ambagibus
Fallitur; iterque vult relegere, nec poteſt;
Multúmque & fruſtra ſe fatigatum gemit.
Demum tamen ad hanc, reſpuiſſe quam dolet,
Arbuſculam, at poſt longos circuitus, redit;
Ipſamque properans cædere: Nunc, inquit, ſcio,
Sæpe hæc bona eſſe præferenda ceteris,
Quæ veſtiganti maximè ſunt obvia.

FABULA XIX.

Cicindela & Luſcinia.

LUSCINIA quondam dum ſuper lauro ſedens
Noctem canoris mulcet æſtivam ſonis,
Cicindela ignes jactare incepit ſuos,

Et gloriari, rata ſe, & eſſe dictitans
Terreſtre ſidus. Luſcinia sic admonet:
Nunc tibi tenebræ cùm favent, micas quidem
Inſignis aliquo lumine; ſed umbram ſimul
Expulerit, & te publica lux afflaverit,
Turpicula beſtia, qualis es, videberis.
Fabella multos ad ſcriptores pertinet.

FABULA XX.

Sol & Luna.

CLARISSIMUM Sol retulerat mundo diem:
Debere ſe ejus lumini, quòd emicat
Luna inter umbras noctis, obliviſcitur;
Invidet; &, Iſta, quæ leves mortalium
Oblectat animos, lux, ait, ambitioſior
Toleranda non eſt: quæ quidem tota obrui
Si fortè nequit, intercipi tamen poteſt
Obſtante noſtri mole vaſtâ corporis.
Livoris ergo aculeis haud mollibus
Agitata, properat lucidam Solis facem
Eripere nobis; & media interlabitur,
Immane dorſum obvertens, & ſuum ſimul
Dedecus: opacam ſic enim caliginem
Inducit terris; horrificoque territat
Monſtro imperitum vulgus, nedum recreet:
Ac luce demum ſe carentem propriâ,
Splendere nobis ex aliena, nos docet.
Fabella ſcripta eſt hominibus ſtultè invidis.

FABULA XXI.

Libri duo.

LIBRI duo, alter pergameno tegmine
Malè coopertus, alter autem turcicâ
Membranâ amictus, & illito circùm undique
Auro refulgens, in taberna cùm ſuper
Tabulato eodem ſtarent contigui; nitens
Hic elegansque totus indignè tulit,
Quòd cogeretur iſtum turpem & ſordidum
Habere ſocium. Advênit intereà, libros
Cupidus emendi, vir peritus & ſagax.
Specioſo qui ſuperbit ornatu, ſtatim
Offertur : at vix aliquot ille paginas
Inſpexit, hominis eſſe nugacis videt
Opus inficetum, & indignatus abjicit.
Convertit hinc ſe ad alterum ſpecie horridum,
Aperitque, paginasque rebus optimis
Paſſim refertas admiratus, hunc emit.
Externa ſpecies imperitos decipit;
Scrutare, ſubſit si qua dos : non corporis
Ornatu ab ullo dignitas homini venit.

FABULA XXII.

Buccina & Echo.

CUR mihi remittis usque, quos mitto ſonos;
Olympus autem si movere cœperit
Tonitrua, taces? Sic roganti Buccinæ
Vocalis Echo tale reſponſum dedit :
Omnes tacere, Dîs loquentibus, decet.

FABULA XXIII.

Vultur & Columbæ.

TRISTES Columbæ conquerebantur ſui
Illiberalem domini parſimoniam :
Quod cùm audiiſſet Vultur, extemplò dolum
Meditatur ; &, Celeribus hinc pennis, ait,
Mecum volate ad hanc domum, cujus procul
Inſigne ſe culmen aperit : ibi plus ſatis
Mihique, vobiſque optimorum ſuppetet
Copia ciborum : ſequimini ; mihi pervius
Meiſque amicis aditus eſt, quoties lubet.
Fidem Columbæ ſimplices fallacibus
Habuêre dictis. Prævolans igitur latro
Temere ſequentes copioſum villici
Opulentioris ducit ad granarium :
Quò ſimul ac omnes eſſe delapſas videt :
Jam comedite, inquit : delicatos ad cibos
En vos invitat iſte præſertim angulus.
Huc ergo denſæ coeunt : ſed avidiùs ſinum
Gutturis inanem implere granis dum ſtudent,
Nil ſuſpicantes de dolo ; ferus ingruit
Repentè prædo ; & has cruentis unguibus,
Roſtro has obunco laniat ; has autem ferit
Potente pennâ, ac debiles ſternit ſolo.
Tam fœda cladis ſpecies, tam ſubitus pavor
Paucis relinquit evadendi copiam.
  Hominis cavenda eſt improbi benignitas.

FABULA XXIV.

Turdus & Hirundo.

TURDUS & Hirundo cùm ferire mutuum
Fedus pararent, dixit hæc: Nondum quidem
Jucunda alacritas omnis iſta, quæ ſolet,
In me vigeſcit; quippe nondum frigoris
Expulſa prorsus omnis eſt moleſtia:
At simul ac invaluerit æſtivus calor,
Totam elegantem me videbis. Quos mihi,
Quos, Turdus inquit, tu calores, o bona,
Commemoras? immo loquere mihi brumam, gelu
Hoc placet: hæc me anni ſola tempeſtas juvat:
Neque ſatis ipſe, quomodo acciderit, ſcio,
His ut sim in agris commoratus tamdiu;
Nam quod moleſtum frigus etiamnum vocas,
Hunc ego calorem vix tolerabilem puto:
Quapropter alias commodiores in plagas,
Ubi non adurat me ſol, hinc me conferam
Quamprimum: inire jam ergo si mecum velis
Hanc ſocietatem, placita quæ nobis fuit,
Ne ſociam itineris eſſe te pigeat mihi.
Hirundo retulit: Video nunc id quod ſatis
Perſpicere ne poſſem, in te amor vetuit meus:
Nec ratio nec fas degere simul nos sinunt:
Et me inter & te diſcrepat perquam nimis:
Nam frigora tibi ſola, mihi tantummodo
Placent calores: itaque nos regionibus
Habitare longè ſeparatis expedit.
Ingenia si non invicem convenerint,
Sociale fedus ne feriatur, cautio eſt.

FABULA XXV.

Aſini vota.

MICARE per agros cœperat jucunditas
Rediviva : blando ſpiritu favonii
Recreata passim jam ridebant omnia :
Plorabat Aſinus. Quid enim ? in urbem singulis
Diebus ferre cogitur, flores quidem,
At multos nimiùm, eosque natali ſolo
Septos quemque ſuo, & vaſe clauſos fictili.
Has ergo, quæ laudantur, planè vituperat
Delicias veris ; & eſſe delicias negat ;
Et advenire citiùs æſtatem cupit.
Advênit æſtas, & novos simul attulit
Miſero labores perferendos bajulo.
Namque ſuper ejus clitellas quotidie
Herus legumina exſtruit, cupidus lucri,
Populoque divendenda portari jubet.
Quod ille reputans magis acerbum, quàm priùs,
Æſtatem abominatur ; autumnum expetit :
Sed expetiſſe, poſthac voti compotem,
Pœnitet : in amplis accumulata corbibus
Assiduè poma ſunt vehenda ſcilicet ;
Et hanc miſerrimam eſſe conqueritur vicem,
Seramque demum votis imprudentibus
Increpitat hiemem. Adeſt hiems glacialibus
Advecta Boreæ pennis ; & gelu furens
Acuto, crura pecudis ignavæ ligat :
Verùm haud ligavit formidabiles manus
Heri vigilantis, voce qui horrendâ tonans
Inertem primo quoque mane ſuſcitat
Ad opus diurnum ; & putribus massis fimi
Olentis onerat, idoneasque languido

Adjicere vires crebro novit verbere.
Tum sic dolet ille, credas ut jocum antea
Fuiſſe, præut nunc quæ lamentatur miſer:
Et eſſe reliquum ſentit, ut mortem expetat.
Fabella, id ævi, quodcumque eſt, quod ducimus,
Nusquam vacare miſeriis, nos edocet.

FABULA XXVI.

Graculus, Cornix & Aquila.

FUGIEBAT Aquilam Graculus furti reus:
Miſerata Cornix advolat; cavam æſculum,
In quâ latêre tutò possit, indicat.
Habeo, inquit ille, gratiam; verumtamen
Non iſta, opinor, æſculus eſt, at fraxinus....
Verumtamen, utrùm fraxinus sit, an æſculus,
Quid intereſt, modò tibi latebram præbeat?
Fuge, ſtulte, fuge celeriter; & cave ne tuam
Loquacitatem reprimat hoſtis ingruens.
Abſcedit: indicatam propior arborem
Conſiderat, & hanc eſſe fraxinum videns,
Stolidè triumphat, & immemor periculi,
Non modò, patentem commodè, cavum haud ſubit,
Sed ad Cornicem ſe refert; &, O bona,
Errabas, inquit: fraxinum dico tibi
Hanc tam eſſe verè, quàm verè ſum Graculus.
Erat additurus alia multa, cùm ruens
Aquila imprudentem corripit, & eviſcerat.
Exitio multis vana garrulitas fuit.

FABULA XXVII.

Combibones duo.

DUOBUS olim Combibonibus fuit
Poſita lagena fictilis : cujus videns
Speciem indecoram, cœpit unus hoſpitem
Vehementer increpare, non vinum ratus
Ibi contineri poſſe nisi vilissimum ;
Et, afferatur alia nobilior, jubet.
Sed prohibet alter : Quippe nos, ait, prius
Decet experiri, quid liquor ſapiat. Placet
Consilium : ubi autem guſtârunt, vinum simul
Hic dicit, ille confitetur optimum.
  Præſtantis animi vividam ſæpe indolem
Horrida, inhoneſta corporis ſpecies tegit.

FABULA XXVIII.

Canis & Herus.

FOSSAM in profundam ruerat imprudens Canis,
Multisque fruſtra nisibus tentaverat
Resilire : feſſos humido demum ſolo
Abjecit artus, ſeque totum tradidit
Mœrori acerbo. Huc fortè paulò pòſt Herus
Devênit, & reſpexit ; & videns ſuum
Hunc eſſe, ſtatuit liberare. Nec mora,
Adminiculante perticâ delabitur :
At ille luctu acerbiore perditus,
Et acquieſcens in ſua ægritudine,
Opem averſatur, impioque etiam manum
Sauciat herilem dente. Tum Dominus pedem

Secum hæc locutus, Oſtream, quam abjecerat,
Repetit, capitque, & anxiè conſiderat,
Odorque quanquam aut nullus eſt, aut non gravis,
Olfacit, acerbè corrugatis naribus,
Sorptamque demum nauſeabundus vorat:
At illa celeri lubrica illapſu, aridum
Poſtquam rigavit guttur, intimos ſubit
Stomachi receſſus, & hominis recreat ſimul
Senſus inertes ac prope intermortuos.
O ſuavitas, exclamat! O guſtatio
Tam delicati, tam ſalutaris cibi
Sperata numquam! Et ille ros quantum boni
Habet ſaporis, vividi quantum ſalis!
Salivam & ori marcido qualem facit!
Hæc inter ipſa verba nihilò ſegniùs
Undique capessit Oſtreas, & dividit,
Et abligurit, usque eò dum debilis
Fungi ſuo ventriculus officio neget,
Nimiâ videlicet impeditus copiâ:
Continuò aceſcunt, diditoque ebulliunt
Calore fæces: resiliunt nervi: fibræ
Exaſperantur: motibus ſanguis furit
Inordinatis: fit tumultus: ſe liquor
Exagitat omnis, & omnis obſtruitur via:
Conflictus atrox invaleſcit; & brevì
Compago victa corporis diſſolvitur.
Sic qui furorem evaſerat diræ famis,
Lenocinanti dum gulæ obſequitur, perit.
Idem abſtinentes ſæpe mortales, idem
Intemperantes ſæpe in exitium ruunt:
Tantâ, peritos dum putat ſenſus duces,
Humana gens laborat imprudentiâ!

FABULA XXXI.

Libellus flagitioſus & Judex.

SPURCUM Libellum & impium damnaverat,
Flammisque Judex concremari ultricibus
Juſſerat. Amicas per ſophiſtarum manus
Nitidus, ſuperbus qui priùs volitaverat,
Nunc ſordidatus ſupplicium depellere
Et excitare tentat miſericordiam:
Nil ſe facinoris commisiſſe, turpibus
Contaminatum flagitiis hominem omnia
Excogitâſſe, perpetrâſſe, dictitans.
At Judicem querela vana non movet:
Sacrilegus auctor aut profûgit, aut latet;
Sed tu tenêris, inquit; & pœnam dabis:
Nam qui miniſter ſceleris eſt, facit ſcelus.

FABULA XXXII.

Latrunculorum Ludus.

LATRUNCULORUM præliis cùm luditur,
Rex & regina, pedites & equites, loco
Quisque ſuo & ordine varia obeunt munia:
At bello ubi finis impositus eſt ludicro,
Capsâ conduntur unâ omnes promiſcuè.
Humanas variat vita, mors æquat vices.

FABULARUM ÆSOPIARUM
LIBER DECIMUS QUARTUS.

FABULA I.
Spicæ.

Cum falcem agricola jam pararet meſſibus,
Erectum ad auras Spica tollebat caput:
Hinc gloriatur, ceteraſque deſpicit
Curvo ſorores capite ſpectantes humum:
Quarum una: Caput hoc ſi tibi, ut nobis, ait,
Eſſet refertum granis, non ita tolleres.
In capite vacuo laxè habitat ſuperbia.

FABULA II.
Perſa apud Gallum Hoſpes.

Conjunxit olim mutua hoſpitalitas
Gallumque Perſamque: ergo is cùm Lutetiam
Veniſſet, ad ſuum hoſpitem diverterat
Ibi manentem, commodoque etiam hortulo

Gaudentem : in illum fortè ambo deſcenderant :
Inter ſe amicè colloquentes dum ambulant,
Perſa ad parietem expânſam malum perſicam,
Pulchris onuſtam maturisque fructibus,
Adſpicit ; &, Iſtud, inquit, nonne jam diu
Didiciſti apud nos eſſe præsens toxicum ?
Cur ergo in horto collocas ? cur excolis ?
Tum Gallus : Arbor quam tantopere deſpicis,
Et abominaris, ſurculus quondam fuit
In Perside ipsâ natus : hunc lêgi ex agro
Horumce toxicorum fertilissimo,
Repetensque patriam huc uſque mecum tranſtuli,
Et educavi, & excolui meâ manu ;
Et ejus hodie ex fructibus, quem maximum
Pulcherrimumque invenero, tete volo
Comedere : diſces, quantùm e natali ſuo
Prosit aliquando in aliud transferri ſolum.

FABULA III.

Pulex & homo.

Pulex cuticulam hominis, quà tenerrima eſt,
Momorderat doloſus : & mox, vindicem
Accedere manum ſentiens, refugerat.
At perquisitus ſedulò poſtquam fuit,
Demum invenitur, atque comprenſus, necem
Sibi paratam intelligit ; & humilis rogat
Ultorem, sibi miſello parcere ut velit,
Beſtiolæ morſum tam pusillæ tam levem,
Dignum ultione tam ſeverâ ne putet.
Reſpondet ille : Te mihi fateor parum
Nocuiſſe ; ſed nocere si poſſes magis,
Te non fore tibi temperaturum ſcio,

Quin faceres. Sic locutus, hunc digitis premens
Ubi torsit, ungue pollicis dextri obterit.
Quicumque nocuit, jure dat pœnas, magis
Animo nocendi, quàm ipsi noxiæ pares.

FABULA IV.

Aves deceptæ.

MEDIIS in ipsis retibus Auceps callidus
Affixum palo ſpeculum collocaverat:
Cornicula ſagax perfidum ſensit dolum,
Avesque monuit ceteras, ne accederent:
At permisêre ſe coruſcantis vitri
Fulgore ſensim aliæ poſt alias pertrahi:
Quas Auceps, ſervans ex insidiis clanculum,
Simul atque magno congregatas agmine,
Et garrientes, & colludentes videt,
Retia repentè contrahit, & omnes capit.
Illecebra ſeſe quò magis blanda objicit,
Magis hòc timendum, ſubsit aliquis ne dolus.

FABULA V.

Villicus & Canes.

PRÆTER modum gulosus quidam Villicus
Ipſos, diurnum ſolitos officium Boves
Obire in opere moliendo ruſtico,
Necuit, eorum ut veſceretur carnibus:
Quod facinus atrox ut animadvertunt Canes,
Fugam capeſſunt, atque: Bobus, inquiunt,

Qui non pepercit, nobis, qui pretii ſumus
Multò minoris, parcet ille ſcilicet?
Properemus, hominis procul inhumani domo,
Quæramus antra: vitam in silvis aſperam
Tolerare præſtat inter immanes feras.

FABULA VI.

Equi duo.

HABEBAT aliquis præditum egregiis Equum
Dotibus; at ejus utilitates antea
Perſæpe quanquam maximas agnoverat,
Laudaveratque; tædio affectus tamen
Injurioſo, cœpit ipſum protinus
Negligere, mox odiſſe: denique non poteſt
Sibi temperare, quominus alium paret.
Is autem, ab omni parte deterior licèt,
Exiſtimatur longè potior, & unicè
Amatur; atque herilis beneficentiæ
Omnem ferè unus largitatem percipit:
Quod & ipſe mirans, conſcius ſuæ sibi
Indignitatis: Eſſe quid hoc, inquit, putem,
Tantopere quòd herus diligat me tam parum
Laudabilem, te digniorem negligat?
Nempe, vetus hoſpes retulit, sic homines ſolent:
Plerique nova veteribus ideo præferunt,
Quia nova; vetera, quia vetera ſunt, reſpuunt.

FABULA VII.

Ficus & Aves.

GENEROSA Ficus umbris hoſpitalibus
Contra calorem ſolis innumeras Aves
Communiebat, fructibusque etiam ſuis
Alebat. Ipſam gravior ira fulminis
Feriit, adussit folia, fructus perdidit.
Procul, procul Aves evolârunt ilicèt,
Neque ulla ramos poſt revisit aridos.
Fortuna quem deſeruit, omnes deſerunt.

FABULA VIII.

Æſculus, Agricolæ, & pagi Dominus.

RADICIBUS erat Æſculus firmissimis
Defixa: multas per hominum ætates vigens,
Fruticansque ſteterat; & ingruentes ſæpius
Nimbos, procellas, turbinesque vicerat
Ferendo. Quidam hanc, heu, nefas! evertere
Statuêre Agricolæ, dictitantes, evidens
Ineſſe vitium; & admonente caudicem
Putreſcere cavo: Dominus at pagi obſtitit;
Et, Parcite, inquit, arborem pulcherrimam
Violare: pagum exornat: incolas juvat:
Hoſpitia præbet avibus, & veſtros greges
A ſole, ramis longè procurrentibus,
Defendit. Ejus excavatum caudicem
Arguitis: aures admovete: quid ſonus,
Quid ſtridor iſte raucus indicat? utili

Fervet ibi nempe pertinax ſtudio labor :
Ibi mella vobis dulcia generant apes.
His emendati monitis Agricolæ ſuum
Fatentur errorem, Æſculumque non modò
Evertere nolunt; at, ne quis damnum inferat,
Vigilare ſtatuunt, utiliſſimam ſibi
Fore arbitrantes & ſuis nepotibus.

FABULA IX.

Melis fetida & Canis.

De Melibus iſtis, quæ vocantur fetidæ,
Unam excitârat, & inſequebatur Canis :
Jam propiùs urget ; jamque comprenſam putat ;
Comprenderetque, maximum ni intelligens
Periculum illa, ad ultimam recurreret,
Sed efficacem, vindicandi ſe viam.
Viſceribus ergo quidquid intimis fovet
Teterrimi fetoris, imos ad ſinus
Trudit, & in unum cogit, & apertum Canis
In os propellit: qui ſimul exſecrabilem
Senſit mephitim, reſtat in veſtigio
Defixus, & reflectit attonitum caput,
Prædamque refugit obſcænam : atque ſe interim
Intacta Melis in latibulum proripit.
Fabula quibuſdam Auctoribus ſcripta eſt, ſuâ
Qui fœditate Criticos omnes territant.

FABULA X.

Ruſticus, ejus Filius, & ejuſdem Aſellus.

VENALEM Aſellum nundinis exponere
Quidam ſtatuerat Ruſticus, ſenex quidem,
At viribus adhuc integris: natum vocat
Jam grandem & annos aſſecutum quindecim
Circiter: habere hunc, qui sit adjutor sibi,
Vult ſocium; & omnis consilii ſui facit
Participem. Ut autem paulò nitidior pecus,
Paulò & vegetior adveniat emptoribus,
Exiſtimat eſſe deportandam ſcilicet.
Poſtquam ergo eam coegit attonitam ſolo
Decumbere, inter, fune conſtrictos, pedes
Validamque proceramque tranſmittit ſudem:
Admonito deinde filio, ut opem conferat;
Connixi pariter ambo pensilem efferunt,
Geruntque, veluti lampadem cryſtallinam.
Tollit cachinnum, primus illos qui videt;
Et, Ludum, opinor, quæritis, ait, o boni,
Lepidum exhibere: nec malè vobis convenit
Bipedibus cum quadrupede; nec asini magis,
Quàm vos, videtur ille dignus nomine.
Deſtrictus acri irrisione Ruſticus,
Agnoſcit ac emendat errorem ſuum;
Vinclisque diſſolutis quadrupedem jubet
Incedere: ipse ſubſequitur cum filio.
Mox obvius nugator exclamat: Novus
Et singularis iſte mos an jam obtinet,
Laſſetur ut Herus, commodè Asinus ambulet?
Sed illa fortè ſola vos benignitas,
Quam præſtat ultro quisque similibus ſuî,
Movet ut agatis cum pecude tam humaniter.

Tum ſenior : Iſte ridet, inquit, nos homo :
Neque nulla, cur sic rideat, ratio ſubeſt.
Conſcendere igitur in Aſinum nos expedit :
Acer, vigensque eſt; facilè nos ambo vehet :
Et hæc locutus, ejus armos occupat;
Ac deinde lumbos filius levis insilit.
Verùm ecce mercatores accelerant duo,
Vicemque pecudis obiter objiciunt Seni,
Oneri ferendo huic duplici quippe imparis;
Quæruntque, vendere nundinis quid cogitet,
Ipſamne viventem, an corium demortuæ.
Reſpondet ille : pecudis egregias ſuæ
Notas sibi eſſe vires; nec metui locum
Ullum ſubeſſe, ne fatiſcat : ſe tamen
Inani eorum consilio malle obſequi,
Ne pertinax dicatur : ex Aſino simul
Desilit, & equitem filium ſequitur pedes.
Quidam ſeveri pòſt paulò occurrunt Senes,
Et Adoleſcentis ignavi impudentiam
Cœpêre verbis increpare haud mollibus :
Habere canum pediſequum tún' audeas
Imberbis, & sic negligenter devehi,
Dum vetulus ægrè pedibus aſſequi poteſt?
Deſcende verò; & ipſe capiat hunc locum,
Quem tibi relinqui ratio recta non sinit.
Tum Ruſticus : Nunc video, nunc intelligo,
Difficile quàm sit obſecundare omnibus :
Adhuc tamen aleam eſſe tentandam puto :
Deſcende, fili. Qui paterni juſsibus
Cùm paruiſſet, ille in ejus ſe locum
Subſtituit. Aliquot vix paſſus proceſſerant;
Ingruit & obſtrepit en puellarum cohors,
Quas inter una ceteris petulantior :
Quis hunc patienter, inquit, adoleſcentulum
Sic pedibus ire videat, & prope confici
Labore, dum iſte bardus in Aſino ſedet,

Stolidumque, nutans, pandiculans, vitulum refert?
Senex reponit: Vitulus & vetulus nihil
Inter ſe habent commune: si ſapis, viam
Perge hinc, puella: te bene hoc vetulus monet.
Id porrò penitus habeo jam fixum & ratum:
Mihi quidquid homines otioſi obganniant,
Deſpiciam, & obdurabo propoſiti tenax.
Elegeris quodcumque vivendi genus,
Erratum ab aliqua parte qui objiciant tibi
Fabella numquam defuturos præmonet.

FABULA XI.

Hirundo & Aves aliæ.

Hirundo, multas quæ regiones viderat
Peregrina, moreſque populorum ſedulò
Notârat, animadvertens cannabem ſeri,
Sic allocuta eſt Avium multitudinem:
Hanc, uſque euntem & usque redeuntem, aëris
Per inane, non adſpicitis agricolæ manum?
Quod illa ſemen hodie committit ſolo,
In calamitatem veſtram id exſurget brevì;
Hinc namque fient exitiales machinæ,
Quibus volantum facilè gens poſſit capi:
Ergo agite, glebis antequam versis humus
Abſcondat, iſta roſtris diligentibus
Surripite grana, penitus & conſumite.
Hirundinis ſalubre consilium ſequi
Turbæ leves recuſant: in eodem loco
Tot colligendis, talibusque granulis
Piget immorari, nunc præſertim, fertiles
Cùm ſe per agros temere diſcurrentibus
Et dulcis & capessi facilis offerat

Copia ciborum, & blanda tempeſtas ſimul
Invitet huc volare quò fert impetus :
Triſtem ergo, reſque prævidentem longiùs
Vatem relinquunt; & pericli quid vehat
Tempus futurum, cogitare dum timent,
Paſcuntur, oble&antur, garriunt, canunt.
Intereà properat exoriri cannabis,
Campumque jam omnem viridis occuluit ſeges.
Proſpicit Hirundo, Aveſque rurſus admonens :
Dum tenera, dumque gramina iſta ſunt adhuc
Exigua, vellite singula, inquit, & malam
Abolete ſegetem. Hìc obſtrepunt omnes ſimul
Conviciantes. At meam hanc ſaltem ultimam
Admonitionem ne, inquit, aſpernemini :
Statim ac parari & inſtrui videbitis
Caſſeſque perfidoſque laqueorum dolos,
Quod & ipſa vobis eſca monſtrabit ſatis,
Benigniùs projecta; tunc absiſtite
Huc passim & illuc pervagari, ut antea;
Sed in remotis continete vos locis.
Nos hinc quidem didicimus in alias procul
Abſcedere plagas : verùm ad hoc bono eſt opus
Remigio alarum, quale paucis obtigit.
Prudenter admonentem ferre non poteſt
Gens obſtinata hunc uſque vivendi modum
Servare, qui levem unus indolem juvat :
Tumultuosis concrepant clangoribus;
Caſſandramque novam cum ſuis oraculis
Fugant, & inſequuntur contumeliâ.
Quò denique autem res redit? Aves plurimæ,
Laqueo retentæ, Hirundinem verissimam
Fuiſſe vatem, planè, ſed ſerò, vident.
Prædicta ſtultis calamitas tantummodo
Fidem facit, ubi jam propulſari nequit.

FABULA XII.

Homo & Pulex.

PULEX momordit quemdam : at ille Pulicem
Prendere ſtudebat, ſollicitam inſinuans manum
Modò huc, modò illuc; atque prendebat nihil.
Demum labore victus longo & irrito,
Eſſe invocandum judicavit Herculem.
Et invocavit, verbis & ſolemnibus
Rogavit, ut qui miſerias mortalium
Pleraſque tollere, his terris cùm viveret,
Conſueviſſet, opem tanta in ærumna ſibi
Afferre vellet, invictoque robore
Tot monſtra qui necuiſſet, hunc quoque Pulicem
Vel potiùs omne Pulicum aboleret genus,
Facinusque clavâ crederet dignum ſuâ.
Ubi vota tam ridicula, tam ſtultæ preces
Ad aures uſque pervenerunt Herculis,
Miratus ille eſt hominis impudentiam,
Ipſumque placidâ irriſione corrigens :
Quam tu repoſcis, noſtra tot malis, ait,
Clava perimendis beſtiis impar foret :
Res poterit autem fortè felicem exitum
Habere, ſi recurras ad fulmen Jovis.
Fabella quoſdam homunciones admonet
Dites, ſuperbos, ſortis oblitos ſuæ,
Incommoda quæque, vel etiam leviſſima,
Pati negantes ſemper, ad varias quaſi
Nati non eſſent miſerias, ut ceteri.

FABULA XIII.

Aranea & Podagra.

ROGATUS olim Jupiter ab Aranea,
Podagraque, certum ut ipsis domicilium daret,
Annuit, & altum oſtendit hinc palatium;
Adſpicere verò jussit hinc humilem caſam:
Tantummodo ambæ ſeriò perpenderent,
Quid cui magis placeret, & bonâ fide
Inter ſe id omne transigerent negotium.
Mirata primùm eſt Podagra magnificam domum;
Sed curiosè cuncta dum considerat,
Medicos, chirurgos, & alias peſtes videns
Huc ventitare, muniis crudelibus
Ut fungerentur, valde ab his tortoribus
Sibi cavendum duxit, ac periculum
Effugere ſtatuit: ergo amat caſam unicè,
Et laudat, & ſedem optat in ea figere.
Aranea autem ſplendidas ædes videt,
Stupet, probat, amat; tuguriumque ſordidum
Contemnit, & averſatur: itaque re simul
Utrinque apertâ, facilis eſt conventio.
Vaſtis Aranea tectis exſultans ſubit:
Ingreditur atrium, ejus & varias opes
Dum cauta luſtrat, & inhians circumſpicit,
Aurata ſensim adrepit ad laquearia;
Ibique caſſes tendit. Ex ſententia
Bellè ſatis ipsi cuncta jam ſucceſſerant;
Muſcasque jam aliquot ceperat: ſeſe larem
Denique putabat habere jam certissimum:
At ecce telas atriensis ſervulus
Simul inhoneſtas adſpicit, ſcopas simul
Fixas arundini admovens, tactu levi

Diripit & abolet omne opus textorium.
Prope hinc ſuum illa ex angulo damnum videt
Attonita, perturbata: non animum tamen
Deſpondet, immo rurſus etiamque acriùs
Laborat, & nova fila ducit, & novos
Extendit, implicatque nexus textiles.
Jacturam eamdem experta ſed poſtridie,
Decrevit aliud quærere hoſpitium sibi;
Et ad Podagræ tugurium ſe contulit.
Seſe illa nervoſum insinuârat in pedem
Inopis coloni, contra ſe minimè timens,
Ne ullius aut Podalirii aut Machaonis
Conduceretur opera. Nullus eſt quidem
Medicus vocatus: æger at medicus sibi
Eſſe ipſe voluit, rudis & indoctus licèt;
Eóque medicina efficacior fuit.
Properat in agrum, ſole vix orto; gravi
Ligone glebas frangit, & ſubigit ſolum,
Et ſudat, & laborat, quà longa eſt dies.
Araneam igitur exſpectare oportuit,
Sol dum occidiſſet, ut Podagra eſſet redux:
Quam cùm videret debilem, exſtinctis prope
Viribus, & odioſo ex labore languidam,
Speravit ultro obtemperaturam fore,
Mutationem ſortis si proponeret.
Ergo rogat, a ſe derelictas an velit
Ædes habitare deinceps: Ego verò, ac lubens,
Reſpondet illa: at iſta, quam contempſeras,
Num tibi viciſsim ſordida placet jam caſa?
Aranea refert: Digna si fortè eſt minùs
Quæ placeat, aptum certè refugium dabit.
Sic paria utrinque consilia poſtquam ſatis
Innotuerunt, in casa ſedem sibi
Propriam capeſſit Aranea: hîc ſua liberè
Latéque tendit fila, nec ſcopas timet.
At Podagra furtim cubiculum palatii

Quoddam

Quoddam remotum penetrat ; ipſumque invenit
Dominum , ſuperbi obeſitate corporis
Ita impeditum , ut ſpiritus molli toro
Reficere cogeretur etiam interdiu.
In hunc jacentem derepentè ſe injicit ;
Vexatque nervos , hoſpitem gaudens ſuum
Torpere penitùs , culcitæque plumeæ
Hærere fixum , & delicatis ſe cibis
Implere , & ungi lenibus malagmatis ,
Quæ remedia juvant plurimùm ipſam ſcilicet.
Suus eſt petendus cuique conveniens locus.

FABULA XIV.

Sol, Mons, & Vallis.

MONS, nubila inter aridum condens caput,
Jactabat aſtris celſitudinem ſuam ,
Dolens intereà ſortem Vallis proximæ,
Miſeranſque tanto obnoxiam contemptui.
Audit micante curru Sol revehens diem ,
Et sic inanem reprimit ſuperbiam :
Inſane , quid habes , ipſe cur poſſis tibi
Placere tantùm ? de tuo excelſo jugo
Quid gloriaris ? eſt idem illud horridum ,
Et inhoſpitale. Vallis hæc contra jacet
Humilis , amatque , clauſa denſis ſaltibus ,
Latêre in umbra : rivis uberibus tamen ,
Etiamque flumine irrigata , plurimos
Habet colonos , quibus opum almam ſufficit
Idonearum copiam , & certam ſimul
Felicitatem ſingulatim dividit.
Hos fabula monet , qui ſupremo de gradu
Cùm ceteros deſpiciant , proſunt nemini.

FABULA XV.

Puer & Nux caſtanea.

Quidam repererat fortè caſtaneam Nucem
Puer: coquendam fervido cineri ſtatim
Commiſit. Æſtus illa non tolerabiles
Ubi ſenſit, indicare cruciatus ſuos
Stridore querulo cœpit: at motus nihil
Puer immiſericors, quin & aſperè jocans:
Sine modò, dixit; ego ſcio quâ comprimi
Ratione possit nænia iſta funebris:
Prunarumque ſimul copiam cineri ſuper
Addidit. Iniquis miſera Nux ardoribus
Evicta, crepuit diſſoluto cortice;
Sed non inulta: magno enim ſe ſuſtulit,
Sic rupta, niſu; ipſasque prunas expulit
In faciem & oculos imprudentis, non sine
Damno genarum, & luminum periculo.
Metuendus hoſtis qui furit, vel dum perit.

FABULA XVI.

Arbuſcula & Arbores.

Perierat ingens Arbor: vi multâ in ſolum
Dejecta mox eſt præceps, & radicitus
Avulſa, xyſtoque ut magna hæc deceſſio
Deformitatem attulerat, ejus in locum,
Pusilla, poſſet annis quæ venientibus
Sarcire damnum, repoſita eſt Arbuſcula.
Ea autem, quæ ſe multò plus, quàm oportuit;

Nôrat pulchellam, non meminit ſe debilem,
Opiſque egenam, plurimiſque caſibus
Obnoxiam eſſe: cœpit ergo, id quod nimis
Uſuvenit puellis, flos quibus eſt tener
Ætatis, inſolentem capere ſuperbiam:
Iſtæque, dixit, Arbores vetulæ duæ,
Quæ molle noſtrum hinc inde ſepiunt latus,
Quàm non honeſto occalluêre cortice!
Et illa denſa capita quàm inſcitè gerunt!
Umbraſque porrò ſpargunt, at quàm luridas,
Quámque inficetis, quámque horrentibus comis!
Mihi tamen ultro ſpatium dent, quà ſe hoc meum
Erigere in auras frondium possit decus.
Negant? viam vi mihi faciam: nitidum caput
Attollam, earumque obruam miſeras opes.
Convicium illæ ſentiunt, & mussitant:
Intereà verò in vacuum, quod reliquerat
Emortua ſoror, tanquam hereditarium,
Venire properant: altera igitur alteram
Adire, ramis invicem occurrentibus,
Nituntur usque & usque, dum commerciis
Immiſſa brachia mutuis conjunxerint:
Tum, complicantes folia in morem fornicis,
Omnem intercipiunt Solis beneficentiam,
Umbriſque gelidis deſuper incumbentibus
Fruſtrà reluctantem opprimunt Arbuſculam,
Coguntque tabe denique contractâ mori.
Scripta eſt ſuperbis fabula adoleſcentulis.

FABULA XVII.

Poeta & Anſer.

LABORE multo, maximâque induſtriâ
Doctos, facetos verſus expoliverat
Poeta quidam, emiſeratque in publicum:
Exceptum ubique eſt laudibus veris opus.
Advertit Anſer: & quia fortè, quem ſuis
Solebat ille perſcribendis versibus
Adhibere, calamum, e penna delapſum, dedit,
Hinc gloriari apud ſuum cœpit genus,
Perinde ac operi perficiendo nobili
Si contuliſſet multum opis & induſtriæ;
Cunctosque præ ſe deſpiciebat Anſeres.
Sed unus aliquis anſerino de grege:
Magnifica, dixit, verba nequicquam jacis:
Cane modò: si quid audierimus, quod tuæ
Videatur eſſe conſonum jactantiæ,
Cauſam obtinebis; feceris cunctis fidem.
His excitatus ſe ad canendum protinus
Parat ſuperbus Anſer: incipit: at ſtatim:
Strepis, reclamat omnis turba, non canis.
Fruſtrà laborant, partem ut arripiant sibi
Laudis alienæ, laude qui propriâ carent.

FABULA XVIII.

Colubra & Ericius.

OLIM vir hominem offenderat tenuem potens:
Quam cùm ille cuperet vindicare injuriam,
Æſopus tali fabulâ deterruit.
Suis pupugerat ſpiculis Ericius,
Teneramque Colubræ ſauciaverat cutem:
Hanc illa vindicare continuò parat,
Ardens furore magno, offenſiunculam:
Animo tumente ſævit, & in hoſtem ruit,
Totumque circumvolvit: at circum undique
Obſtantibus ipſa ſeſe telis induit.
Sic ergo damnum tentat ulciſci leve
Fruſtra, ſimulque magnum incurrit in malum.

FABULA XIX.

Vinum & Amphoræ.

BELLISSIMAM aliquis Vini habebat copiam:
Infundere cœpit in recentes Amphoras.
Pleræque laticem concoxêre leniter,
Et perfecêre, conditum integro ſinu;
Multóque ſuaviorem, quàm receperant,
Poſt reddidêre: ſed hero nonnullæ inſcio
Odorem ut penitùs inſincerum traxerant,
Vitium propagant; moxque, non ita creditus,
Corrumpitur & aceſcit ingenuus liquor.
Bonam & ſalubrem diſciplinam perficit
Bene præparatum pectus: inſtructum malis
Artibus eamdem vertere in peſtem ſolet.

FABULA XX.

Mus captus.

MALE obſecutus blando muſcipuli dolo
Mus libertatem amiſerat ſuam : gemens,
Lugensque, si quâ fòrs vià possit fugam
Tentare, quærit. Radius, exilis quidem,
At ferreus, obſtat unus. Quid? quid, si meis
Connitar, inquit, hunc atterere dentibus?
Heu! metuo, ne priùs ipſe dentes conteram.
Ligna, nuces, illi ſæpius ut corroſerint,
Nunc & corrodere ferrum quo valeant modo?
Difficilis opera nimis eſt. Experiar tamen.
Dixit; simulque radium iratus adſpicit,
Simulque medium comprehendit mordicus,
Ictuque tundens tenui, ſed creberrimo
Acerrimoque, circumrodere incipit.
Ferri quidem percuſſa tam perennibus
Plagis ſoliditas tinnulo crepitu ſonat;
At ipſa minui nil videtur : hoc videt
Triſtis, nec ideo Mus desiſtendum putat;
Immo ad laborem ſe refert animosior;
Tandemque, poſtquàm eſt innumeris conatibus
Petita ferri durities, hanc perſpicit
Non eſſe acutis dentibus inviolabilem:
Violare pergit: radius atteritur magis
Magisque: & ipsi dentes atteruntur, at
Non conteruntur; immo fit ſubtilior
Acies eorum: pars demum illa, quæ ſemel
Corrodi cœpta eſt, usqueadeo corroditur,
Donec redacta eſt ad fragilem minutiam.
Quod animadvertens, concito Mus impetu
In radium agit ſe, & cogit inflecti, & viam

Violentus aperit, & levis erumpit forâs.
Quid pertinax efficere non poteſt labor ?

FABULA XXI.

Citrus & aliæ Arbores.

VASE in quadrato, muros intra ligneos,
Tepidum referri ad fornicem hiemis tempore
Ut facilè poſſet, insita fuerat Citrus :
Poſt, ubi adolevit, cùm putaretur pares
Gravibus ferendis anni tempeſtatibus
Cepiſſe vires, linquere cogitur ſuum,
Jam nimis anguſtum, carcerem ; ac reponitur
Patentem in hortum, validas inter Arbores,
Quas duro aluerat terra natalis sinu.
Primùm vigoris ſpecimen egregium dedit
Læto colono ; ſed mox delicatior
Viſa eſt ; ad omnem mox & ipſa sibilum
Aquilonis offenſo ingemiſcens cortice,
Sentit ſorores genere quidem ſuas sibi
Eſſe pares, naturâ autem longè diſpares :
Paulúmque acerba cùm ingruiſſet frigoris
Violentia, illæ facilè ſuperant, hæc perit.
Quem vivere diu volueris, ne molliùs
Puer educetur, monitus exemplo cave.

FABULA XXII.

Hirundo & ejus filia.

PRUDENS Hirundo sic monebat filiam :
Me ſequere ; mecum paribus hàc , quà prævolo ,
Contende pennis : atque , audin'? lævam time ;
Cave huc aberres ; muro adfixos proximo
Video bacillos : vetula ſum ; homines jam diu
Novi doloſos , perfidos : aliquid mali
Suſpicor ibi eſſe. At illa : Quid fingit ſibi
Mea mater , inquit murmurans ? quid ſomniat ?
Verè fatetur ſe vetulam ; nugas enim
Has ejus eſſe planè aniles arbitror.
Accedere iſtos ad bacillos me vetat :
Id equidem facere minimè cogitaveram ;
At experiri , me timere quod jubet ,
Quàm non timendum fuerit , protinus volo.
Dixit ; ſimulque provolavit huc levis ,
Unde revolare non ſinent miſeram doli ,
Quos fugere juſſit provida nimiùm parens :
Nam vix attigerat , ſentit , & fruſtra gemit
Seſe retentam glutinoſâ compede.
  Pueri & puellæ contumacem meminerint
Avem irruiſſe tam grave in periculum ,
Non quòd placeret , ſed quia vetitum fuit.

FABULA XXIII.

Aſellus junior.

Cum quidam Aſellus ad laborem junior
Inſtitueretur, viribus infirmis adhuc,
Humeros vacillare ejus, & crura, & pedes,
Perſpexit herus explorans, & mediam ſuper
Lumborum ſpinam manibus impactis premens:
Onus ergo, commiſeratus, impoſuit leve.
Tunc ille, totus qui videbatur ſibi
Pulchellus eſſe, dixit: Prudenter facis,
Quòd metuis, here mi, ne graviore ſarcinâ
Dorsi hujus noſtri offendas elegantiam.
Qui captus eſt amore credulo ſui,
Quò ſtultior erit, hòc ſibi placebit magis.

FABULA XXIV.

Culex in casa, tum in aula.

Et rura & urbes Somnus tacitè pervolans
Sua dona diſtribuerat, parciùs quidem
Ubi Luxus habitat ſegnis, at benigniùs
Ubi vita miſera eſt, agricolæque pauperis
Durum torum diurnus emendat labor;
Cùm tenuis, ore ſtridulo exiles ſonos
Culex ingeminans, ruſticam ſubiit caſam,
Naſumque petiit quemdam, nec politulum,
Nec delicatum, ſed ronchos æquabiles
Graviùs proflantem, doctiúsque quolibet
Regali naſo: inſedit, & proboſcide

P v

Aculeatâ ſugere cœpit ſanguinem :
Neque naſus ideo ruſticus officii ſui
Quidquam remittit. Hinc ad ædes regias,
Noctis adhuc multum cùm ſupereſſet, ſe Culex
Tranſtulit: at ejus vix datur prænuntius,
Auditur illico & extimeſcitur ſonus;
Et inclamantur & excitantur ſervulæ,
Ac ſervuli, hoſtem qui tam terribilem necent,
Abigantve. Tantos ille ad adventum ſuum
Fieri videns tumultus, repetit rimulam,
Quà permeârat; & , His ab ædibus procul
Fugiamus, inquit; Somnus ipſas non amat.
Altum ſoporem durus adducit labor.

FABULA XXV.

Gallina & Philoſophus.

GALLINA in altum ſuſpiciebat æthera,
Et inquietis advocans ſingultibus
Pullos monebat, ut caverent, & ſuâ
Nuſquam a parente longiùs recederent;
At ſe ſub alas condere ipsius ſtatim
Eſſent parati, si inſtaret periculum.
Quidam hoc Philoſophus ut animadvertit: Meis
Clarè, inquit, oculis video; nil video tamen:
Gallina ſomnium iſta finxerit sibi,
Ut imperiti ſæpe vigilantes ſolent:
Sed manifeſtandus error eſt. Longum ſimul
Huc ille, quò ſagaces mater anxia
Intendit oculos, conſpicillum dirigit:
Cujus ope primò perſpicit corpuſculum
Exile quoddam & mobile; deinde hanc avem
Attonitus eſſe colligit, alarum videns

Remigium ; denique vulturem eſſe comperit.
Amore materno excitatus, plurimùm
Ibi videt oculus, ubi alii nihil vident.

FABULA XXVI.

Aranea & Bombyx.

BOMBYCEM acerbis vocibus his laceſſere
Aranea auſa eſt : Quid tibi eſt, quod vendites,
Inepte vermis ? Textile hoc opus meum,
Hoc delicatum ſtamen adſpice, si potes ;
Et iſta, nere quæ tuum ſolet genus,
Huc fila confer. Ille reſpondit : Tuus
Quid pariat, unde sic ſuperbias, labor,
Non video ; filis hiſce quòd ſubtilibus
Circumdare tete noveris, quid proficis ?
Culices minutos, vel aliquot miſerabiles
Muſcas, doloſis impeditas cassibus,
Opprimis. At eſſe crassius noſtrum objicis
Opus omne : quid agis, ſtulta ? jam noſtro faves
Honori : quod enim noſtra laus eſt, exprobras :
Non tam tenuibus eſſe filis quid nocet,
Quibus, ubi tela validiori ſtamine
Contexta ſemel eſt, majus hinc pretium venit ?
Perge ergo retia beſtiolis prætexere :
Nebo interim, quod ipſos Reges veſtiat.
Qui corda vulgi irretiunt opuſculis
Futilibus, hos fabella ſcriptores notat.

FABULA XXVII.

Gallus & Vulpecula.

VETULUS catusque Gallus in ramo arboris
Cùm tutus insideret; huc Vulpeculam
Accedere famis impulit necessitas:
Statim illa ficto aggreſſa Criſtatum dolo:
Quid hìc moraris? in ſolum quin devolas,
Exclamat, ut indulgere liceat oſculis,
Et invicem celebrare pacis munera?
Etenim si neſcis, inter omnes beſtias
Aſſerta pax eſt, verbis & ſolemnibus
Per feciales hodie publicabitur.
Ad hæc reponit Gallus: Audieram quidem,
Et facilè credo: ex hac enim ſpecula canes
Accurrere duos video robuſtissimos,
Acerrimosque, ferre passim quos puto
Felicitatem publicam internuntios.
Pauliſper igitur exſpecta, dum advenerint,
Ut gaudeamus omnes, & bonam diem
Rite celebremus... Quò fugis? brevis eſt mora:
Deſcendo... manedum. At illa veſano metu
Perculſa, celerem jam capessivit fugam.
Decipere qui vult, decipitur meritissimò.

FABULA XXVIII.

Magus & Circulator.

SOLITUS per artes exſecrandas quærere
Subſidia duram contra pauperiem Magus,
Et Circulator doctus humili in pulpito
Agitare gentem pigmæorum ligneam,
Cauponam eamdem ad publicam devenerant:
Unde eſſet, & quò duceret iter, invicem
Poſtquam rogârunt, ut viatores ſolent;
Magus prior ait: Advenio Lutetiâ:
Ibi conſuetum Tartaro officium mihi
Præſtante, varias per locupletum domos
Exhibui humanis ſuperiora viribus
Prodigia: verùm, heu! quidlibet monſtri darem,
Humanæ id opus eſt creditum ſolertiæ
Pleriſque hominibus, feminiſque maximè,
Quæ philoſophorum regere nunc ſolent greges.
Spretum igitur omnis me fefellit ſpes lucri;
Magiſque pauper abiens, quàm adveniens, fui.
Sic Magus, at contrà Circulator ſic refert:
Diverſa longè fata me in voraginem
Merſêre non abſimilis infortunii;
Nam ludicram omnem familiam meam trahens,
Cùm me appuliſſem quamdam ad urbem Rhœtiæ,
Et in theatrum, quale nos tenues decet,
Populo dediſſem convocato virgines
Per nemora, per agros curſitantes cum ſuis
Amasiis, & usque virgines tamen;
Reges, tetrarchas, imperatores, duces;
Fœdos gigantes, milites impervios
Telorum acutis omnium mucronibus;
Super his repentè rumor de me ſpargitur

Non bellus, & res ad ſupremos judices
Defertur; atque hi me magum pronuntiant,
Damnantque ſceleris proinde capitalis reum;
Vix & præcipiti ſupplicium evasi fugâ.
Fabellæ ſpectat ad homines incredulos,
Hominesque ſtultè credulos pariter notat.

FABULA XXIX.

Cimex, Pulex, & Culex.

SECRETIOREM quemdam in angulum domûs
Cimexque, Pulexque, & Culex convenerant:
Ibi ſua quisque venditare facinora
Cœpêre: Palma ſed mihi, Cimex ait,
Debetur; etenim tu, Pulex, licèt acriùs
Mordere nôris; tuque, quam pungis, Culex,
Summam cutem inflammare didiceris licèt;
Ego tamen odium longè majus excito:
Me quippe vindex si manus compreſſerit,
Repentè miſſus teter odor ulciſcitur
Injuriam: ideo me exſecratur natio
Muliercularum delicata, & me sinit
Illæſum abire; nec hominum quisquam ferè,
Quamvis necare cupiat, tangere ſuſtinet.
Hæc mea laus, quam non denegabitis mihi,
Spero equidem. Nunc verò, agite, me ſequamini,
Tu ſubsiliendo, tu volando, proximum
Hinc in cubile, mulier ubi, dignissima
Noſtram experiri malitiam, dulces ſolet
Captare ſomnos: vera nam si nuntiat
Exceptus hinc & inde rumor, optimis,
Cultissimisque moribus, clementiâ,
Fide, pietate, ceteris virtutibus,

Quas me pudet memorare, noſtrum prægravat
Illa, & refutat omne vivendi genus;
Tantúmque amat prodeſſe, quantùm nos juvat
Nocere. Maturemus ergo; & hunc, sibi
Finxiſſe vultum quem videntur Gratiæ,
Unde venit etiam ſanctis animæ dotibus
Illuſtre pretium, protinus ardentes fero
Studeamus aggredi impetu, ac memores notas
Imprimere. Plauſu excipitur hæc oratio:
Expediunt arma: properant... Ah! Felicitas,
Felicitas, dormire pergis! ah! quies
Periculoſa! Gratiis imbellibus,
Contra inſolentes beſtias, quis opem feret?
Jam pervenêre: jamque flagitium parant
Excogitatum perficere. Verumtamen
Timore quodam religioſo territus
Culex reſiſtit: quod Cimex ægrè ferens:
Ecquid vereris, inquit? aut quónam tuus
Receſsit ille priſtinus animi vigor?
Age, perge porrò, quò te ducit indoles
Maligna; pellaturque ridiculus pudor.
Tén' pulchra facies moveat? ejus ſuavitas
Quantò magis nitefcit, tantò eſt gratior
Malignitati præda. Forsitan parem
Offensioni ne feras pœnam, times:
Timere desine: nihil indulgentius
Felicitate; quippe quæ tenerâ ſuos
Solet etiam hoſtes caritate proſequi.
Hæc dicta Culicem ardore ſuccendunt novo.
Tum pariter omnes ſæviunt aculeis:
At vix eorum vividam Felicitas
Impressionem ſensit, expergiſcitur;
Dextrâque captum Pulicem elidit manu,
Alapamque lævâ sibi gravem ducit simul
Animoſa, Culicemque nec-opinantem opprimit.
Cimex ſupererat; quem refugiens tangere,

Uno, levique digitulo ſenſim ejicit :
Fruſtraque putes, inquit; haud fugies necem
Quâ dignus es : benigna, miſericors, pia
Eſſe quidem & opto, & id procuro maximè;
Infirma ſed eſſe nolo. Tum famulas vocat;
Tollantque vivum hunc, atque comburant, jubet.
Hæc vera virtus, quæ ſevera eſt in loco.

FABULA XXX.

Sciurus & Nuces.

MONTIS habitabat clivum, abundantem nuce,
Sciurus; & ita carpere obviam dapem
Didicerat, ut faceretque multum corporis,
Nihiloque hebetior fieret hinc, aut tardior.
Quotidianæ mox tamen alimoniæ
Facilior uſus attulit faſtidium;
Vallemque ſubjectam amnis ut latissimus
Totam occupabat, ripaque ulterior ſolum
Nucis oſtendebat plurimæ pariter ferax,
Incessit animal inquietum maxima
Huc tranſeundi cupiditas; & impulit,
Quid poſſet in re nautica, ut depromeret;
Tenuemque fagi, pulſum in undas, corticem
Levis insiliret, ſeque ventis crederet:
Nam cauda ventis patula perflandos sinus
Explicat, ad auram sive zephyri, ſeu noti
Parata, carbasique fungitur vice.
Ad litus hoc pacto appulit feliciter
Navarchus audax : nec quieſcendi moram
Obſtare patitur, quominus extemplo cibos
Ad expetitos currat. Ingentem videt
Lætus avidusque copiam : ſe ingurgitat,

Sic primus, & sic alter, & sic tertius
Tranſigitur; at vix quartus illuxit dies,
Quod petiit ægra cupiditas, præſens bonum
Reſpuere noſter jam Sciurus incipit,
Et ad relictos mox revertitur lares.
Hominum ille mos eſt: anxiè quærunt, parant
Laboriosè, quæ brevì faſtidient.

FABULA XXXI.

Ciſterna & Rivulus.

CISTERNA dixit prætereunti Rivulo:
Dum tu laboras, & reſiſtentes gemens
Inter lapillos pauperem torques aquam;
Latices quieta limpidos ego interim,
Et copioſos, quilibet quantùm cupit,
Sufficio, nec me copia umquam deficit;
Neque, quos laticibus adjuvem, curſu vago
Quæram, neceſſe eſt: ultro enim ſatis frequens
Quotidie ad me multitudo confluit.
Ad hæc, ſuſurrans leniter: Curſus meos
Redarguis, ait Rivulus; tenues quoque,
Superba, lymphas eſſe mihi, vertis probro:
Quemcumque tamen hæc noſtra paupertas locum
Accedit, ibi tenellæ properant arbores
Fruticare, terram cooperire gramina,
Variisque flores emicare coloribus:
Sapiens nec unus in mea ripa ambulat,
Jacetve, meditans, quì fiat ſapientior:
Sed & frequentes undique adveniunt aves,
Quæ blanda noſtro murmuri modulamina,
Studio canendi geſtientes, miſceant.
Quòd gloriaris, eſſe limpidos tibi

Latices; ego meos neutiquam laude hâc puto
Carere; at illud me inter & te diſcrepat,
Quòd imus æquè nitidus, ac ſummus liquor
Fluit mihi, translucetque ſplendidior vitro;
Tu contrà, ab omni ſorde puras omnibus
Dum ſufficis aquas, rem tuam ipſa negligis,
Tibique ſordes congregas, & obtines.
Fabella ſacros noſtra doctores monet,
Caveant, dum proſunt aliis, ne noceant ſibi.

FABULA XXXII.

Nanus & Gigas.

Nanus Gigantis in humeros adſcenderat,
Ipſoque longiùs oculos, ſupereminens,
Circumferebat: ſtultus hinc ſuperbiâ
Tumere inani cœpit, & contemnere
Suum adjutorem, quo ſine abjectus foret.
Fabula recentes philoſophos quoſdam notat:
Hi, ſi quid aliquâ laude dignum invenerint,
Monumenta veterum, muniêre qui viam,
Deprimere tentant, ſeque ad ſummam gloriæ
Veniſſe credunt, arrogantes pumili.

FABULA XXXIII.

Leo & Simius.

In aulicorum admiſerat numerum Leo
Simium; & apud ſe in ſingulari gratia
Eſſe hunc, palam indicabat, ipſius jocis

Se luſibuſque recreari dictitans.
Is ergo genio liberè indulget ſuo,
Et importunis aulicum quemque appetit
Cavillis, & fatigat inſolentiâ.
Inde graves in eum Rex ſimultates videt
Conflari; nec petulantis ideo reprimit
Malitiam; at illud omne ſcurrandi genus
Eſſe joculare dicit, & riſu probat;
Suumque lepidum Simiolum ſibi in dies
Magis magiſque in deliciis eſſe indicat.
Quod is ubi ſenſit, factus eſt audacior;
Ipſumque dominum aggreſſus eſt dicteriis
Ridiculis petere. Primùm diſſimulat Leo:
Pòſt aulicorum intelligens quoſdam in ſinu
Geſtire, quoſdam ſibi, quin planè rideant,
Vix temperare: Tuamne, ait, mala beſtia,
Eò uſque tandem creviſſe impudentiam,
Ut etiam velles facere me ludum & jocum?
Fuge hinc, fuge procul in rem, quâ digna es, malam.
Suo complures gratioſos principi
Temeraria olim perdidit fiducia.

FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER DECIMUS QUINTUS.

FABULA I.

Acanthis & Pueri.

In tilia Achantis nidum collocaverat
Paulò altiùs : eum, prava gens, Pueri leves
Et malitioſi, dum ſcrutantur omnia,
Vident ; ſimulque lapidibus crebris petunt.
Pia mater educabat, ah ! pullos adhuc
Infirmiores, ah ! volare neſcios :
Jamque aliquot ictus omnem turbârant domum ;
Quid agat ? ſibi timet, pullis at multò magis.
Maternus amor exacuit ingenium : exſilit
Repentè : quos amat unicè, ipſos deſerit,
Ut ſervet : alas ſe movere debiles
Vix poſſe, ſimulat : turba perſequitur procax,
Prædamque facilem ſperat : omnes irruunt ;
Et cùm tenêri jam putant, levis ilicet
Pileolos, & bacillos, & avidas manus
Fruſtratur ; & ſic perſeverat fervidos
Decipere, donec longiùs produxerit
In devia loca, feſſoſque intellexerit ;

Tum paribus alis ac celeribus præpetem
Se tollit, & mox ab oculis hiantium
Vaneſcit, & ſe, & gaudia ad nidum refert.
Carere ſenſu tam piam matrem putas,
Tamque ingenioſam? Si quis id contenderit,
Dicat, quibusnam pertrahi corpuſculis
Huc illa possit, unde periculum videt
Inſtare. Matrem amor, amor pertrahit
Maternus, æquè perſpicax, ac ſedulus.

FABULA II.

Philomela & Aves aliæ.

SIBI multiforme confici vir nobilis,
Clathrisque claudi juſſerat aviarium:
Ibi carduelis, paſſer, anthus, graculus,
Fringuilla, ſturnus, pica, merula, galbula,
Aliæque, ſtrepitus edere indoctos aves
Solitæ, agitabant communiter ætatulam.
Quas inter ægro maceratur tædio
Philomela, cantus quòd animadvertat ſuos
Plerumque meritis defraudari laudibus,
Totque audire ſonos his ſuis tam diſpares
Cogatur: ergo ſolitudinem expetit;
Et muta languet. Rem dominus intelligit;
Solamque, caveâ clauſam in anguſtâ, procul
Ab omni ſtrepitu inordinato ſemovet.
Tunc illa ſecum cuncta reputare incipit
Vitæ prioris commoda: facilem obviam
Communitatem victûs cum ſodalibus
Lætis, jocosis, præditis variâ indole,
Ideoque luſus varios exhibentibus:
Tum ſpatia magnis terminata finibus,

Quos intra opacas explicent arbuſculæ
Frondes, & umbras hoſpitales præbeant,
Ac proinde longiùs evolandi copiam.
Quapropter ingemiſcens: Quædam, ait, licèt
Incommoda ibi ſint, commoda tamen nunc reor
Superare multùm; præ quibus utilitas mihi
Nulla hîc videtur eſſe, quæ non ſordeat.
Ita computatis omnibus, delabitur
In miſeriorem, quàm priùs, ægritudinem;
Altúmque longúmque ſilet. Obſervans herus,
Mœrore nimio ne conſumatur, timet:
Anguſtiore caveâ prudens extrahit;
Jamque minùs afflictam ad aviarium refert
Commune; moxque gutture liquidiſſimo
Emittit illa cantus lætitiæ indices.
  Quos hominum ſola pellit importunitas,
E ſocietate eorum, in ſolitudinem;
Bonum hi reperiunt raró, quod ſperaverant.

FABULA III.

Rationis Liber.

EXIMIUS, ipſa Ratio quem confecerat,
Quíque ipſe *Ratio* inſcribebatur, in manus
Hominum a Minerva traditus fuerat Liber:
Virtutis optima quævis & ſapientiæ
Præcepta, ad omnes vitæ uſus idonea,
Is continebat: ponerentur in lucro,
Hinc oriebatur omnium felicitas.
At pueri in illo, præter verba, nil vident:
Juvenes, videre ſi quid nôrunt, negligunt:
Et pleraque vident, & ea corrumpunt viri:
Et omnia vident, & nil arripiunt ſenes.

FABULA IV.

Aſinus ſomnians.

DORMIBAT Aſinus arctè: credetur mihi;
Dormire nam quis arctiùs asino ſolet?
Sed & ille ſomniabat, & non jam ſibi
Eſſe videbatur asinus, at animal ſagax,
At homo. Quas ipſe tamdiu miſeras vices
Obivit, alios his obeundis nunc herus
Exercet imperioſus; & asinos agit
Præ ſe, & flagello cædens: O ſtupidum genus,
Et pravum, & indocile, ait! hominum quàm gravis
Conditio, quos regendis his animalibus
Studere oportet! Dum ſuperbit hoc modo,
Nodoſo fuſte agaſo ſtertentem excitat.
Bipedibus asinis fabula multis convenit.

FABULA V.

Ruſticus & Venti.

AGRUM excolebat diligenter Ruſticus:
Cujus labores optima juvabat parens
Tellus, & uberem aperiens ultro sinum
Profundebat opes: jamque fructuum pyrus
Malusque bellam ſuſtinebant copiam;
Jamque expetebat triticea falcem ſeges,
Cùm ſæva ſubitò ventorum vis ingruit
Glomerata cæco turbine: afflictæ ſolo
Jacent ariſtæ; mox & effracti volant
Culmi complures, præliantibus Notis

Ludibria : tum quatiuntur pomiferæ arbores,
Pubentiumque parte magnâ fructuum
Spoliantur ; aliquas etiam, tres aut quatuor
Violentiore turbines acti impetu,
Radicibus diſruptis everſas ruunt.
Victus dolore Ruſticus : Veſtrum eſt, ait,
Feroces o tyranni, præclarum hoc opus,
Veſtrumque facinus ! at præſtare quid boni
Poteſtis ? Amens his Ventos conviciis
Cùm peteret, illi planè conquieverant ;
Et conquiêrunt tamdiu, donec putres
Jugesque inerti aſpergerent vitium aëri
Terræ vapores. Hîc homo meus : Hui ! ſtatu
Sic usque eodem cælum pertinaciter
Manere ! certè, ni moveatur ociùs,
Obducta miſero cuncta langueſcent ſitu.
Vix ea locuto Ventus en ſupervenit
Aridus, & auras peſtilente inertiâ
Liberat, & omnes illico nebulas fugat,
Solemque campis reddit optatiſſimum.
At at, Colonus inquit admirans, propè eſt
Ut illa planè nunc refellam, quæ priùs
Acerba dixi in omne Ventorum genus :
Nam vel Aquilonis iſte flatus, qui modò
Irrupit, omnia recreavit commodè.

Commotiones cordis humani docet
Fabella, ventos eſſe quoſdam, qui vices
Obeundo varias, modò nocent, modò & juvant.

FABULA

FABULA VI.

Adoleſcens & Anguillæ.

FACTUS manu, ſcatebat Anguillis lacus:
Huc otioſus Adoleſcens acceſſerat;
Qui quaſdam earum cùm natantes cerneret,
Piſcari voluit: ergo nudavit pedes
Et brachia; lacumque, ut erat altitudinis
Exiguæ, inivit: tum ſimul aquas incipit
Turbare, fundum commovere, in abditos
Furtim receſſus mittere cupidam manum:
Mox apprehendit prædam; ſed eò celeriùs
Elabitur illa, quò arctiùs conſtringitur:
Deinde altera, deinde tertia ſimili modo
Capiturque, niſumque capientis irritum
Fugitiva ridet. Feſſus ille deſerit
Inane ſtudium: ficûs, ad ripam ſitæ,
Seſe ſub umbra recipit: hìc dum paululùm
Quieſcit, reputat, iſtæ quàm ſint lubricâ
Cuticulâ Anguillæ; & ſuas ſimul manus,
Retinere prædam quàm nequeant, conſiderat;
Easque nimiùm læves eſſe perſpicit:
Poſt ludens, ut fit, & inſciens, ficulneam
Decerpit frondem, & eſſe ſentit aſperam:
Oho! quid, inquit, fronde ſi iſtâ corrigam
Hanc manuum lævitatem? conſilium placet:
Experiar. Ergo manibus jam ficulneis,
Nec tamen infirmis, nec inhabilibus præditus,
Opus celeriter ad relictum ſe refert;
Prædamque bellè retinet, quam primam capit.
  Difficilè vincit lenitas animos leves,
At ſæpe ratio continet ſeverior.

FABULA VII.

Homo & Aranea.

Semel iterumque jam tuas, textrix mala,
Telas revelli, penitùs & diſperdidi,
Novasque nihilo ſegniùs mihi ſubjicis,
Dixit homo quidam Araneæ? pepercеram
Miſeratus : at ſtultitiam nunc intelligo
Meam hanc fuiſſe. Sic locutus, hanc ſolo
Effundit, incaſſúmque fugientem necat.
Eſt vile quoddam animalium bipedum genus,
Quod nisi, prudenter ſæviens, oppresseris,
Malam exhibebit usque & usque moleſtiam.

FABULA VIII.

Puer & Cadi duo.

Cum deſcendiſſet bibulus in cellam Puer,
Plenumque digito feriens averſo Cadum
Interrogâſſet, & Cadus tenuem ſonum
Preſſumque reddidiſſet : Ibi nihil eſt, ait
Rerum imperitus, maxima nisi inanitas.
Ergo petit alium, ſimiliterque percutit :
Is verò magnos, utpote vacuissimus,
Clarosque ſonitus reddit ; & avidus simul
Puer foramen aperit, quà dulcis liquor
Effluat : attonitus autem effluere nil videt.
Diffide, si quos indicat verbosior
Loquela ; nam plerumque nil ſubeſt boni.

FABULA IX.

Pyrus & Surculus.

SIC allocuta Surculum fertur Pyrus :
Huic te meæ, ex qua eductus es, diutius
Hærere ſtirpi, nate, ratio non ſinit,
Jam grandem, emiſsis jam fruticantem ramuſis :
Quæ placet inerti, & hactenus tibi profuit,
Materna denique umbra te peſſum daret.
Neque crede, fruſtra me garrire ; mox enim
Prudens colonus hinc aliò te transferet,
Tunc, nate, tunc memineris cultricem manum
Ferre patienter : finget illa ; inutilem
Falce amputabit ramulorum copiam ;
Et arboris olim non ineptæ ſi modò
Spem dederis, indolem inſitione corriget
Malam tibi ; truncum findet, immiſſo viam
Cuneo recludet, germen ut felicius
Inſerat : hinc dulces ſcilicet fructus feres.
Monitus parentis optimæ, ſpecie quidem
Probantis, audit Surculus ; verùm in ſinu
Spernit, maloque ſtatuit ingenio obſequi :
Timet coloni falcem acutam ; territant
Fiſſura, cuneus : hæc vitabit, qua licet.
Venit colonus : improbum evellit, ſolo
Ponit feraci. Creſcit ille, ſed duplex ;
Geminoque trunco ſtirpe ab ima varicat ;
Et ipſa nodis, tuberibusque plurimis
Utrinque turpem forma ſe totam exhibet.
Herus indignatur, tam pravum ingenium videns ;
Arbuſculamque, idoneam tantummodo
Accendere focum, penitùs erui jubet.
Fabella pueris ſcripta eſt contumacibus,
Qui diſciplinis inhabiles dare ſe ſtudent.

FABULA X.

Saxum piſcatoriis retibus captum.

PISCATOR, in mare miſſa complicaverat
Retia, trahebatque: hæc facili lapſu quidem
Sequuntur, ipſo dum levantur gurgite;
Sed ubi ſupremis innatare fluctibus
Cœpêre, ſentit ille agendum denique
Summâ ſibi contentione virium;
Neque ad laborem tunc etiam ſe intelligit
Sufficere; ſociosque, ſibi ut auxilium ferant,
Advocat. Operæ ingens præmium fore autumant;
Nam ſentiunt captum aliquid tanti ponderis,
Junctis resiſtat omnium ut conatibus:
At, explicatis retibus, ſaxum vident.
In hac brevi miſeraque vita ſæpius
Eſt minima merces, ubi fuit ſummus labor.

FABULA XI.

Cedrus & Rubus.

IN vertice montis alta regnabat Cedrus:
Ventos, procellas, fulmina ſuperaverat
Durando, multis inviolata ſeculis:
Conſiderares, major ipsâ temporum
Diuturnitate prope videretur tibi;
Eratque digna, quam ſibi tellus parens
Proprium eſſe vellet atque perpetuum decus.
Sub ejus umbra creverat humilis Rubus:
Is indignatur, quòd ſupra nubes caput

Tam glorioſum tollat arbor nobilis,
Dum sic puſillus ab omnibus contemnitur:
Et ejuſdem illa circinata rotunditas,
Circùm undique tantis comprehenſa finibus,
Quòd intercipiat una beneficentiam
Solis ferè omnem, ſeque egenum prægravet,
Conqueritur; & maledicit, & cælum aſperis
Demens fatigat poſtulationibus:
Nec enim quievit, donec aliquando faber
Tignarius huc accessit, & avidâ nimis
Cupidine lucri captus eximiam arborem
Dejicere ſtatuit. Abit hic; at poſtridie,
Sumptâ bipenni prævalidâ, eódem redit,
Et cædere cœpit: quod videns gaudet Rubus:
Sed miſera poſtquam Cedrus innumeris fuit
Vulneribus evicta, & ſupremos edidit
Gemitus, ruinam denique ingentem trahens
Cadit, Rubumque penitùs ipſum conterit.
Reverere, celsâ dignitate qui eminent:
Tenues ruina potentium ſæpe opprimit.

FABULA XII.

Mercurius & Apollo.

PULSOS Olympo Mercurium & Apollinem
Inopia parvis quæſtibus coegerat
Dare faciendis operam, ni mallent fame
Perire. Medio pulpitum in foro exſtruunt,
Et otioſum convocant populum tubâ
Clangente, & alloquentes jactant copiam
Verborum inanem, ut circulatores ſolent:
Accedite, viri, mulieres, pueri, ſenes;
Properate: mercem vobis offerimus bonam,

Auroque contra non caram; ſed publicæ
Magis ſtudentes utilitati, quàm lucro,
Hanc ære modico vendimus, aſſibus ah! decem:
Agite ergo, coemite; immo capite; nam damus.
Ingenium Apollo venditabat; at miſer
Fruſtra pecuniam hinc ſperat bellam ſibi
Redituram: nullum prorſus emptorem invenit.
Mercurius autem dum memoriam clamitat
Venalem, emptores plurimos nanciſcitur.
Ultro fatetur memoriâ ſe deſici
Quiſque: ſed ingenio quis carere ſe putat?

FABULA XIII.

Opilio & Lupæ catulus.

CUM ſurpuiſſet Opilio catulos Lupæ
Adhuc tenellos, & pararet jam neci
Dedere, ſervavit unum, non inutilem
Fore viſum; & educavit, ut catuli ſolent
Canum educari. Is ſe ſatis docilem dedit,
Satiſque doctè imitatus eſt aliquandiu
Mores caninos; ſed ubi tandem firmior
Invaluit ætas, indoles efferbuit
Lupina, diramque simul accendit famem.
Latro vehementis impetum libidinis
Premere ſtudebat, Opilionis ob metum
Terribilem, in animo penitùs infixum; & ſibi
Catus imperabat: attamen quodam die
Agnum imprudentem cùm videret a grege
Diverſum abire vallem in umbroſam, ratus
Occaſionem hanc eſſe neque vanam, neque
Periculoſam, ſequitur occulto gradu;
Ventumque poſtquam eſt in locum, frequentibus

Dumiſque virgultiſque clauſum commodè,
Ut poſſet omne clanculum peragi ſcelus,
Nil ſuſpicantem ſævus invadit latro,
Et apprehenſum ſtrangulat. Verùm interim
Opilio vigilans cùm numeraviſſet gregem,
Advertit agnum abeſſe; nec mora, incipit
Perquirere; moxque prædatorem perfidum,
Artus miſellæ pecudis in reliquos adhuc
Reſævientem dentibus nefariis,
Adſpicit, & irâ percitus, ter aut quater
Tuburcinantis capiti ferratam ſudem
Impingit, ac proſternit exanimem ſolo.
Fabella docet, aliquatenus poſſe obtegi,
Non poſſe penitus corrigi indolem feram.

FABULA XIV.

Porcus & Canis venaticus.

PORCUS voracis fetidas inter gulæ
Spurcasque ſordes vitam inertem vivere
Aſſuetus, quemdam fortè Catulum noverat
Acrem & ſagacem, quem ſeveris legibus
Inſtitui ad artem rite venandi videns,
Irriſione cœpit improbâ aggredi,
Et aſpernari præ ſe, qui nullam gravis
Severitatem diſciplinæ perpeti
Coactus, ageret omne tempus otio,
Epulisque. Vanæ ſensit contumeliæ
Indignitatem Catulus, & sic retulit:
Domat & fatigat me quidem assiduus labor;
At simul egregiis rite fingit artibus,
Evadere canes inter ut venaticos
Virtute possim nobilis & induſtriâ,

Meumque fidus inſtitutorem comes
Juvare, & ejus in aliquam laudis quoque
Venire partem. Tu interim fœdum trahens
Onus ſaginæ, vitam ages inutilem,
Spatiisque clauſam brevibus, altori tuo
Nil profuturus, nisi cùm te is jugulaverit.
Ignaviam fabella fugiendam docet.

FABULA XV.

Homo & Equus.

QUIDAM incitabat loris admissis Equum,
Ipsius crurum mobilitate flexili
Et firmitate, cognitâ ſibi jam diu,
Confiſus: at cùm difficillimam viam
Ingreſſus, vellet nil remitti, ſed magis
Urgeret, offendiculo percuſſus gravi
In genua ſubitò Sonipes infelix ruit,
Equitemque dorſo nec-opinantem depulit:
Qui ſaxa provolutus inter & vepres,
Ubi ſe recepit in pedes, ad Equum ferus
Revertit, & terribiles intendit minas.
At ille: Quid furis, ait? utilis antea
Bonusque ſemper, fortè peccavi ſemel:
Ignoſcere nonne te decet? si quis forem
Malus & ineptus, idque, quod caſu accidit,
Solens feciſſem, non ita excandeſceres.

FABULA XVI.

Columbæ & Retia.

Ab agro Columbas ſubitus expulerat fragor:
Denſæ volabant; cúmque non poſſent ſatis
Advertere dolos, nimio perculſæ metu,
In obvia ruunt inſcientes retia;
Captasque ſe omnes ſentiunt ſimul & gemunt;
Mox impatientes triſtis infortunii
Luctantur, & ſalute quæque pro ſuâ
Exagitant ſeſe quantis poſſunt viribus:
Sed allaborant multùm, proficiunt nihil;
Namque alia dum molitur in dextram impetum,
Alia in ſiniſtram tendit: quod cùm adverteret
Sapientior una ceteris: Vanos, ait,
Quid, o ſorores, conatus effunditis?
Nequit iſte carcer frangi, ſed tolli poteſt;
Nosque ſimul avolare cum ipſo poſſumus,
Consilia si modò mea non pigeat ſequi.
Hìc nata ſubitò eſt magna curiòsitas,
Silentiumque fecit. Illa ſic dehinc
Proſequitur: In eo noſtra vertitur ſalus,
His si locis, quocumque licuerit modo,
Diſcedere, ne capiamur hoſtili manu,
Properemus: itaque vincla, quæ nos detinent
Miſere impeditas, linquere quoniam eſt nefas,
Tentemus, annon ipſa nobiſcùm queant
Ferri hinc per auras: neque fortaſſe res ita
Difficilis fuerit: immò felicem exitum
Promittere auſim, dum ſtuduerimus pares,
Sibique minimè diſcrepantes impetus
Conferre in unum. Dicta cunctæ comprobant;
Et quæ consilium impertiit, facti ducem

Q v

Habere cupiunt. Illa ſeſe protinus
Summâ vi adurgens movet in obſtantes plagas,
Pulſanſque in altum tendit, & pennas quatit
Animoſa; idemque ſocias ut faciant monet:
Ultro obſecundant: nulla non adnititur,
Quidquid opis in ſe eſt, dare ſaluti publicæ.
Hanc Retia diù virium concordiam
Tam pertinacem ſuſtinere non valent:
Cúmque ipſa venti ſubter agens vis acrior
Cœptum adjuvaret, ruptis mox retinaculis
Tolluntur illa in auras: & repetens domum
Captiva portat carcerem ſuum cohors.
  Nihil eſſe deſperandum multitudini,
Modò sibi concors fuerit, exemplum hoc docet.

FABULA XVII.

Vulpis & Corvus.

Jejuna Vulpis circa villas, compita,
Pagoſque prædam cùm quæſiviſſet diu,
Et adhibuiſſet omnes, quos nôrat, dolos,
Neque potuiſſet invenire quidpiam,
Quo rabidam ſedaret aliquantiſper famem;
Mœrore denique, & cibi penuriâ
Devicta, ſternit languidos artus humi,
Oculoſque luci claudit inviſæ, & silens
Ab una morte remedium exſpectat mali.
Cùm sic jaceret non dissimilis mortuæ,
Cadaverum ſectator Corvus advolat,
Roſtroque cœpit fodere, mortuam ratus.
At illa ſubitò evigilans attonitum capit,
Ejusque carnem, quamlibet duram, vorat.
  Illud aliquando, comparare quod nequit
Induſtria, labor, ars, dolus, caſu advenit.

FABULA XVIII.

Canes duo.

VITAM aliquis degens ruſticam, Canes duos
Habebat, annis ferme & ingenio pares:
Inſtituit unum in arte venandi; alterum
Reſidere voluit, & eſſe cuſtodem domûs.
Hic porrò quamvis otio totum diem
Somnoque ſæpe & ſæpius conſumeret,
Si quam tamen herus ope Canis venatici
Prædam potitus eſſet, ad convivium
Invitabatur ut omnium, quæ projici
Solebant, fieret reliquiarum particeps.
Venaticus autem id intuens, graviter tulit:
Teque, ait, an æquum eſt, otioſus qui domi
Reſides, eoſdem percipere mecum cibos,
Quem, quidquid anni varia tempeſtas ferat,
Per devias convalles, per juga montium,
Per nemora, per agros durus exercet labor?
Ad hæc quietus cuſtos: Injuſtè facis,
Et quod me accuſas, ſum, inquit, extra noxiam.
Laborioſis erudire me artibus
Hero placeret, has libens addiſcerem;
Neque, quàm tu, opinor, minùs idoneus forem:
At ille voluit placidius vitæ genus
Me colere: docilem invênit: hinc mihi, ut tibi,
Æquè benignus, mercedem officii parem
Rependit, quia par animus officium regit.
Facit ille multùm, qui facit domino ſatis.

FABULA XIX.

Opilio & Capreoli.

Nix operiebat arva: ſtabulabant oves:
Opilio, ne langueret, ad exemplum gregis,
Pigrâ quiete, in abditos ſe contulit
Nemorum receſſus: ibi ſagacibus omnia
Dum luſtrat oculis, cernit oſtium ſpecûs:
Subit; duos jacentes Capreolos videt,
Adhuc tenellos; in ſinum quos illico
Suſcipere lætus properat, ac defert domum,
Cibisque paſcit idoneis, & commodo
Poſitos cubili diligenter educat:
Curas ferè omnes denique his impendere
Laborat; & oves negliguntur interim,
Victuque ſtramentisque ſæpius carent,
Dum cute Capreoli bene procuratâ nitent,
Vigentque, creſcuntque. Aſt ubi favonius
Regnare cœpit, & ab agris tepentibus
Boreæ fugati flagitia procul expulit,
Primam exeundi copiam illi, quam vident
Sibi datam, arripiunt, ſeque præcipiti fugâ
Silvis redonant & ferinis moribus.
Opilio tum ad ſe rediit, & operam dolens
Malè collocatam, hanc reddidit ovibus ſuis.
Fabula quibuſdam convenit ardelionibus,
Aliena qui ſuſcipiunt, & ea deſinunt
Curare, quorum maximè uſus indiget.

FABULA XX.

Equus domitus.

PRÆSTANTE formâ, viribusque corporis,
Juvenilibusque ſuperbiens animis Equus,
Modò hunc, modò illum calcibus vel dentibus
Petebat; ejus eſſet ut gregalium
Vix ullus, aliquam cui ferox injuriam
Non intuliſſet: omnes autem vel metu
Coacti vel odio, ipsius conſortium
Fugere ſolerent Quibus animadversis herus
Freno, & capiſtro obtemperare ferreo
Coegit; exin oneribus gravissimis,
Et verbere crebro defatigare inſtitit
Quotidie. Aliquot sic peractis mensibus,
Cùm ſe ille mitem perbonumque oſtenderet,
Mutationis cauſa tantæ quæ foret,
Interrogatus: Fecit hoc, inquit, labor.

FABULA XXI.

Viator & Pyra.

ITINERE longo feſſus, & rapidissimo
Æſtu Viator, poma, quæ coemerat
Contemti generis aliquot, & pretio quidem
Vili, parabat mandere, ad famem & sitim
Simul abigendam, cùm fortè oculos ſuſtulit,
Viditque, nec procul, onuſtam eximiis Pyrum
Fructibus; &, Iſta ſolido, ait, teruncio
Potui coemere poma? potero mandere?

Apage tam inſuaves, apage tam viles cibos,
Tantùm gulosi dignos ingluviem ſuis
Replere. Dixit; & volutabrum videns
Juxta viam, ſua poma huc omnia projicit:
Dein alacri properat ad Pyrum optatam gradu.
At cùm propinquat, & venire jam sibi
Salivam ab ipſa ſpecie blanda fructuum
Præſentit, obviam, heu! ſubitò foſſam adſpicit
Et latam & altam, rivis quæ perennibus
Hortum irrigaret, furibusque occluderet.
Attonitus hæret, ac ſtupet aliquamdiu,
Mœretque. Creſcunt interim sitis & fames:
Quas ut, quo tandem sibi licet, possit modo
Levare, relegit ſua miſer veſtigia;
Et poma, quæ reſpuerat, ac projecerat
Voranda ſuibus, recuperare jam ſtudet:
Recolligit, lutoque purgat, & vorat.
Exigua, certò quæ tenes, majoribus
Quæ temere ſperas, præferenda ſunt bona.

FABULA XXII.

Caprarius & Capella.

A GREGE Capellam diſcedentem longiùs
Revocare monitis, sibilis, conviciis
Tentârat, & nihil egerat Caprarius:
Iratus ergo cœpit ipſam perſequi:
Quam cùm aſſecutus eſſet: Per dumos, ait,
Per aſperasque me coegiſti vias
Huc usque currere: at mihi pœnas dabis:
Simulque cædit fuſte duro, & percitus
Tanto furore, vellat ut pilos, cutem
Proſcindat, oculum excludat lævum, dexteram

Coxendicem debilitet, reſpiciens nihil,
Sævi tumorem pectoris dum vindicet.
Poſtquam reſedit ira, proſtratam ſolo
Videns Capellam, doluit, flevit; quæsiit,
Malo mederi si quà poſſet: languidam
Manu recepit blanda, fovit in sinu;
Timensque ne res, nota cùm fuerit domi,
Vindictam herilem ſuſcitet: Vides, ait,
Me pœnitentem injuriæ, quâ te furens
Affecit impetus: omnes, juro, poſtmodum
Adhibebo curas, ut malum deleniam:
Nunc te oro, noſter cùm gregem totum, ut ſolet,
Recenſebit herus, ne gemas, ne me indices.
Pecus miſella retulit: Heu! taceam licèt,
Mea hæc loquentur, & arguent te vulnera.
Fruſtra siletur facinus, ubi damnum patet.

FABULA XXIII.

Sus & Equus.

Sus in volutabro acquieſcebat ſatur,
Infamibusque deliciis, totus luto
Conſperſus immundo, incubabat ſegniter;
Cùm fortè vidit Martis ad pericula
Rite apparatum Sonipedem procedere:
Contempsit; ac tumentem inani gloriâ
Derisit, ut qui quæreret certam necem
Tanto apparatu. Properat nihilò ſeciùs,
Et media Sonipes mox in arma ſe ferox
Infert, & æquat, vel etiam ſuperat ſui
Ductoris animos: aliquot afficitur quidem
Vulneribus, at quæ facilè ſanari queant;
Demumque herilis gloriâ certaminis,

Suâque propriâ laude clarus cùm redit,
Videt hunc eumdem, ab omni qui periculo
Remotum ſe putârat, occiſum Suem
A villico, & ejus membra pinguia ferreis
Jam fixa verubus geniale ad convivium.
Mors ſæpe, omiſsis fortibus, inertes petit.

FABULA XXIV.

Jupiter, Columba, & Anguis.

DONIS animantes colere cùm vellent Jovem;
Violam Columba præſecuit, & obtulit;
Donumque facilis approbavit Jupiter.
Acceſsit Anguis, ore præferens roſam
Pulchram, nitentemque; at recuſavit Deus.
Iratus ille: Cur meum, inquit, reſpuis,
Ultroque recipis, longè deterius licèt,
Munus Columbæ? Quem Deus placidè monens,
Reſpondit: Immo hoc prævalet longè tuo;
Quippe quod apud me commendatur & ſuâ
Et offerentis munditie: mihi quidém
Roſam obtuliſti, & hanc ſatis pulchram: tui
Sed oris ipſam infeceras contagio.
Quæcumque ſummo dona dentur Numini,
Magnis ab animi pravitate vilitas,
Minimisque pretium ab innocentia venit.

FABULA XXV.

Aranearum telæ.

VIR dives olim, facinoris quanquam mali
Reus erat, omni emerſerat periculo,
Evaſeratque Themidis vindictam gravem.
Quod ſecum pauper aliquis cùm perpenderet,
Idem tentare voluit, ſperans ſcilicet
Impunè pariter evaſurum ſe fore.
At cognitâ ejus imprudentiâ ſophus:
Aranearum telas, inquit, adſpice:
Huc si feruntur veſpæ, facilè transvolant;
Sed muſcæ ibidem inhærescentes oppetunt.

FABULA XXVI.

Agaſo & Asinus.

NON me ſequêris herum tuum, mala beſtia?
Nam quid, pavorem quod tibi tantum queat
Injicere, tranſeundus iſte pons habet?
Obſequere verò, barde. Sic Asinum increpans
Agaſo ſua poſt attrahere veſtigia
Tentabat, apprehenſos & validâ manu
Frenos movebat, intonabat & minas,
Fruſtra: repugnat ille, & aures ſubrigit,
Et, vi moleſtæ obnoxium, quaſſat caput,
Et naribus efflat contumacem ſpiritum;
Pontemque primore attigit vix ungulâ,
Simulque refugit, herumque cogit ſubſequi
Muſta minitantem: qui tamen, fervens ubi

Bilis reſedit, cogitare attentiùs
Incepit, aliqua perveniendi ad exitum
Si qua ſupereſſet ratio : ad extremum placet
Tentare, quoniam huc usque ſe conatibus
Pecus maligna herilibus contrariam
Præſtitit, an, ipſe agendi mutet si modum,
Simuletque ſeſe velle, quod minimè velit,
Pugnæ futurus ſemper idem sit tenor.
Quapropter a tergo occupat nunc jam ſuum
Quadrupedem, & ejus acriter caudam arripit,
Stringitque, ſummisque trahit ad ſe viribus.
At ille, qui fixum animo penitùs hoc habet,
Ut quoties aliquò progredi jubebitur,
Continuò ſeſe partem in adverſam ferat,
Simul atque ſensit niſum abducentis retro,
Prosilit, herumque retrahentem pertrahens,
Uno impetu vehemente pontem trajicit.
Fabella quoſdam pervicaces indicat,
Quos, ni videaris id refugere, quod cupis,
Adducere numquam ad id queas, quod expedit.

FABULA XXVII.

Poeta epicus & Æſopus.

Cum venditaret aliquis Æſopo ſuum
Quoddam poema, quod epicum vocaverat,
Lectisque tantùm insignibus aliquot locis,
Totius operis vellet excellentiam
Oſtendere; illum sic refutavit ſophus:
In urbe quadam fortè pluſculos dies
Dum demoror, homo convenit meum hoſpitem
Simplex rudisque, vendere exoptans domum,
Sitam in ſuburbio; eamque dicit commodam,

Solidam, nitentem: deinde, quem ſub pallio
Abſconditum tenebat, lapidem proferens:
Extractus, inquit, en tibi e muro lapis,
Qui, tota qualis sit domus, ſatis indicet.
Miratus Hoſpes singularem inſcitiam,
Inſulsitatemque hominis, a riſu quidem
Sibi temperare non potuit; at mox tamen
Monuit benignè ædificii cujuslibet
Non æſtimari poſſe, nec elegantiam,
Nec ſoliditatem, nec alias dotes, nisi
Opus univerſum, quale sit, perſpexeris.

FABULA XXVIII.

Canes duo.

EXORTA fuerat rixa terribilis duos
Inter Moloſſos, lanigero datos gregi
Cuſtodiendo; exarſeratque jam ferox
Certamen, ut cruentis ſeſe morsibus
Laniare inciperent. Interim ſupervenit,
Sibi gratulatus optimam eſuriens lupus
Occasionem; & in gregem irruit simul,
Ovemque, quam fors obtulit primam, capit:
Aure apprehensâ mordicus trahitur bidens
Fruſtra reluctans; caudam & hoſtilem, vice
Functam flagelli, ſæpe ſentit, quæ pigram
Properare cogat. Quod igitur ſolum poteſt
Miſella, tenero balatu auxilium petit.
Furore quanquam fervidi, audiunt Canes;
Unoque eodem ſtudio pugnam finiunt;
Notosque protinus ad ſonos pariter volant.
Attonitus, hoſtes ut inexſpectatos videt,
Prædam lupus relinquit, & celerem fugam

Capeſſit: acres at Moloſſi jam premunt;
Mox aſſequuntur: & truces verſâ minas
Fronte exſerentem, & efferum rictu horrido;
Auſumque tentare aleam certaminis,
Pari adoriuntur impetu & morſu pari
Unanimes, eliſiſque faucibus necant.
Privata mittunt odia magnanimi Duces,
Remque ſociatim bellicam ſtudiis gerunt
Concordibus, ubi publicum expoſcit bonum.

FABULA XXIX.

Homo docilis.

Ferri calentes in viam maſſas faber
Projecerat, uti citiùs refrigeſcerent:
Huc quidam acceſſit inſcius, & unam volens
Efferre, cœpto deſtitit aduſtâ manu:
Et cùm ingemiſcens quæreret, quonam modo
Sciret, calere ferrum, quamvis neutiquam
Ruberet: eſſe id cognitu facillimum
Reſpondit aliquis; etenim guttâ ſi modò
Unâ aſpergatur, dum calet adhuc, protinus
Stridère ferrum. Verba hæc imis ſenſibus
Reponit ille. Paulò pòſt, ut prandeat,
Domum reverſo jurulenta ponitur
Ofella panis fervida, e foco recèns
Extracta: tum dato ille præcepto locum
Eſſe obſequendi judicans, aqulam injicit
Semel, iterumque in juſculum, & rem ſedulò
Obſervat; advertenſque ſtridoris nihil
Inde exoriri, colligit videlicet
Nullum calorem ineſſe: quocirca metus
Repudiat omnes, & ligurire incipit;

Statimque lamentatur ambuſtam ſibi
Linguam & palatum : quem increpans aliquis: Tuam
Certè, inquit, eſſe hanc magnam ſtultitiam liquet:
Quid mirum, ofella si caleſcat tamdiu
Dum fumat? Iſti monito parendum quoque
Cenſet Homo docilis. Hinc in agrum longiùs
Cùm processiſſet, feriò, quantùm valet,
Audita reputans, fontis ad gelidi caput
Tandem àridus devênit, æſtuque & viâ
Ipſoque ſtudio cogitandi laſſulus:
Reſtinguere ſitim diſcupiebat; ſed leves
Ut ſurgere ab aqua fumos animadverterat,
Secreto ab igne latices eſſe fervidos
Exiſtimavit, ac timuit attingere.
Non procul hinc ergo desidens aliquandiu
Poſtquam exſpectavit, humidus si fòrs vapor
Conſumeretur, denique impatiens moræ
Timensque, ne ſibi multa nox incumberet
Redeunti, abſcessit igneâ incenſus siti.
Vana eſt docilitas, quæ caret ſapientiâ.

FABULA XXX.

Simia & Caſtaneæ nuces.

ERICIO furata Caſtaneas erat
Simia virenti adhuc opertas cortice,
Circùmque ſpinis horridas minacibus:
Os igitur illis admovere non poteſt,
Quin labra tenera pungi aculeis gemat:
Quem ſenſum experta ter, quater poſtquam fuit,
Hunc eſſe demum vindicem furti putat,
Nucesque dominò reddit integras ſuo.
Hos indicat fabella ſtimulos vindices,
Qui cor, facinoris conſcium injuſti, premunt.

FABULA XXXI.

Cornix & Columbæ.

PENURIA victûs Cornicum urgebat gregem:
Quarum una, ſollicitantis impatiens gulæ,
Cùm nollet ultrà cum ſororibus ſuis
Tam difficulter ſuſtinere ſpiritum,
Sciretque proximâ in Columbarum domo
Ciborum ineſſe copiam, illuc devolat,
Subitque, noctem dum crepuſculum trahit.
Vident Columbæ, nec abigunt: tam ſtrenuè
Tuburcinari demirantur hanc quidem;
Sed aliquam credunt de ſuo genere hoſpitam,
Sinuntque, gaudentque ejus expleri famem.
Poſtquam illa ſensit gutturis avidi sinum
Granis refertum, ſomno tandem ſe dedit.
Poſtridie, ortus cùm jam ſol niteſceret,
Evigilat, alis plaudit, & corpuſculum
Perbellè procuratum gratulans ſibi,
Garrire, cornicari protinus incipit:
At simul ad iſtos vocis ignotæ ſonos
Undique Colùmbæ pariter omnes advolant,
Improvidamque cingunt, fraudeque cognitâ,
Roſtris minacibus abigunt, pellunt foràs.
Malè habita Cornix propriam ad gentem redit:
Sed nec ibi degere, ut antea, permittitur;
Sic ergo utrinque ſe exclusissimam videt.
Numquam relinque, rite quod ſuſceperis,
Vivendi honeſtum, sit licèt miſerum, genus.

FABULA XXXII.

Simiolus & Bos.

SIMIOLUS olim cùm videretur ſibi
Non imperitus eſſe pingendi artifex,
Equum nativis exprimere coloribus
Voluit: at inſcriptum ejus niſi nomen foret,
Equi hanc imaginem eſſe numquam diceres:
Tamen arbitratur pulchrum & elegans opus,
Sciensque magnâ judicandi vi Bovem
Excellere, ipſum convenit ſecum ferens
Suæ inficetum ſpecimen imperitiæ;
Et, Hâc meâ, inquit, de tabula quid ſentias,
Audire cupio: ſimpliciter & candidè
Age, rogo, mecum: picta recténe, an ſecùs,
Tibi videtur omnis hæc ſpecies equi?
Effare. Cui Bos: Hanc equi ſpeciem vocas?
Ignoſce: quodvis aliud eſſe credidi.
Simiolus irâ concitatus, hæc refert:
At vis, opinor, ſalſus eſſe, ſtolide Bos!
Faceſſe verò cum tuis ineptiis.
Herus mihi prior nobilis pictor fuit:
Cùm pingeret equos, ſæpe mirans adſtiti,
Artemque didici. Bos ad hæc: Pictos equos
Tu ſæpe vidiſti; at ego vidi ſæpius
Per prata mecum victitantes; & tuam
His ſimilem haberi poſſe picturam nego.
Auctor peritum judicem si conſulat
Ineptus, non conſilium, at laudes expetit.

FABULA XXXIII.

Lupus & Ovis.

FAME coactus, faucibusque jam diu
Siccis laborans, prædam quærebat Lupus:
Sed opilionum diligens cuſtodia,
Fideliumque vigiles excubiæ canum
Omne pecus omni defendebant a malo.
Quid agat? ſtimulavit ingenium neceſſitas:
Quod vi nefas eſt aſſequi, aggreditur dolo.
Sibi totum ovillâ pelle corpus obtegit:
Adeſſet vox ovilla, dixiſſes ovem.
Ita perſonatus tecta ſtraminea petit,
Ubi oves meridiani vitabant gravem
Solis calorem; unamque sic per rimulas
Eſt allocutus: Huc ades mecum, ſoror,
Quò purus aër, quò levis favonius,
Et gramina vocant dulcia. Agnovit Bidens
Vocem Lupi; dolumque caſtigans dolo:
Obſequerer ultro, dixit, si quis tu Lupus
Generoſus eſſes & validus, qui me nimis
Timidam & infirmam ab hoſtibus defenderes.
Nil metue: talis ego ſum, qualem tu velis,
Lupus reponit; & simul larvam abjicit.
Ovis hîc jocatur; &; Bene eſt, inquit; mihi
Vix alius eſſe validior cuſtos poteſt:
Adſciſcere tamen noſtri participes boni
Quoſdam, tibi, puto, non incognitos, juvat:
Paulùm opperire, dum canes huc advoco.
Damnum sibi Lupus ne mora afferret timens,
Pedibus ſalutem credidit ſtatim ſuis.
Dolum innocenti nectere malum qui parat,
Meliore jus eſt hunc refutari dolo.

FABULA XXXIV.

Simius & Vulpecula.

JACTABAT olim Simius Vulpeculæ
Suam, exprimendi animalium quorumlibet
Geſtus & habitus, ſingularem induſtriam.
Vulpecula refert: Hoc tibi dabo lubens,
Nullum animal eſſe, quod imitari non queas
Ad ſpeciem: at illud tu mihi vicissim dabis,
Nullum inveniri, quod imitari te velit.
Fabella carpit vile mimorum genus.

FABULA XXXV.

Apodes duæ.

APUS volucris eſt, quæ pedes habet quidem,
Sed ita minutos & breves, ut, si velit
Contingere ſolum, nequeat ingredi, neque
Hinc jam avolare, ni quid opis advenerit.
Ergo refugiens hoc malum, numquam fere
Quieſcit, victumque volitando quæritat.
Accidit, ut iſto de genere avium duæ
Pennis ſecantes paribus aurarum plagas,
Jacentem in agro cernerent dulcem cibum,
Simulque magnâ cupiditate ardeſcerent
Hoc ſtómachum inanem reficiendi pabulo,
Amica quod ſors offerebat optimum.
Nôrunt tamen periculum; & prudens metus
Aliquâ refrenat appetentiam morâ:
Sed admonet ambarum una, ne datam sibi

Occaſionem deferant timidæ nimis :
Non defuturos commodos venti halitus,
Quibus adjuventur, ut ab humo ſe ſublevent :
Suadet ſorori denique, ambas quod juvat.
Ergo huc, præivit quò voluntas, devolant ;
Avidéque depaſcuntur optatam dapem.
Saturata poſtquam liquit ingluviem fames,
Cœpêre circumſpicere, si qua ſpes foret
Auxilii ab aliqua parte cæli; quid nothus,
Eurusve, zephyrusve, aut aquilo promitterent.
Tenet alta liquidos aëris campos quies.
Mutationem temporis aliquandiu
Exſpectat utraque : donec oculis morpheo
Furtim admovente lene tormentum, altera
Devicta tandem, ſenſus amisit gravi
Sopore vinctos : altera autem fortiter
Cavet sibi, ſuumque propositum tenet,
Et perſeverat, auræ ad omnem sibilum
Attenta ſemper; atque ad extremum cavi
De latere montis ventus excitatior
Erumpit ilicet, & paratam ſublevat,
Et nota ſecum ad aſtra tollit præpetem.
Soror relicta pòſt paulò expergiſcitur :
Gemitque, conqueriturque, ſòlam ſe videns;
Motisque pennis ad volatum enititur :
Sed undique aër jam priori redditus
Tranquillitati, inefficacem fert opem;
Bonasque miſera ſortis incertæ vices,
Affixa terris, exſpectare cogitur.
Hâc edocemur fabulâ, quotquot ſumus
Infirmi, egentes, ac miſelli homunculi,
Divina, sine quîs facere nil boni licet,
Auxilia qualem diligentiam expetant.

FABULA XXXVI.

Cothurnix, Perdix, & Cornix.

ADVENERAT Cothurnix ab alia procul
Regione : Perdix ſic alloquitur : O bona,
Ad hoſce campos confugere quis te malus
Coegit error? namque, ſi neſcis, doli,
Fraudesque, visque, & omne feritatis genus,
Et luctus, & mors impio nos opprimunt
Dominatu : ſi quid venatores, aucupes
Sævire ceſſant, ingruunt vulpeculæ
Continuò, & aquilæ & accipitres, & vultures.
Refert Cothurnix : Heu! reliqui patriam,
Quòd his & aliis peſtibus quamplurimis
Infeſta noſtro redderet generi gravem,
Miſerabilemque vitam : at audivi tamen
A matre, ſe audiviſſe cùm ſibi diceret
Avia, animantes inter ætatis ſuæ
Omnes fuiſſe perpetuam concordiam.
Longæva Cornix huc fòrs advolaverat,
Quæ verba damnans volucris peregrinæ ultima :
Iſtæ, inquit, iſtæ ſunt aniles fabulæ :
Adſum videlicet en ego ducentos abhinc
Annos ſuperſtes; viſa nec eſt usquam mihi
Gens miluina veſtræ genti parcere.
Æquæva miti natio immitis fuit.

FABULA XXXVII.

Miles & Equus.

Generoſum habebat Miles, & apertis Equum
Qui Martis ultro occurreret periculis,
Fidumque jactis hoſtium telis caput
Erigeret, intercipere vulnera geſtiens
Quæcumque, dominum ut incolumem reduceret.
Hinc ille ſecum tacitus: Et multis quidem
Et gravibus, ait, exerceor laboribus:
At factus fuero cùm ſenior, dignâ fruar
Mercede; dominusque beneficiorum memor
Dulci jubebit me quieſcere in otio.
Res denique autem quò redit? Equus fit ſenex,
Et ad molam ablegatur, heu! aſinariam.
Quisquis fidelem præmio famulum negat
Donare juſto, fabula hunc redarguit.

FABULA XXXVIII.

Ruſticus & pagi Dominus.

Ad pagi Dominum quidam vênit Ruſticus:
Meusque', dixit, in tuum porcus canem
Irruit, eumque necuit. Damnum ſarcies,
Reſpondit ille, nummis viginti aureis,
Tuumque trades prætereà porcum mihi,
Ut occidatur, ceterosque terreat
Supplicio porcos, ut ne poſthac audeant
Verendos interficere nobilium canes.
Hic ſeſe emendans Ruſticus: Quid ſum miſer

Locutus, inquit? immo volui dicere
Illud, quod eſſe comperi verum nimis,
Meum a tuo fuiſſe porcellum cane
Occiſum. Is ergo fecerit aliquam prior
Injuriam, inquit Dominus; & hoc pacto ſuam
Sibi perniciem ſtultus arcessiverit:
Malè quidem factum; nunc tamen ſatis eſt mihi
Quòd crimen hujus pœna, mors, juſta eluit.
Abi; tuosque porcos meliùs educa,
Et aliquid umquam simile ne peccent, cave.
Si cum potente damnum expoſtulaverit
Tenuis, abibit ſæpius vix innocens.

FABULA XXXIX.

Taurus & Canes duo.

TAURUS animosi pectoris cùm fervidos
Vix poſſet æſtus ferre, jactabat caput,
Minacibus auras verberabat cornibus,
Pedibus revellens putre fodiebat ſolum,
Levemque latè dissipabat pulverem.
Intereâ opacæ frondeâ ſub arboris
Fornice, quieti membra tranquillæ dabant
Duo Molossi: quos is adſpiciens vocat
Pigros, inertes; objicit & ſocordiam:
Virtutis illi ſed ſuæ bene conſcii,
Inſanientis vana contèmnunt probra,
Et nil moventur. Paulò pòſt autem accidit,
Idem ut ſuperbus iſte novo ſubito impetu
Ad proximum hinc ſe præcipitem ageret nemus:
Cùm cuncta porro temere luſtraret, duos,
Quos e latibulis egredi coegerat
Importuna fames, obvios habuit Lupos.

Redire tunc ad ſe incipit ; & in vultibus
Errare torvis jam videns truces minas,
Magnum imminere intelligit periculum :
Quapropter & vim ſimul & ingenium ratus
Adhibenda, clunes frutice denſo protegit,
Feris & adverſam hoſtibus frontem objicit
Intentus : hi vitare cornua ſedulò
Student, & agiles per humerum, per & latus
Saliunt utrinque : non valent ullo quidem
Lædere cruento vulnere ; ſed aſſultibus
Crebris fatigant usque eò donec miſer
Se viribus prope deſtitutum ſentiens,
Fatale dat lamentum, & auxilium petit
Mugitu acuto, silva quem remugiens
Ad ultimos propagat arvorum sinus.
Exaudiunt Molossi & agnoſcunt ſonum,
Statimque properant quò periculum vocat,
Injuriosè quidquid ille fecerit,
Nil pensi habentes, infelici dum ferant
Opem expetitam. Prælii imparis locum
Vix attigerunt, in latrones irruunt
Continuò ; & hoſtem faucibus elisis necant
Quisque ſuum ; tamque nobili beneficio,
Se nec ſocordes eſſe nec inertes probant.
  Artem ulciſcendi injurias heroicam
Hæc fabula homines quosque generoſos docet.

FABULA XL.

Mulus & Canis.

PANEM in caniſtris cetero cum opſonio
Mulus gerebat : cui miſer viæ comes,
Tanquam beato, gratulatus eſt Canis,

Quòd haberet unus, poſſent quæ convivio
Sufficere, & exſaturare multorum famem.
Reſpondit ille: Falleris; nam quas opes
Mirare, bajulus has ego fidelissimus
Toti familiæ diſtrahendas defero,
Et ſponte tradam, & nil reſervabo mihi.
Suffarcinatos, ut aliis prosint, sibi
Inutiles, fabella doctores notat.

FABULA XLI.

Muſca & Apis.

In flore Muſca ſederat aliquandiu,
Succisque vires dulcibus refecerat:
Sed inde, necdum ſatura, cùm ſe tolleret,
Obſcœnum (honos sit auribus) ſtercus petit.
Quam fortè, ab opere dum redit, adſpiciens Apis,
Ipsi exprobravit fœdum amorem ſordium.
At illa: Quid tum, si, quod in tenero sinu
Pulchelli floris eſuriens inceperam,
Abſolvo in iſto ſtercore pingui prandium?
Placet æquè utrumvis, dum mihi ventrem impleat.
Fabella ſtolidos ad lectores pertinet,
Qui Mævium inter & Maronem nil vident,
Propter quod alter præferatur alteri.

FABULA XLII.

Inſectum hemerobion, & Cornix.

FLUVIUM apud Hypanim hemerobion quoddam genus
Animantium, infima beſtiolarum natio,
Agitabat uno terminatum ævum die:
Quas inter aliqua grandior natu, graves
Cùm ſe negaret ferre poſſe moleſtias
Ætatis imbecillæ: Optata mors, veni,
Veni, ait: in orbe quid moror diutius?
Horas diei victitando jam ferè
Omnes conſumpsi; jam duodecima imminet:
Naſcenti exoriens Phœbus illuxit mihi;
An me relinquet occidens ſuperſtitem?
O terminetur tandem vita longior!
Intereà Cornix, annum quæ centeſimum
Impleverat jam, cùm jaceret proximâ
Sub arbore, languens, morbo & inſanabili
Correpta, ſortem conquerebatur ſuam,
Ætatis ipſo vere quòd decederet.
Breve aliquid, aut longum eſſe negat æternitas.

FABULA XLIII.

Ægithus & Aſinus.

ÆGITHUS in alba ſpina nidificaverat
Et ova jam poſuerat: huc Aſinus ſatur
Acceſſit, ut ſe attereret, & facilem viam
Corpuſculis, effluere per duram cutem
Tentantibus, aperiret: at dum ferus
Impingit, & dum naviter coſtas fricat,

Evertit Ægithi incubantis nidulum;
Et ova ſimul effracta diffundens humi,
Sobolem futuram interficit. Dolet, gemit,
Miſeranda volucris, conqueritur, iraſcitur;
Stolidæque pecudi facinus audax, impiam
Crudelitatem, immanitatemque exprobrat.
Tum Bardus: Ohe, deſine, inquit, his meam
Appetere famam ridiculis conviciis:
Mea namque mitis indoles nota omnibus;
Et reputor, & ſum beſtia minimè mala.
At grande damnum, at maximam cladem intuli.
Quid inde? factum quidquid eſt mali, inſcius
Id feci. At oculos & animum fortè inquies
Me debuiſſe advertere. Ego verò nihil
Factum reor fuiſſe contra regulam
Juris aſinini: nam mihi per eam licet,
Bene pranſus ubi ſum, ad quælibet recurrere
Subſidia, ſtomachum quæ laborantem queant
Juvare, fiat optima ut concoctio.
Fabella quoſdam philoſophos pingues notat,
Qui, modò quietis obſequantur ſenſibus,
Quidquid agant ſceleris, innocentes ſe putant.

FABULA XLIV.

Alexander Rex & Apelles.

CUM divertiſſet olim Apellis in domum,
Sententiamque Rex Alexander ſuam
Cœpiſſet omni de arte pingendi palam
Proferre; Apelles ipſi ad aurem leniter
Statim inſuſurrans: Oh! ſile, inquit, obſecro;
Vel voce ſaltem hujuſmodi res differe
Submiſſiori; ne pueri te, dum terunt
Mihi colores, audiant, & rideant.

FABULA XLV.

Thales & Ancilla.

CÆLI meatus ore ſublimi Thales
Cùm tacitus obſervaret, in foveam incidit.
Quem sic fuiſſe irriſum ab Ancilla Plato
Memorat: Tuúmne tam procul ſupra caput
Remota poſſe perſpicere ſperaveris,
Dum, posita quæ ſunt ante pedes, non perſpicis?

FABULA XLVI.

Lilium.

SATUM feraci & nobili ſolo, ſuum
Cùm nuper apicem Lilium recluderet,
Educeretque florem in auras luminis,
Aurora primùm lacrymulam demittere
Unam, alteramque cœpit: at tam lucidus
Repentè foliis exſtitit apertis nitor,
Ut læta jam Dea, pariter nitentibus
Oculis genisque, fulſerit, & adriſerit,
Abſolveritque riſu simul amabili
Omnem novelli floris pulchritudinem.
Mox Phœbus, aureo emicans vultu, advolat;
Suâque luce Lilium complectitur,
Fovetque, recreatque, & expleri nequit
Videndo, & omnes hìc velit ſecum Deos,
Deasque adeſſe, gaudium hoc ut gaudeant:
Hucque, o Deorum ſumme, dixit, huc ades;
Verende genitor. Audiit, adeſt Jupiter;

Videtque, gaudetque, ut Jovem quidem decet;
Ita tamen gaudet, ut hominem tunc diceres.
Interea, amœno cincta Nympharum grege,
Natura ſtabat proprium admirans opus:
Oculo ſagaci perſpicit aliquandiu
Penitus penitusque, ſollicita, ne quid ſuo
Decoris alumno desit, ultima quod manus
Adjicere possit. Ut probavit omnia:
Creſce, decus, inquit, o meum; creſce, o mea
Dulcis voluptas; teque jam, quotquot micant
In Orbe flores, capite ſummiſſo colant.
Dixit; ſtatimque ſeligit fidam e ſuis
Comitibus unam, prævalenti corpore,
Vultuque, Floram, candido & rubicundulo;
Et mandat, operâ Lilium assiduâ juvet,
Curasque alendo ſedula omnes conferat.
At illa, tanto honore gaudens, exsilit;
Simulque retegit nectaris plenos sinus,
Succosque fundit, quos, futuri præſciæ,
Jam præparârant antea Vita & Salus.
Quò dicta ſpectent, læta novit Gallia.

EPILOGUS.

His lusibus ego leniebam tædium,
Si quod erat, ut fit, ſolitudinis meæ;
Et verisimiles comminiſcens fabulas,
Aptè loquendi munera non modò beſtiis,
Sed rebus etiam quæ carent ſenſu, dabam;
Mundumque tentabam univerſum reddere
Vocaliorem, ut inde possit ad bonos
Regina noſtra hæc ratio mores inſtrui.
Nec pœnitet me, quod inhonoratos dies
Tenuibus hiſce deditus ſtudiis agam:

At in remoto præſepultus angulo
Seneſcere velim, ne quid illius, illius
Immanitatis impiæ, quæ nunc viget,
Adſpicere cogar. Quid? vivi pervênimus,
Ut Religionis patriæ contra ſacros,
Veteresque ritus ſeſe homunculus frequens
Inferre pugnax audeat? ut omnem Dei
Abolere cultum tentet? ut ſanctissimis,
Certissimisque nobiles auctoribus
Leges revellat, conſecratam rideat
Laudem pudoris; temperantiam, fidem,
(Etiam efferatis barbarisque gentibus
Verenda nomina) pro meris nugis putet?
At hæc mihi quando per tenuitatem meam
Domare monſtra non licet, fugere expedit.

SENTENTIÆ.

Quòd iſtas Sententias, huc revocatas, ſimulque collectas exhibemus, nulla hæc profectò eſt oſtentatio noſtra: nam e ſua ſede cum aliquo detrimento eſſe detractas, ipsi intelleximus. Sed providere voluimus, ut ſtudiosi lectores poſſent faciliùs & invenire, quas legere ſe meminiſſent, & recurrere ad argumenta, quorum concluſiones illæ plerumque ſunt. Atque etiam ne pretium legendi nullum a nobis rependeretur, eas interdum redegimus ad novam formam, novoque adornare cultu conati ſumus.

A.

ABSCONDERE homines vitia dum quædam volunt;
Ea ſæpe faciunt clariùs ut appareant. *lib.* 12, *fab.* 13.

Abſurda quæque fingere ſibi ſomnia
Fere ſolet, amor quem ſuî ſtultus tenet. *l.* 12, *f.* 11.

Acuere inanis venter ingenium ſolet. *l.* 8, *f.* 10.

Acuit egeni induſtriam neceſsitas. *l.* 3, *f.* 23.

Addit vim invictam fortibus concordia:
Diſcordia frangit ipſam fortitudinem. *l.* 2, *f.* 13.

Adverſa ſtultos admonent ſortis ſuæ. *l.* 2, *f.* 9.

Ad vindicanda damna si improbos legas,
Plerumque gravius hi tibi damnum dabunt. *l.* 5, *f.* 35.

Æquæva miti natio immitis fuit. *l.* 15, *f.* 36.

Aliena damna tempore dextro ni leves,
Opera tua damno ſæpe vertetur tuo. *l.* 2, *f.* 25.

Aliqui ſunt artibus ita corrupti malis,
Nequeant ut ipſum induere ſimulacrum boni. *l.* 11, *f.* 12.

Altum ſoporem durus adducit labor. *l.* 14, *f.* 24.

Ambitio prava, quantis afficeres malis
Hunc Orbem, haberes ni dementiam ducem! *l.* 2, *f.* 3

Amor, improbus Amor, ubi ſemel prudentiam
Extinxit, ipſam fortitudinem domat. *l.* 3, *f.* 16.

Amore materno excitatus, plurimùm
Ibi videt oculus, ubi alii nihil vident. *l.* 14, *f.* 25.

Audacia nulla eſt, nullum ubi periculum. *l.* 3, *f.* 36.

Audaciorem ſtupiditas criticum facit. *l.* 7, *f.* 14.

Augetur ipſo imbellium numero pavor. *l.* 7, *f.* 12.

Avidè expetita, ſæpius damnum afferunt. *l.* 3, *f.* 25.

B.

Beata præſens vita venturæ nocet. *l.* 4, *f.* 32.

Benefico ingratus qui nocet, nocet ſibi. *l.* 10, *f.* 1.

Beneficus eſto, ſed, cui benefacias, vide. *l.* 1, *f.* 25.

Bis ille miſer eſt, qui ex beato fit miſer. *l.* 7, *f.* 20.

Boni bona, mali mala ſolent ex omnibus
Deligere libris, propria quæ faciant ſibi. *l.* 10, *f.* 40.

Bonis, ſimulque prodeſſe malis, vix licet. *l.* 5, *f.* 14.

Bonos juvare, cùm abeunt, incipiunt mali. *l.* 2, *f.* 4.

Breve aliquid, aut longum eſſe, negat æternitas. *l.* 15, *f.* 42.

C.

Calumnianti & increpanti Noctuæ:
Non me, ſed oculos, Sol ait, culpa tuos. *l.* 5, *f.* 40.

Certum eſt, amicum diviti nullum tibi
Fuiſſe, quoniam nullus eſt nunc pauperi. *l.* 2, *f.* 1.

Citò emersiſti? ne citiùs recidas, cave. *l.* 5, *f.* 32.

Cognoſce penitus, antequam dijudices. *l.* 10, *f.* 4.

Conditio tenuis paucis eſt periculis
Expoſita, multis ampla casibus patet. *l.* 3, *f.* 38.

Consilia qui dant, ſæpe conſulunt sibi. *l.* 2, *f.* 19.

Copia rapaces ridens invitat manus. *l.* 10, *f.* 37.

Cuiquam ne objicias, quod tibi objici queat. *l.* 1, *f.* 19.

Cùm ſe doloſis artibus mitem exhibet,
Tunc eſt timenda maximè crudelitas. *l.* 2, *f.* 20.

D.

DAMNARE qui vult alios, ſe inſpiciat priùs. *l.* 11, *f.* 10.

Damnoſa ſtulto ſemper eſt loquacitas. *l.* 10, *f.* 41.

Dejicere ſummos grandibus Sors invida
Gaudet ruinis, dum infimi tutò latent. *l.* 13, *f.* 11.

Deprimerê dum vult alienam elegantiam,
Hanc ſæpe ſtulta provehit æmulatio. *l.* 12, *f.* 2.

Difficilè vincit lenitas animos leves,
At ratio ſæpe continet ſeverior. *l.* 15, *f.* 6.

Diffidere si quos, maximè tenues, decet. *l.* 3, *f.* 8.

Diffide, si quis taceat infenſus tibi:
Pleni minarum longè metuendi minùs. *l.* 5, *f.* 22.

Diffide, si quos indicat verboſior
Loquela: nam plerumque nil ſubeſt boni. *l.* 15, *f.* 8.

Dixit Edera olim, magnæ adhærens Quercui:
Annon tibi nocent arbores, quæ te ambiunt?
At Quercus: O tace, invida: tu ſola hìc noces. *l.* 6, *f.* 26.

Dolum innocenti nectere malum qui parat,
Meliore jus eſt hunc refutari dolo. *l.* 15, *f.* 33.

Dum pompæ inanis artifex extollitur,
Jacet miſerias inter utilis faber. *l.* 12, *f.* 14.

Durum torum diurnus emendat labor. *l.* 12, *f.* 14.

E.

Eò eſt nocentior ira, quò eſt occultior. *l.* 13, *f.* 17.

Equum ad pericla Martis ornari videns
Aſinus: Vel aſinum, vivere, inquit, me juvat. *l.* 3, *f.* 32.

Et monſtra, & homines habet Europa nunc feros,
Muſa quibus omnis ſuavior bilem movet. *l.* 6, *f.* 18.

Exigua, certò quæ tenes, majoribus,
Quæ temere ſperas, præferenda ſunt bona. *l.* 15, *f.* 21.

Exitio multis vana garrulitas fuit. *l.* 13, *f.* 26.

F.

Facit ille multum, qui facit domino ſatis. *l.* 15, *f.* 18.

Fervente dum vult Piſcis e ſartagine
Reſilire, frictus ne pereat, aſſus perit. *l.* 9, *f.* 2.

Fortuna quem deſeruit, omnes deſerunt. *l.* 14, *f.* 7.

Fortuna raro, ſummis injiciens manum,
Fallitur: in imos manca ſæpius ruit. *l.* 2, *f.* 41.

Fortunâ vivat quiſque contentus ſuâ. *l.* 3, *f.* 7.

Frugifero in horto, quæ nihil proſunt, nocent. *l.* 5, *f.* 26.

Fruſtra laborant, partem ut arripiant ſibi
Laudis alienæ, laude qui propriâ carent. *l.* 14, *f.* 17.

Fruſtra ſiletur facinus, ubi damnum patet. *l.* 15, *f.* 22.

G.

GENS Troſſulorum, quò magis fuerit levis,
Hòc ſe majoris eſſe ponderis putet. *l.* 5, *f.* 17.

Gratia referri ab infimis etiam poteſt. *l.* 5, *f.* 30.

H.

HABET hoc ſtupiditas oppidò percommodum,
Quod cuncta facilè in optimam partem accipit. *l.* 11, *f.* 7.

Habet ſenectus mille mortis nuntios. *l.* 7, *f.* 23.

Hæc invidorum abominanda eſt indoles:
Quibus uti nequeunt, neminem his frui volunt. *l.* 3, *f.* 5.

Herus ubi peccat, ſæpe ſervus plectitur. *l.* 9, *f.* 8.

Hic ſæpe prodeſt, qui ſupervacua abripit. *l.* 13, *f.* 14.

Homines repentè emerſos ex humili loco
Tolerare poſſim, ni ſuum ſpernant genus. *l.* 8, *f.* 22.

Hominis cavenda eſt improbi benignitas. *l.* 13, *f.* 23.

Homini theſaurus ingens, aſſiduus labor. *l.* 5, *f.* 7.

Hominum, beatos quos putat vulgus, mala
Videre, miſeris non leve eſt ſolatium. *l.* 3, *f.* 32.

Hominum fragilitas ingenium verſatile,
Variumque, variis pro periclis, expetit. *l.* 3, *f.* 35.

Hominum ille mos eſt: anxiè quærunt, parant
Laborioſè, quæ brevi faſtidient. *l.* 14, *f.* 30.

Horum, beati qui putantur, dum vident
Miſerias, miſeri ſuſtinent ſortem ſuam. *l.* 3, *f.* 32.

Hoſtes tibi eſſe quandiu cognoveris,
Pugnandi tempus ſemper eſſe exiſtima. *l.* 2, *f.* 31.

Humana ſæpe ratio ſecum diſſidet. *l.* 9, *f.* 15.

Humana ſæpe vota perniciem petunt. *l.* 2, *f.* 1.

Humanas variat vita, mors æquat vices. *l.* 13, *f.* 32. *f.* 19.
Humilibus Humiles, non Potentes, dant opem. *l.* 6,

I.

IDEM, quod Aquila, Corvus aggrediens, perit. *l.* 1, *f.* 3.
Ignaviam ſubſidia nil ferè juvant:
Per ſe ipſe ſolus multùm agit habilis vigor. *l.* 10, *f.* 43.
Illud aliquando, comparare quod nequit
Induſtria, labor, ars, dolus, caſu advenit. *l.* 15, *f.* 17.
Illuſtria quædam vitia ſunt: at maxima
Sæpe ibi pudendi cauſa eſt, ubi minimè pudet. *l.* 6, *f.* 28.
Improbitas ipſa ſæpe tuetur improbos. *l.* 9, *f.* 1.
Impunè victor nullus inſolens fuit. *l.* 9, *f.* 23.
In aliis vitia quamlibet verè arguas,
Contraria in te si arguantur, nil agis. *l.* 12, *f.* 30.
In capite vacuo laxè habitat ſuperbia. *l.* 14, *f.* 1.
Incepta quamvis grandia moretur labor,
Silete, tenues, dum exitus rem comprobet. *l.* 13, *f.* 7.
Induſtria quidquid ſumma & eximius labor
Perficiant, ſemper aliquis obtrectaverit. *l.* 8, *f.* 1.
In hac brevi, miſeraque vita ſæpius
Eſt minima merces, maximus ubi labor fuit. *l.* 15, *f.* 1
Invidia quædam eſt, quæ juvat, quos arguit. *l.* 5, *f.* 3.
Iræ malum revertit auctorem ad ſuum. *l.* 9, *f.* 30.
Is qui miniſter ſceleris eſt, facit ſcelus. *l.* 13, *f.* 31.
Itus eſt imprudens, de reditu si non liquet. *l.* 2, *f.* 22.
Juva, ut juvêris: raró beneficium perit. *l.* 2. *f.* 24.

L.

LARGIRE dives pauperi, quibus indiget:
Non es benignus, si das, quæ nil hunc juvant. *l.* 12, *f.* 17.

Leve damnum ſuffer, ne grave incurras malum. *l.* 2, *f.* 21.

Loco eſt ignominiæ honor indigno datus. *l.* 1, *f.* 10.

M.

MAGNAM ex longinquo qui reverentiam parit,
Si propiùs adſtet, ſæpe erit contemtui. *l.* 3, *f.* 26.

Magnifica verba vanus effundit dolor:
Præſens periclum veras voces exprimit. *l.* 2, *f.* 29.

Malefici ſemper aliquâ ſe produnt viâ. *l.* 7, *f.* 15.

Malè prævidet ille, qui ſibi non providet. *l.* 7, *f.* 11.

Malè ſocientur, quæ naturâ diſcrepant. *l.* 5, *f.* 4.

Mali medela mors venit, gravius malum. *l.* 2, *f.* 10.

Mali requirunt, carpere quæ poſſint, mala:
Laudare poſſint quæ bona, requirunt boni. *l.* 6, *f.* 20.

Malitia ſæpe comitem habet prudentiam. *l.* 2, *f.* 17.

Malos ſi occultat ſpecies, opera detegunt. *l.* 1, *f.* 24.

Malum jure feres, quod parabis alteri. *l.* 3, *f.* 20.

Malum ſibi fovet, quiſquis educat malos. *l.* 5, *f.* 10.

Materiam habere idoneam, parum eſt, niſi
Hanc doctus expolire nôrit artifex. *l.* 6, *f.* 16.

Meliora dum vis, ne bona amittas, cave. *l.* 9, *f.* 29.

Meliora, dum appetuntur, officiunt bonis. *l.* 4, *f.* 28.

Memineris, inquit Ruſtico Hercules, Deos
His opitulari, qui admovent operi manum. *l.* 5, *f.* 28.

Metuendus hoſtis, qui furit, vel cùm perit. *l.* 14, *f.* 15.

Minimi fuiſſe pretii, multis profuit *l.* 5; *f.* 25.

Mirari quidquam non valent homines diu. *l.* 2, *f.* 36.

Miſeria clamat publica, raró quidpiam
Superfluum eſſe diviti, ut egenum levet. *l.* 3, *f.* 19.

Miſero levamen miſerioris eſt malum. *l.* 2, *f.* 30.

Modeſta ſpecies non hominem ſanctum probat. *l.* 4, *f.* 5.

Modeſtia nocet hominibus doctis: valent
Artes ineptæ, quas juvet impudentia. *l.* 8, *f.* 17.

Mors ſæpe, omiſſis fortibus, inertes petit. *l.* 15, *f.* 23.

Mortem innocenti qui parat, jure hanc ſubit. *l.* 2, *f.* 28.

Mos his pigrorum eſt, ut bona, quibus indigent,
Nolint parare, ubi queunt; ubi nequeunt, velint. *l.* 11,

Multi ſceleſtos exſecrantur, qui, ſimul
Occaſio data eſt, quodlibet faciunt ſcelus. *l.* 11, *f.* 27.

Multis neceſſe eſt vexari, ne torpeant. *l.* 4, *f.* 27.

N.

NEMO eſſe felix ſimul & infamis poteſt. *l.* 4, *f.* 9.

Nemo eſt tam ineptus, a perito qui Duce
Ad aliquid aptus inveniri non queat. *l.* 6, *f.* 13.

Ne monitione inutili miſerum increpes,
Natura prohibet, nomine hoc, quia eſt miſer. *l.* 1, *f.* 1.

Nil dare volenti facilè cauſa ſuppetit. *l.* 9, *f.* 38.

Nil perdit, id qui perdit, quo uti neſciat. *l.* 5, *f.* 24.

Nil uſus adjuvat, ubi deeſt prudentia. *l.* 6, *f.* 21.

Nocitura numquam eſt certiùs malignitas,
Quàm cùm perſonam lenitatis induit. *l.* 7, *f.* 1.

Non facilè omittes agere, quod diu egeris. *l.* 11, *f.* 16.

Non magna, mi homo, ſunt, magna quæ tu judicas :
Exſpecta, minima mox videbuntur tibi. *l.* 12, *f.* 23.

Non ſemper infitiari licet, ubi non liquet. *l.* 8, *f.* 5.

Nos cautiores cùm facit infortunium,
Tunc aliquis ipſo fructus e damno redit. *l.* 4, *f.* 3.

Numquam relinque, rite quod ſuſceperis,
Vivendi honeſtum, ſit licèt miſerum, genus. *l.* 15, *f.* 31.

Nullus alienum reput & homo hominis malum. *l.* 6, *f.* 3.

O.

OBJICERE ſtultum eſt ea, quæ peccas maximè. *l.* 13, *f.* 13.

Obſcura vita diſplicet, illuſtris nocet. *l.* 1, *f.* 8.

Omnes tacere, Dis loquentibus, decet. *l.* 13, *f.* 22.

Opem a beato promptam ne exſpectet miſer. *l.* 12, *f.* 18.

Ornatus auget ipſe turpitudinem. *l.* 5, *f.* 29.

P.

PAX fraudulenta bello ipſo damnosior. *l.* 3, *f.* 9.

Periculosâ ne beneficium morâ
Corrumpe lentus; at juva citò, quem juvas. *l.* 9, *f.* 20.

Periculosis conſiliarius frequens
In rebus aderit, exſecutor non item. *l.* 6, *f.* 7.

Periculoſum eſt adjuvare maleficum. *l.* 2, *f.* 14.

Periculoſùm eſt tenuibus, cùm dissident,
Potentiorem ad arbitrum recurrere. *l.* 7, *f.* 22.

Periculoſum eſt vitia quædam tollere. *l.* 10, *f.* 39.

Peſſumdari inopes, ubi potentium intereſt;
Facilè in grave ſcelus culpa mutatur levis. *l.* 1, *f.* 1.

Parere nulla conditio felix poteſt,
Cujus odioſos praevideant exitus. *L.* 5, *f.* 19.

Pœna periculi ſecuris tantò magis
Malum propinquat, quò diutius abſuit. *l.* 6, *f.* 8.

Plerique, facile dimiſſum iri quae putant,
Ubi venit hora, poſſe dimitti negant. *L.* 12, *f.* 7.

Plerique nova veteribus ideo praeferunt,
Quia nova; vetera, quia vetera ſunt, reſpuunt. *L.* 14, *f.* 6.

Plerumque contra, quam fas & ratio velint,
Luxum [illegible] amor [illegible], doctus fugit. *L.* 7, *f.* 9.

Plerumque dulci poſthabetur utile. *L.* 9, *f.* 39.

Plerumque recidit ira in auctorem ſuum. *L.* 1, *f.* 6.

Peccatorum exempla [illegible] nocent *L.* 1, *f.* 3.

Potentiorum ſaevitia nunquam magis
Crevit, quam cum miſeros ludendo opprimit. *L.* 2, *f.* 40.

Pericula ſtulti calamitas, tantummodo
Fatum ſacit, ubi non proguſtari nequit. *L.* 14, *f.* 11.

Praepoſtera nocet ſaepe diligentia. *L.* 11, *f.* 15.

Procerum ſuperbia ſufficit, cum Rex abeſt. *L.* 8, *f.* 19.

Procraſtinationum ſemina alit periculum. *L.* 10, *f.* 3.

Pro laude ſtultus ſaepe contumeliam
Parat, cum ſi qua temperet feſtivitas. *L.* 12, *f.* 9.

Prudentia cavetur, ne eveniat malum:
Evenit? ſed obliviſcente vincitur. *L.* 10, *f.* 28.

Prudentia comes ſi non adfuerit, vigor
Nocet animique & corporis, nedum juvet. *L.* 12, *f.* 31.

Prudentia, nimis anxia, aliquando malum
Arceſſit ingens, damnum ut averrunt leve. *L.* 5, *f.* 38.

Prudentia uſo cum hoſte congredi vetat,
Niſi ante nitis, qua minis, quà plùs valet. *L.* 11, *f.* 5.

Prudenti & inſonti eſſe clanculum malus
Cùm desinit hoſtis, eſſe tunc bonus incipit. *l.* 4, *f.* 11.

Pugnare ſolos bellicoſos expedit:
Imbellium agmen officit, nedum adjuvet. *l.* 7, *f.* 6.

Pugnant ubi utilitas, facilè vincitur fides. *l.* 11, *f.* 17.

Q.

QUÆCUMQUE capere intelligendo non poteſt
Judex ineptus, ea plerumque deprimit. *l.* 9, *f.* 34.

Quàm multa, flores quæ tulerant pulcherrimos,
Ingenia, fructus aridiſſimos ferunt! *l.* 5, f. 39.

Quàm nunc malorum citò propagatur genus! *l.* 7, *f.* 3.

Quamvis acerba ſors erit, eam ſuſtine;
Ne pejor fiat, obtrectare si velis. *l.* 3, *f.* 30.

Quâ quis laborat, si queat cum pluribus
Communicare infamiam, reputet levem. *l.* 4, *f.* 17.

Quercum puſilla Myrtus everti videns,
Humilior eſſe, quàm fuit umquam, jam velit. *l.* 13, *f.* 11.

Qui captus eſt amore credulo ſui,
Quò ſtultior erit, hòc sibi placebit magis. *l.* 14, *f.* 23.

Quicumque mendax eſſe creditur, licèt
Aliquando verum dicat, haud facit fidem. *l.* 2, *f.* 6.

Quicumque nocuit, jure dat pœnas, magis
Animo nocendi, quàm ipsi noxiæ pares. *l.* 14, *f.* 3.

Quicumque timidus natus eſt, temerarium
Se facilè, fortem ſe probare non poteſt. *l.* 12, *f.* 10.

Quid pertinax efficere non poſſit labor? *l.* 14, *f.* 20.

Qui minimus, ſæpe ſummus eſt mali gradus. *l.* 4, *f.* 1

Qui ſe fatentur humiles, extollit Deus. *l.* 9, *f.* 32.

Qui ſocio ſubvenit, ille providet sibi. *l.* 2, *f.* 18.

Quisquis es ab aliqua parte commendabilis,
Ne sis ab alia vituperabilis, time. *l.* 1, *f.* 12.

Qui ſtatuit aliquem perdere inviſum sibi,
Si juſta ratio nulla sit, falſam invenit. *l.* 6, *f.* 1.

Quod cupimus, id verum eſſe, facilè credimus. *l.* 8, *f.* 24.

Quod non vituperat, laudat malevolentia. *l.* 5, *f.* 3.

Quod uni prodeſt, alteri ſæpe id nocet. *l.* 5, *f.* 20.

Quos maximè ceſſare vulgus judicat,
Ab his ſæpe opera maximè utilis datur. *l.* 3, *f.* 4.

Quot ſtrenuè olim magni pugnârunt Duces,
Ut latro pugnæ ferret omne præmium! *l.* 3, *f.* 29.

R.

Rarò in periclis impius conſtat sibi. *l.* 4, *f.* 22.

Ratio nocendi ſuppetit ſemper malis. *l.* 12, *f.* 22.

Rem bene gerendi quisquis horam prorogat,
Bonis, quibus eget maximè, meritò caret. *l.* 10, *f.* 17.

Rem gerere ipſe potes? alios ne exſpectaveris. *l.* 3, *f.* 27.

Res dignitate prævalent, non copiâ. *l.* 4, *f.* 1.

Reverere, celsâ dignitate qui eminent:
Tenues ruina potentium ſæpe opprimit. *l.* 15, *f.* 11.

S.

Sæpe eſt benefici merces in beneficio. *l.* 12, *f.* 5.

Sæpe furiosi plùs sibi, quàm aliis, nocent. *l.* 8, *f.* 20.

Sæpe furioſos proprius perdit furor. *l.* 8, *f.* 21.

Sæpe ibi voluptas, ubi necessitas fuit,
Paulatim ab ipſa naſcitur aſſuetudine. *l.* 6, *f.* 29.

Sæpe

Sæpe illud homines, ſufferendum quod foret,
Minuere ſtultè dum volunt, augent malum. *l.* 5, *f.* 2.

Sæpe juvat id, quod impedimentum putes. *l.* 10, *f.* 8.

Sæpius ubi omnia tuta ſunt, homines timent;
Et ſe, ubi timenda ſunt omnia, tutos putant. *l.* 12, *f.* 27.

Satius amicum habere nullum, quàm levem. *l.* 12, *f.* 20.

Scholarum in umbra qui latens placuit ſibi,
Placuiſſe ſtulto clara lux ſæpe hunc probat. *l.* 3, *f.* 13.

Scrutare, quid velit hoſtis: non ibi maximum
Semper, ubi maximè eminet periculum. *l.* 12, *f.* 6.

Serò parantur arma, cùm hoſtis ingruit. *l.* 3, *f.* 31.

Serpens, ſerpentem nisi voret, non fit draco. *l.* 10, *f.* 9.

Servâſſe ſummos, humilibus piaculum eſt. *l.* 1, *f.* 21.

Sibi ipſa ſemper aviditas nimia officit. *l.* 1, *f.* 26.

Sibi ipſa ſemper vana loquacitas nocet. *l.* 5, *f.* 13.

Si cum potente damnum expoſtulaverit
Tenuis, abibit ſæpius vix innocens. *l.* 15, *f.* 38.

Si tantùm ineptus, nec etiam fuerit malus,
Nihili menſuram troſſulus totam replet. *l.* 2, *f.* 33.

Solertia ſæpe virium præſtat vicem. *l.* 4, *f.* 18.

Species inanis imperitos decipit;
Peritus in re nil, nisi ipſam rem, videt. *l.* 10, *f.* 26.

Spes denique omnis infimos tunc deſerit,
Furor ubi comitem ſe poteſtati dedit. *l.* 7, *f.* 7.

Stultè appetentes, dum annuit, plectit Deus. *l.* 8, *f.* 28.

Stultitia comitem si fòrs arrogantiam
Habuerit, homines certum in exitium trahit. *l.* 4, *f.* 7.

Stultus inimico ſæpe amicus plus nocet. *l.* 1, *f.* 24.

Suam dolebit languida ſenectus vicem,
Laborioſa ni juventus præcavet. *l.* 1, *f.* 2.

Sudore vultûs & labore corporis
Collecta cœnam condit inſuavem fames. *l.* 5, *f.* 9.

Sui data anima, pro ſale, ne putreſceret. *l.* 10, *f.* 10.

Suis Fortuna quem ſaginavit bonis,
Non facilè emerget præſenti periculo. *l.* 2, *f.* 8.

Superbienti dixit Amarantus Roſæ:
Colore, odore vincor: at vivo diu. *l.* 2, *f.* 43.

Suſpecta laus, quam ſumma poteſtas obtinet. *l.* 6, *f.* 4.

Suus eſt petendus cuique conveniens locus. *l.* 14, *f.* 13.

Suus unicuique circumſcriptus eſt locus,
Quem præterire ſine periclo non licet. *l.* 3, *f.* 12.

T.

TAM facinoroſa neminem vita inquinat,
Qui laude ſe aliquâ dignum non exiſtimet. *l.* 9, *f.* 37.

Tardat, hebetatque luxus hominum induſtriam. *l.* 3, *f.* 11.

Tenerior animus quamlibet factam ſibi
Exaggerare offenſiunculam ſolet. *l.* 1, *f.* 11.

Tenues homullos ad ſuam ſæpe accidit
Potentiorum exemplis perniciem trahi. *l.* 1, *f.* 3.

Tenues potentûm injurias diſcant pati,
Ne, si repugnent, gravius arceſſant malum. *l.* 13, *f.* 10.

Teſtudo ferre cogitur ſuam domum:
Sed utile quod eſt, inquit, haud grave eſt onus. *l.* 1, *f.* 4.

Torquenda non ſunt ingenia: noſter labor,
Natura cùm obſtat, officit, nedum juvet. *l.* 3, *f.* 14.

Trahit aliquando vitium, vel formâ truci
Horribile: quid agat ſpecie blandâ ſubdolum? *l.* 13, *f.* 2.

Tuta eſt bonorum vita, ubi mali dissident. *l.* 7, *f.* 17.

V.

VANA eſt docilitas, quæ caret ſapientiâ. *l.* 15, *f.* 29.

Vanâ intumeſcit gloriâ fecunditas,
Perfectione juſtâ si fetus carent. *l.* 5, *f.* 6.

Ubi eſt calamitas, eſſe ibi culpa creditur. *l.* 10, *f.* 31.

Ubi eſt voluptas, ibi periculum placet. *l.* 4, *f.* 19.

Ubi fingit aliquid eſſe venturum boni
Cupido cæca, negligit præſens malum. *l.* 4, *f.* 6.

Ubi ſemel animos blanda cepit vanitas,
Si veritas loquatur, amittit fidem. *l.* 11, *f.* 23.

Vetare ne mala inferantur, qui poteſt,
Et non vetat, idem, ac ipſe si inferret, facit. *l.* 7, *f.* 4.

Vide, quidquid agis, an res conveniat loco. *l.* 5, *f.* 31.

Videre ſano res, utì ſunt, fas erit. *l.* 10, *f.* 32.

Vivit beatus, qui latens vivit sibi. *l.* 10, *f.* 20.

Ultro fatetur memoriâ ſe defici
Quiſque: ſed ingenio quis carere ſe putat? *l.* 15, *f.* 12.

Ultro malevoli laudant, ubi laudem magis
Eſſe nocituram, quàm calumniam, ſciunt. *l.* 6, *f.* 24.

Unde redit ingens lucrum, ne impenſas dole. *l.* 6, *f.* 14.

Undique cavendum eſt; e loco minimè omnium
Suſpicioſo calamitas ſæpe advenit. *l.* 10, *f.* 19.

Vulpecula Cani: Partu me vincis quidem
Numeroſiore, catulos at cæcos paris. *l.* 5, *f.* 6.

AD FABULAS
ÆSOPIAS
NOTATIONUM LIBELLUS.

AD LIBRUM I.

PROL. v. 7. *Æſopum auctorem*] Unde fabulæ Æſopiæ dictæ ſunt. At multò ante Æſopum Heſiodus, atque ipsi etiam divinorum voluminum Auctores hoc ſcribendi genus adhibuerunt.

V. 30. *Moralis philoſophiæ*] Seneca, epiſt. 106. *Scis me moralem philoſophiam velle complecti.*

F. 1. Belluæ peſtilentiâ laborantes. La Fontaine, l. 7, f. 1. Martinus Dorpius, f. 473, de quo, ut de Car. Poreo, Nicolaoque Gerbelio nihil in præfatione memoravimus, quia eorum quilibet ſemel tantùm in toto opere citatus eſt.

V. 5. *Peſtis*] Vocem hanc poſſe rectè pro peſtilentia accipi, negaverat olim doctiſſimus vir Jo. Fred. Gronovius, obſervationum l. 3, c. 15, edit. 1639 : at poſtmodum, edit. 1662, ſeſe ipſe emendavit. Etenim Cicero, nat. Deor. l. 1, c. 36. *Ibes avertunt peſtem ab Ægypto.* Columella, l. 7, c. 7. *Ex calore & æſtu concepta peſtis univerſum pecus invasit.* Atque etiam Ennius, edit. 1707, p. 142.

Hos peſtis necuit ; pars occidit illa duellis.

V. 6. *Belluarum*] Genus beſtiarum univerſum poſſe belluarum vocabulo appellari contra quàm pronuntiare auſus eſt quidam grammaticus, demonſtratum eſt nuper, in opuſculo gallico, exemplis maximè idoneis, quibus hæc addere licet : Cicero, Offic. l. 1, c. 4. *Inter hominem & belluam hoc maximè intereſt.* Idem ibid. l. 2, c. 4. *Quem ex quaque bellua uſum habere poſſemus ?* Varro, l. lat. l. 4, c. 10. *Jupiter mortales, belluaſque omnes juvat.*

V. 45. *Quasi per nebulam*] Plautus, Pſeud. 1, 5, 47.

Sunt quæ te volumus percontari, quæ quasi
Per nebulam noſmet ſcimus, audivimus.

Cicero, in Anton. 12, 2. *Quod videbam equidem, ſed quasi per caliginem.*

V. ult. *Culpa levis*] Seneca, epiſ. 87. *Sacrilegia minuta puniuntur; magna in triumphis feruntur.*

F. 2. Formica & Cicada. La Fontaine, l. 1, f. 1. Benſerade, f. 63. Æſopus, f. 134. Aphtonius, f. 1. Faernus, f. 7. Burmannus, f. 27. S. Cyrillus, l. 1, f. 4.

F. 3. Aquila, Corvus, & Paſtor. La Fontaine, l. 2, f. 16. Benſerade, f. 77. Æſopus, f. 207.

F. 5. Ericius & Talpa. Benſerade, f. 72. Le Noble, f. 53, & com. act. 1, ſc. 4. Richer, l. 4, f. 15. Abſtemius, f. 72.

F. 6. Leo, Lupus, & Vulpis. La Fontaine, l. 8, f. 3. Æſopus, f. 72. Faernus, f. 99. Jaïus, t. 2, p. 741.

V. 20. *Deglubitur*] Suetonius, Tib. c. 32. *Reſcripsit, boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere.*

F. 10, v. ult. *Loco eſt*] P. Syrus:

Loco ignominiæ eſt apud indignum dignitas.

Ibid. *Honor datus*] Cicero, in Ver. 5, 14. *Quæſtor ſum factus, ut mihi honorem illum non ſolùm datum, ſed etiam creditum ac commiſſum putarem.*

F. 12. Gruis & Pavo. Benſerade, f. 106. Avienus, f. 15.

V. ult. *Vituperabilis*] Cicero, fin. bon. & mal. 3, 12. *Quod vituperabile eſt.* De Leg. 3, 10. *Conſulatus vituperabilis.*

F. 13. Mala aurea. Car. Poreus, fabulâ ineditâ. Locmanus, f. 23.

F. 14. Cucurbita, Glans, & Ruſticus. La Fontaine, l. 9, f. 4. Jaïus, t. 1, p. 753.

V. 18. *Evigilat*] *Evigilare* idem eſt aliquando, quod *expergiſci.* Statius, silv. 5, 3, 127.

Puppe magiſter
Excidit, & mediis miſer evigilavit in undis.

F. 15, v. 12. *Deformitatem indolis*] Cicero, Leg. 1, 19. *Animi deformitas.*

F. 16, v. ult. *Ab alio expectes*] P. Syri verſus ille eſt.

F. 17, v. 1. *Muſcipulo*] Phædrus, 4, 1, 17.

Qui ſæpe laqueos & muſcipula effugerat.

V. ult. *Nomine hoc*] Cicero, pro Roſc. com. 14. *An*

Humanas variat vita, mors æquat vices. *l.* 13, *f.* 32. *f.* 19.
Humilibus Humiles, non Potentes, dant opem. *l.* 6,

I.

IDEM, quod Aquila, Corvus aggrediens, perit. *l.* 1, *f.* 3.
Ignaviam ſubſidia nil ferè juvant:
Per ſe ipſe ſolus multùm agit habilis vigor. *l.* 10, *f.* 43.
Illud aliquando, comparare quod nequit
Induſtria, labor, ars, dolus, caſu advenit. *l.* 15, *f.* 17.
Illuſtria quædam vitia ſunt: at maxima
Sæpe ibi pudendi cauſa eſt, ubi minimè pudet. *l.* 6, *f.* 28.
Improbitas ipſa ſæpe tuetur improbos. *l.* 9, *f.* 1.
Impunè victor nullus inſolens fuit. *l.* 9, *f.* 23.
In aliis vitia quamlibet verè arguas,
Contraria in te si arguantur, nil agis. *l.* 12, *f.* 30.
In capite vacuo laxè habitat ſuperbia. *l.* 14, *f.* 1.
Incepta quamvis grandia moretur labor,
Silete, tenues, dum exitus rem comprobet. *l.* 13, *f.* 7.
Induſtria quidquid ſumma & eximius labor
Perficiant, ſemper aliquis obtrectaverit. *l.* 8, *f.* 1.
In hac brevi, miſeraque vita ſæpius
Eſt minima merces, maximus ubi labor fuit. *l.* 15, *f.* 1
Invidia quædam eſt, quæ juvat, quos arguit. *l.* 5, *f.* 3.
Iræ malum revertit auctorem ad ſuum. *l.* 9, *f.* 30.
Is qui miniſter ſceleris eſt, facit ſcelus. *l.* 13, *f.* 31.
Itus eſt imprudens, de reditu si non liquet. *l.* 2, *f.* 22.
Juva, ut juvèris: raro beneficium perit. *l.* 2. *f.* 24.

L.

LARGIRE dives pauperi, quibus indiget:
Non es benignus, si das, quæ nil hunc juvant. *l.* 12, *f.* 17.

Leve damnum ſuffer, ne grave incurras malum. *l.* 2, *f.* 21.

Loco eſt ignominiæ honor indigno datus. *l.* 1, *f.* 10.

M.

MAGNAM ex longinquo qui reverentiam parit,
Si propiùs adſtet, ſæpe erit contemtui. *l.* 3, *f.* 26.

Magnifica verba vanus effundit dolor:
Præſens periclum veras voces exprimit. *l.* 2, *f.* 29.

Malefici ſemper aliquâ ſe produnt viâ. *l.* 7, *f.* 15.

Malè prævidet ille, qui sibi non providet. *l.* 7, *f.* 11.

Malè ſocientur, quæ naturâ diſcrepant. *l.* 5, *f.* 4.

Mali medela mors venit, gravius malum. *l.* 2, *f.* 10.

Mali requirunt, carpere quæ possint, mala:
Laudare possint quæ bona, requirunt boni. *l.* 6, *f.* 20.

Malitia ſæpe comitem habet prudentiam. *l.* 2, *f.* 17.

Malos si occultat ſpecies, opera detegunt. *l.* 1, *f.* 24.

Malum jure feres, quod parabis alteri. *l.* 3, *f.* 20.

Malum sibi fovet, quisquis educat malos. *l.* 5, *f.* 10.

Materiam habere idoneam, parum eſt, nisi
Hanc doctus expolire nôrit artifex. *l.* 6, *f.* 16.

Meliora dum vis, ne bona amittas, cave. *l.* 9, *f.* 29.

Meliora, dum appetuntur, officiunt bonis. *l.* 4, *f.* 28.

Memineris, inquit Ruſtico Hercules, Deos
His opitulari, qui admovent operi manum. *l.* 5, *f.* 28.

Metuendus hoſtis, qui furit, vel cùm perit. *l.* 14, *f.* 15.

Minimi fuiſſe pretii, multis profuit *l.* 5; *f.* 25.
Mirari quidquam non valent homines diu. *l.* 2, *f.* 36.
Miſeria clamat publica, raro quidpiam
Superfluum eſſe diviti, ut egenum levet. *l.* 3, *f.* 19.
Miſero levamen miſerioris eſt malum. *l.* 2, *f.* 30.
Modeſta ſpecies non hominem ſanctum probat. *l.* 4, *f.* 5.
Modeſtia nocet hominibus doctis: valent
Artes ineptæ, quas juvet impudentia. *l.* 8, *f.* 17.
Mors ſæpe, omiſsis fortibus, inertes petit. *l.* 15, *f.* 23.
Mortem innocenti qui parat, jure hanc ſubit. *l.* 2, *f.* 28.
Mos his pigrorum eſt, ut bona, quibus indigent,
Nolint parare, ubi queunt; ubi nequeunt, velint. *l.* 11,
Multi ſceleſtos exſecrantur, qui, ſimul
Occaſio data eſt, quodlibet faciunt ſcelus. *l.* 11, *f.* 27.
Multis neceſſe eſt vexari, ne torpeant. *l.* 4, *f.* 27.

N.

NEMO eſſe felix ſimul & infamis poteſt. *l.* 4, *f.* 9.
Nemo eſt tam ineptus, a perito qui Duce
Ad aliquid aptus inveniri non queat. *l.* 6, *f.* 13.
Ne monitione inutili miſerum increpes,
Natura prohibet, nomine hoc, quia eſt miſer. *l.* 1, *f.* 1.
Nil dare volenti facilè cauſa ſuppetit. *l.* 9, *f.* 38.
Nil perdit, id qui perdit, quo uti neſciat. *l.* 5, *f.* 24.
Nil uſus adjuvat, ubi deeſt prudentia. *l.* 6, *f.* 21.
Nocitura numquam eſt certiùs malignitas,
Quàm cùm perſonam lenitatis induit. *l.* 7, *f.* 1.
Non facilè omittes agere, quod diu egeris. *l.* 11, *f.* 16.

Non magna, mi homo, ſunt, magna quæ tu judicas :
Exſpecta, minima mox videbuntur tibi. *l.* 12, *f.* 23.

Non ſemper infitiari licet, ubi non liquet. *l.* 8, *f.* 5.

Nos cautiores cùm facit infortunium,
Tunc aliquis ipſo fructus e damno redit. *l.* 4, *f.* 3.

Numquam relinque, rite quod ſuſceperis,
Vivendi honeſtum, ſit licèt miſerum, genus. *l.* 15, *f.* 31.

Nullus alienum reput & homo hominis malum. *l.* 6, *f.* 3.

O.

OBJICERE ſtultum eſt ea, quæ peccas maximè. *l.* 13, *f.* 13.

Obſcura vita diſplicet, illuſtris nocet. *l.* 1, *f.* 8.

Omnes tacere, Dis loquentibus, decet. *l.* 13, *f.* 22.

Opem a beato promptam ne exſpectet miſer. *l.* 12, *f.* 18.

Ornatus auget ipſe turpitudinem. *l.* 5, *f.* 29.

P.

PAX fraudulenta bello ipſo damnosior. *l.* 3, *f.* 9.

Periculosâ ne beneficium morâ
Corrumpe lentus; at juva citò, quem juvas. *l.* 9, *f.* 20.

Periculosis conſiliarius frequens
In rebus aderit, exſecutor non item. *l.* 6, *f.* 7.

Periculoſum eſt adjuvare maleficum. *l.* 2, *f.* 14.

Periculoſùm eſt tenuibus, cùm dissident,
Potentiorem ad arbitrum recurrere. *l.* 7, *f.* 22.

Periculoſum eſt vitia quædam tollere. *l.* 10, *f.* 39.

Peſſumdari inopes, ubi potentium intereſt;
Facilè in grave ſcelus culpa mutatur levis. *l.* 1, *f.* 1.

Placere nulla conditio felix poteſt,
Cujus odioſus prævidetur exitus. *l.* 5, *f.* 19.

Plenis pericli ſedibus tantò magis
Malum propinquat, quò diutius abſuit. *l* 6, *f.* 8.

Plerique, facilè dimiſſum iri quæ putant,
Ubi vênit hora, poſſe dimitti negant. *l.* 12, *f.* 7.

Plerique nova veteribus ideo præferunt,
Quia nova; vetera, quia vetera ſunt, reſpuunt. *l.* 14, *f.* 6.

Plerumque contra, quàm fas & ratio velint,
Lucem indoctus amat publicam, doctus fugit. *l.* 7, *f.* 9.

Plerumque dulci poſthabetur utile. *l.* 9, *f.* 39.

Plerumque recidit fraus in auctorem ſuum. *l.* 1, *f.* 6.

Potentiorum exempla tenuibus nocent. *l.* 1, *f.* 3.

Potentiorum ſævitia numquam magis
Odioſa, quàm cùm miſeros ludendo opprimit. *l.* 2, *f.* 40.

Prædicta ſtultis calamitas, tantummodo
Fidem facit, ubi jam propulſari nequit. *l.* 14, *f.* 11.

Præpoſtera nocet ſæpe diligentia. *l.* 11, *f.* 15.

Procerum ſuperbia deficit, cùm Rex adeſt. *l.* 8, *f.* 19.

Procraſtinatum ſensim abit periculum. *l.* 10, *f.* 3.

Pro laude ſtultus ſæpe contumeliam
Putat, eam si qua temperet feſtivitas. *l.* 12, *f.* 9.

Prudentiâ cavetur, ne eveniat malum:
Evênit? unâ oblivione vincitur. *l.* 10, *f.* 28.

Prudentia comes si non adfuerit, vigor
Nocet animique & corporis, nedum juvet. *l.* 12, *f.* 31.

Prudentia, nimis anxia, aliquando malum
Arceſsit ingens, damnum ut avertat leve. *l.* 5, *f.* 38.

Prudentia ullo cum hoſte congredi vetat,
Nisi antè nôris, quà minùs, quà plùs valet. *l.* 11, *f.* 5.

Prudenti & inſonti eſſe clanculum malus
Cùm desinit hoſtis, eſſe tunc bonus incipit. *l.* 4, *f.* 11.

Pugnare ſolos bellicoſos expedit:
Imbellium agmen officit, nedum adjuvet. *l.* 7, *f.* 6.

Pugnant ubi utilitas, facilè vincitur fides. *l.* 11, *f.* 17.

Q.

QUÆCUMQUE capere intelligendo non poteſt
Judex ineptus, ea plerumque deprimit. *l.* 9, *f.* 34.

Quàm multa, flores quæ tulerant pulcherrimos,
Ingenia, fructus aridissimos ferunt! *l.* 5, f. 39.

Quàm nunc malorum citò propagatur genus! *l.* 7, *f.* 3.

Quamvis acerba ſors erit, eam ſuſtine;
Ne pejor fiat, obtrectare si velis. *l.* 3, *f.* 30.

Quâ quis laborat, si queat cum pluribus
Communicare infamiam, reputet levem. *l.* 4, *f.* 17.

Quercum pusilla Myrtus everti videns,
Humilior eſſe, quàm fuit umquam, jam velit. *l.* 13, *f.* 11.

Qui captus eſt amore credulo ſui,
Quò ſtultior erit, hòc sibi placebit magis. *l.* 14, *f.* 23.

Quicumque mendax eſſe creditur, licèt
Aliquando verum dicat, haud facit fidem. *l.* 2, *f.* 6.

Quicumque nocuit, jure dat pœnas, magis
Animo nocendi, quàm ipsi noxiæ pares. *l.* 14, *f.* 3.

Quicumque timidus natus eſt, temerarium
Se facilè, fortem ſe probare non poteſt. *l.* 12, *f.* 10.

Quid pertinax efficere non possit labor? *l.* 14, *f.* 20.

Qui minimus, ſæpe ſummus eſt mali gradus. *l.* 4, *f.* 1

Qui ſe fatentur humiles, extollit Deus. *l.* 9, *f.* 32.

Qui ſocio ſubvenit, ille providet sibi. *l.* 2, *f.* 18.

Quiſquis es ab aliqua parte commendabilis,
Ne ſis ab alia vituperabilis, time. *l.* 1, *f.* 12.

Qui ſtatuit aliquem perdere inviſum ſibi,
Si juſta ratio nulla ſit, falſam invenit. *l.* 6, *f.* 1.

Quod cupimus, id verum eſſe, facilè credimus. *l.* 8, *f.* 24.

Quod non vituperat, laudat malevolentia. *l.* 5, *f.* 3.

Quod uni prodeſt, alteri ſæpe id nocet. *l.* 5, *f.* 20.

Quos maximè ceſſare vulgus judicat,
Ab his ſæpe opera maximè utilis datur. *l.* 3, *f.* 4.

Quot ſtrenuè olim magni pugnârunt Duces,
Ut latro pugnæ ferret omne præmium! *l.* 3, *f.* 29.

R.

RARÒ in periclis impius conſtat ſibi. *l.* 4, *f.* 22.

Ratio nocendi ſuppetit ſemper malis. *l.* 12, *f.* 22.

Rem bene gerendi quiſquis horam prorogat,
Bonis, quibus eget maximè, meritò caret. *l.* 10, *f.* 17.

Rem gerere ipſe poteſ? alios ne exſpectaveris. *l.* 3, *f.* 27.

Res dignitate prævalent, non copiâ. *l.* 4, *f.* 1.

Reverere, celsâ dignitate qui eminent:
Tenues ruina potentium ſæpe opprimit. *l.* 15, *f.* 11.

S.

SÆPE eſt benefici merces in beneficio. *l.* 12, *f.* 5.

Sæpe furioſi plùs ſibi, quàm aliis, nocent. *l.* 8, *f.* 20.

Sæpe furioſos proprius perdit furor. *l.* 8, *f.* 21.

Sæpe ibi voluptas, ubi neceſſitas fuit,
Paulatim ab ipſa naſcitur aſſuetudine. *l.* 6, *f.* 29.

Sæpe

Sæpe illud homines, ſufferendum quod foret,
Minuere ſtultè dum volunt, augent malum. *l.* 5, *f.* 2.

Sæpe juvat id, quod impedimentum putes. *l.* 10, *f.* 8.

Sæpius ubi omnia tuta ſunt, homines timent;
Et ſe, ubi timenda ſunt omnia, tutos putant. *l.* 12, *f.* 27.

Satius amicum habere nullum, quàm levem. *l.* 12, *f.* 20.

Scholarum in umbra qui latens placuit ſibi,
Placuiſſe ſtulto clara lux ſæpe hunc probat. *l.* 3, *f.* 13.

Scrutare, quid velit hoſtis: non ibi maximum
Semper, ubi maximè eminet periculum. *l.* 12, *f.* 6.

Serò parantur arma, cùm hoſtis ingruit. *l.* 3, *f.* 31.

Serpens, ſerpentem nisi voret, non fit draco. *l.* 10, *f.* 9.

Servâſſe ſummos, humilibus piaculum eſt. *l.* 1, *f.* 21.

Sibi ipſa ſemper aviditas nimia officit. *l.* 1, *f.* 26.

Sibi ipſa ſemper vana loquacitas nocet. *l.* 5, *f.* 13.

Si cum potente damnum expoſtulaverit
Tenuis, abibit ſæpius vix innocens. *l.* 15, *f.* 38.

Si tantùm ineptus, nec etiam fuerit malus,
Nihili menſuram troſſulus totam replet. *l.* 2, *f.* 33.

Solertia ſæpe virium præſtat vicem. *l.* 4, *f.* 18.

Species inanis imperitos decipit;
Peritus in re nil, nisi ipſam rem, videt. *l.* 10, *f.* 26.

Spes denique omnis infimos tunc deſerit,
Furor ubi comitem ſe poteſtati dedit. *l.* 7, *f.* 7.

Stultè appetentes, dum annuit, plectit Deus. *l.* 8, *f.* 28.

Stultitia comitem si fors arrogantiam
Habuerit, homines certum in exitium trahit. *l.* 4, *f.* 7.

Stultus inimico ſæpe amicus plus nocet. *l.* 1, *f.* 24.

Suam dolebit languida ſenectus vicem,
Laborioſa ni juventus præcavet. *l.* 1, *f.* 2.

Sudore vultûs & labore corporis
Collecta cœnam condit inſuavem fames. *l.* 5, *f.* 9.

Sui data anima, pro ſale, ne putreſceret. *l.* 10, *f.* 10.

Suis Fortuna quem ſaginavit bonis,
Non facilè emerget præſenti periculo. *l.* 2, *f.* 8.

Superbienti dixit Amarantus Roſæ:
Colore, odore vincor: at vivo diu. *l.* 2, *f.* 43.

Suſpecta laus, quam ſumma poteſtas obtinet. *l.* 6, *f.* 4.

Suus eſt petendus cuique conveniens locus. *l.* 14, *f.* 13.

Suus unicuique circumſcriptus eſt locus,
Quem præterire sine periclo non licet. *l.* 3, *f.* 12.

T.

TAM facinoroſa neminem vita inquinat,
Qui laude ſe aliquâ dignum non exiſtimet. *l.* 9, *f.* 37.

Tardat, hebetatque luxus hominum induſtriam. *l.* 3, *f.* 11.

Tenerior animus quamlibet factam sibi
Exaggerare offensiunculam ſolet. *l.* 1, *f.* 11.

Tenues homullos ad ſuam ſæpe accidit
Potentiorum exemplis perniciem trahi. *l.* 1, *f.* 3.

Tenues potentûm injurias diſcant pati,
Ne, si repugnent, gravius arceſſant malum. *l.* 13, *f.* 10.

Teſtudo ferre cogitur ſuam domum:
Sed utile quod eſt, inquit, haud grave eſt onus. *l.* 1, *f.* 4.

Torquenda non ſunt ingenia: noſter labor,
Natura cùm obſtat, officit, nedum juvet. *l.* 3, *f.* 14.

Trahit aliquando vitium, vel formâ truci
Horribile: quid agat ſpecie blandâ ſubdolum? *l.* 13, *f.* 2.

Tuta eſt bonorum vita, ubi mali dissident. *l.* 7, *f.* 17.

V.

VANA eſt docilitas, quæ caret ſapientiâ. *l.* 15, *f.* 29.

Vanâ intumeſcit gloriâ fecunditas,
Perfectione juſtâ si fetus carent. *l.* 5, *f.* 6.

Ubi eſt calamitas, eſſe ibi culpa creditur. *l.* 10, *f.* 31.

Ubi eſt voluptas, ibi periculum placet. *l.* 4, *f.* 19.

Ubi fingit aliquid eſſe venturum boni
Cupido cæca, negligit præſens malum. *l.* 4, *f.* 6.

Ubi ſemel animos blanda cepit vanitas,
Si veritas loquatur, amittit fidem. *l.* 11, *f.* 23.

Vetare ne mala inferantur, qui poteſt,
Et non vetat, idem, ac ipſe si inferret, facit. *l.* 7, *f.* 4.

Vide, quidquid agis, an res conveniat loco. *l.* 5, *f.* 31.

Videre ſano res, utì ſunt, fas erit. *l.* 10, *f.* 32.

Vivit beatus, qui latens vivit sibi. *l.* 10, *f.* 20.

Ultro fatetur memoriâ ſe defici
Quiſque: ſed ingenio quis carere ſe putat? *l.* 15, *f.* 12.

Ultro malevoli laudant, ubi laudem magis
Eſſe nocituram, quàm calumniam, ſciunt. *l.* 6, *f.* 24.

Unde redit ingens lucrum, ne impenſas dole. *l.* 6, *f.* 14.

Undique cavendum eſt; e loco minimè omnium
Suſpicioſo calamitas ſæpe advenit. *l.* 10, *f.* 19.

Vulpecula Cani: Partu me vincis quidem
Numeroſiore, catulos at cæcos paris. *l.* 5, *f.* 6.

AD FABULAS
ÆSOPIAS
NOTATIONUM LIBELLUS.

AD LIBRUM I.

PROL. V. 7. *Æſopum auctorem*] Unde fabulæ Æſopiæ dictæ ſunt. At multò ante Æſopum Heſiodus, atque ipsi etiam divinorum voluminum Auctores hoc ſcribendi genus adhibuerunt.

V. 30. *Moralis philoſophiæ*] Seneca, epiſt. 106. *Scis me moralem philoſophiam velle complecti.*

F. 1. Belluæ peſtilentiâ laborantes. La Fontaine, l. 7, f. 1. Martinus Dorpius, f. 473, de quo, ut de Car. Poreo, Nicolaoque Gerbelio nihil in præfatione memoravimus, quia eorum quilibet ſemel tantùm in toto opere citatus eſt.

V. 5. *Peſtis*] Vocem hanc poſſe rectè pro peſtilentia accipi, negaverat olim doctiſſimus vir Jo. Fred. Gronovius, obſervationum l. 3, c. 15, edit. 1639 : at poſtmodum, edit. 1662, ſeſe ipſe emendavit. Etenim Cicero, nat. Deor. l. 1, c. 36. *Ibes avertunt peſtem ab Ægypto.* Columella, l. 7, c. 7. *Ex calore & æſtu concepta peſtis univerſum pecus invaſit.* Atque etiam Ennius, edit. 1707, p. 142.

Hos peſtis necuit ; pars occidit illa duellis.

V. 6. *Belluarum*] Genus beſtiarum univerſum poſſe belluarum vocabulo appellari contra quàm pronuntiare auſus eſt quidam grammaticus, demonſtratum eſt nuper, in opuſculo gallico, exemplis maximè idoneis, quibus hæc addere licet : Cicero, Offic. l. 1, c. 4. *Inter hominem & belluam hoc maximè intereſt.* Idem ibid. l. 2, c. 4. *Quem ex quaque bellua uſum habere poſſemus ?* Varro, l. lat. l. 4, c. 10. *Jupiter mortales, belluaſque omnes juvat.*

V. 45. *Quaſi per nebulam*] Plautus, Pſeud. 1, 5, 47.

Sunt quæ te volumus percontari, quæ quaſi
Per nebulam noſmet ſcimus, audivimus.

Cicero, in Anton. 12, 2. *Quod videbam equidem, ſed quaſi per caliginem.*

V. ult. *Culpa levis*] Seneca, epiſ. 87. *Sacrilegia minuta puniuntur; magna in triumphis feruntur.*

F. 2. Formica & Cicada. La Fontaine, l. 1, f. 1. Benſerade, f. 63. Æſopus, f. 134. Aphtonius, f. 1. Faernus, f. 7. Burmannus, f. 27. S. Cyrillus, l. 1, f. 4.

F. 3. Aquila, Corvus, & Paſtor. La Fontaine, l. 2, f. 16. Benſerade, f. 77. Æſopus, f. 207.

F. 5. Ericius & Talpa. Benſerade, f. 72. Le Noble, f. 53, & com. act. 1, ſc. 4. Richer, l. 4, f. 15. Abſtemius, f. 72.

F. 6. Leo, Lupus, & Vulpis. La Fontaine, l. 8, f. 3. Æſopus, f. 72. Faernus, f. 99. Jaïus, t. 2, p. 741.

V. 20. *Deglubitur*] Suetonius, Tib. c. 32. *Reſcripſit, boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere.*

F. 10, v. ult. *Loco eſt*] P. Syrus:

Loco ignominiæ eſt apud indignum dignitas.

Ibid. *Honor datus*] Cicero, in Ver. 5, 14. *Quæſtor ſum factus, ut mihi honorem illum non ſolùm datum, ſed etiam creditum ac commiſſum putarem.*

F. 12. Gruis & Pavo. Benſerade, f. 106. Avienus, f. 15.

V. ult. *Vituperabilis*] Cicero, fin. bon. & mal. 3, 12. *Quod vituperabile eſt.* De Leg. 3, 10. *Conſulatus vituperabilis.*

F. 13. Mala aurea. Car. Poreus, fabulâ ineditâ. Locmanus, f. 23.

F. 14. Cucurbita, Glans, & Ruſticus. La Fontaine, l. 9, f. 4. Jaïus, t. 1, p. 753.

V. 18. *Evigilat*] *Evigilare* idem eſt aliquando, quod *expergiſci.* Statius, ſilv. 5, 3, 127.

Puppe magiſter
Excidit, & mediis miſer evigilavit in undis.

F. 15, v. 12. *Deformitatem indolis*] Cicero, Leg. 1, 19. *Animi deformitas.*

F. 16, v. ult. *Ab alio expectes*] P. Syri verſus ille eſt.

F. 17, v. 1. *Muſcipulo*] Phædrus, 4, 1, 17.

Qui ſæpe laqueos & muſcipula effugerat.

V. ult. *Nomine hoc*] Cicero, pro Roſc. com. 14. *An*

alio nomine & alia de cauſa? Serv. Sulpicius, apud Cic. fam. 4, 5. *Hoc nomine queri poſſis?*

F. 18. Aries & Taurus. Abſtemius, f. 79.

F. 19. Cancer & ejus filius. La Fontaine, l. 12, f. 10. Benſerade, f. 96. Aphtonius, f. 2. Gabrias, f. 50. Avienus, f. 3. Camerarius, f. 245.

V. 1. *Ut prorſus iret*] Prorsus ire, eſt rectà procedere. Plautus, Pſeud. act. 4, ſc. 1, v. ult.

Non prorſus, verùm ex tranſverſo cedit, quasi cancer ſolet. Porro Veteres accuratiùs, quàm nos, loquebantur, cùm ab illis cancri dicerentur ferri ex tranſverſo, *marcher de côté*, *aller à la bouline*, non autem retrogradi, *aller à reculons*, ut vulgò dicimus. Vide Sachsium, de Cancris, l. 1, c. 11, Sect. 11.

Ibid. *Retrogradum*] Plinius, 2, 17. *Mercurii sidus retrogradum in Tauro & Geminis.*

V. 3. *I præ; ſequar*] Terentii verba ſunt, And. 1, 1, 144.

F. 20. Agricolæ & Mercurius. La Fontaine, l. 5, f. 1. Benſerade, f. 91. Æſopus, f. 44. Faernus, f. 62. Jaïus, t. 2, p. 742.

V. 3. *Undas fontis.*] Ovidius, Met. 3, 407.

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis.

Virgilius, Georg. 2, 243.

Dulceſque a fontibus undæ.

F. 21. Aquila & Mus. Richer, l. 7, f. 5. Abſtemius, f. 70.

F. 22. Cycnus & Anſer. La Fontaine, l. 3, f. 12. Benſerade, f. 176. Æſopus, f. 74. Faernus, f. 25.

V. 15. *Ferre lumen*] Horatius, l. 1, epiſ. 2, v. 35.

Poſces ante diem librum cum lumine.

Quintilianus, Inſt. 5, 12. *In clarissimum ſolem mortale lumen inferre.*

V. 19. *Cantus*] Ariſtoteles, Hiſt. animal. 9, 12, olores, sive cycnos, dicit canere eſſe ſolitos, ac præſertim morti proximos. Vide Plinium, 10, 23, cui falſum hoc videtur.

F. 23, v. ult. *Læſo*] Hic P. Syri verſus eſt.

F. 24. Lupus ovillâ pelle indutus, & Paſtor. Abſtemius, f. 76.

F. 25. Ruſticus & Silva. La Fontaine, l. 12, f. 16.

Benſerade, f. 39. Anonymus Neveleti, f. 53. Hermannus, ed. R. Steph. p. 130. Gudius, f. 5.

F. 26. Canis & Lepores duo. Le Brun, l. 4, f. 21.

F. 27. Leo, Simius, & Vulpis. La Fontaine, l. 5, f. 4. Faernus, f. 97.

F. 28. Aquila & Sol. S. Cyrillus, l. 1, f. 2.

V. 4. *Abſque te eſſet.*] Plautus, Menæch. 5, 7, 33.

Nam absque te eſſet, hodie numquam ad ſolem occaſum
viverem.

Terentius, Phor. 1, 4, 11.

Absque eo eſſet, rectè ego mihi vidiſſem.

F. 29, v. 19. *Amicies piper*] Horatius, l. 2, epiſ. 1, v. ult.

Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

AD LIBRUM II.

FAB. 2. Cervus & Hinnuleus. Benſerade, f. 157. Æſopus, f. 56. Faernus, f. 23.

V. 4. *Capere vindictam*] Virgil. Æn. 2, 576; 12, 749. *Pœnam ſumere.* T. Livius, 2, 5. *Pœnam capere.* Ovidius, Pont. 4, 6. *Suſcipere vindictam.* Eumenius, Pan. Conſt. c. 10. *Vindictam ſumere.*

F. 3. Lepores & Ranæ. La Fontaine, l. 2, f. 14. Benſerade, f. 160. Æſopus, f. 57. Gudius, f. 2.

F. 4. Vulpecula & Gallina. Richer, l. 5, f. 20. Benſerade, f. 181. Hegemon, f. 11. Locmanus, f. 33. Gabrias, f. 65.

F. 5. Teſtudo & Aquila. Benſerade, f. 95. Æſopus, f. 61. Avienus, f. 2.

F. 6. Puer & Agricolæ. Richer, l. 6, f. 19. Le Noble, f. 141. Benſerade, f. 87. Æſopus, f. 270. Barlandus, ed. R. Steph. p. 144.

V. 7. *Quicumque mendax*] Phædrus, 1, 10, 1.

Quicumque turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.

F. 7. Bubulcus & Leo. La Fontaine, l. 6, f. 1. Hegemon, f. 21. Æſopus, f. 131. Faernus, f. 175.

F. 8. Grues & Anſeres. Richer, l. 2, f. 11. Æſopus, f. 60. Locmanus, f. 37.

V. 5. *Corporis onus*] Phædrus, 3, 7, 5.

Vel quo cibo feciſti tantum corporis?

F. 9. Mula. La Fontaine, l. 6; f. 7. Benſerade, f. 171. Æſopus, f. 140. Faernus, f. 29.

V. 6. *Ceſſaret*] Id eſt, moraretur. Cicero, pro Conſ. c. 7. *Si tabellarii non ceſſarint.* Phædrus, 1, 9, 5.

Quid ita ceſſarunt pedes?

V. ult. *Admonent fortis*] Livius 5, 51. *Adverſæ res admonuerunt religionum.*

F. 10. Mors & Ruſticus. La Fontaine, l. 1, f. 15-16. Deſpréaux, épigr. 31. Rouſſeau, poeſ. div. Æſopus, f. 20. Faernus, f. 10. Faber, f. 14. Jaïus, t. 2, p. 740.

V. 8. *Vitam auſpicatus*] Plinius, l. 7 procem. *Animal, ceteris imperaturum, a ſuppliciis vitam auſpicatur.*

F. 12. Agricola & ejus filii. La Fontaine, l. 4, f. 18. Benſerade, f. 93. Valla, ed. R. Steph. p. 56.

V. 10. *Unanimitas*] Livius, 4, 8. *Nullâ re magis, quàm unanimitate.*

F. 13. Tauri quatuor, & Leo. Benſerade, f. 108. Le Noble, f. 109. Aphtonius, f. 16. Avienus, f. 18. Faber, f. 1.

V. 1. *Quatuor*] Non modò litera *t* geminanda non eſt in voce *quatuor*, ut longa prima ſyllaba fiat, ſed etiam brevem umquam ab ullo vetere poëta factam illam fuiſſe non puto.

F. 14. Lupus & Ovis. Benſerade, f. 202. Æſ. f. 106.

V. 1. *Mulcatus*] Mulctare quidem, punire eſt; mulcare autem eſt malè tractare. Cicero, pro Mil. c. 14. *Qua in turba C. Vibienus ita eſt mulcatus, ut vitam amiſerit.* Terentius, Adel. 1, 2, 9.

Mulcavit usque ad mortem.

Vide not. ad l. 10, f. 31, v. 7.

V. 14. *Aquulam afferret*] Scio potum afferri ab ove non facilè poſſe: at fabularum ſcriptoribus multa hujuſcemodi condonanda ſunt.

F. 15. Gallina ova pariens aurea. La Fontaine, l. 5, f. 13. Benſerade, f. 120. Æſop. f. 136. Avienus, f. 33.

V. 4. *Homo meus*] Ita loquitur Phædrus, 5, 7, 32.

F. 26. Lupus & Anicula. La Fontaine, l. 4, f. 16. Benſerade, f. 94. Hegemon, f. 13. Æſopus, f. 138. Aphtonius, f. 39. Avienus, f. 1. Faernus, f. 76.

F. 17. Ovis & Cornicula. Benſerade, f. 63. Bar-

landus, ed. R. Steph. p. 145. Burmannus, f. 27.

V. 3. *Ferres infortunium*] Ita Terentius, Adel. 2, 1, 24.

F. 18. Aſellus & Equus. La Fontaine, l. 6, f. 16. Æſopus, f. 135. Faernus, f. 16. Burmannus, f. 14. Jaïus, t. 1, p. 745.

F. 19. Leo & Capra. Benſerade, f. 114. Le Noble, f. 158. Æſopus, f. 234. Avienus, f. 26.

F. 20. Leo ſenex, & Vulpis. La Fontaine, l. 6, f. 14. Benſerade, f. 55. Hegemon, f. 9. Æſopus, f. 137. Horatius, l. 1, epiſ. 1, v. 73. Faernus, f. 74. Faber, f. 6. Burmannus, f. 30.

F. 21. Fringuilla. Æſopus, f. 102. Faernus, f. 85.

F. 22. Ranæ duæ. Benſerade, f. 141. Æſopus, f. 19; f. 147. Faernus, f. 37.

F. 23. Cerva, Venator, & Leo. Æſopus, f. 64. Faber, f. 8.

F. 24. Formica & Columba. La Fontaine, l. 2, f. 12. Benſerade, f. 88. Æſopus, f. 41.

F. 25. Apes & ipſarum dominus. Æſopus, f. 85.

V. 13. *Tempore dextro*] Horatius, l. 2, ſat. 1, v. 18.

Niſi dextro tempore, Flacci,
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem.

F. 26. Aſinus ſilveſtris, & Aſinus domeſticus. Æſopus, f. 111.

F. 27. Mus in ciſtâ natus. Abſtemius, f. 1.

F. 28. Miluus & Agricola. La Fontaine, l. 6. f. 15. Benſerade, f. 36. Abſtemius, f. 3.

V. 2. *Miluus*] Jam diu eſt, cùm Giſanius, Lambinus, Gruterus, Voſſius, Gudius, Faber, & alii docuerunt, reperiri ſemper ſcriptum in optimis codicibus vel *Miluum*, vel *Milvum*, numquam verò *Milvium*.

F. 29. Femina mortem pro marito appetens. Richer, l. 3, f. 6. Benſerade, f. 195. Abſtemius, f. 60.

V. ult. *Veras voces*] Lucretius, 3, 57.

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur; & eripitur perſona, manet res.

F. 30, v. ult. *Levamen*] Lucretius, 2, 3.

Non quia vexari quemquam, eſt jucunda voluptas;
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.

F. 31. Lupus & Hyſtrix. Richer, l. 12, f. 9. Benſerade, 68., Abſtemius, f. 69, Jaïus, t. 1, p. 742.

V. 3. *Hyſtricem*] Plinius, 8, 35. *Hyſtricis generat India, & Africa, ſpinâ conte&#1;ctas, ac Herinaceorum genere: ſed Hyſtrici longiores aculei, &, cùm intendit cutem, miſſiles.* Calpurnius, Ecl. 6, 13.

Hirſutâ ſpinoſior Hyſtrice barba.

F. 32. Equus ægrotans & Canis. Richer, l. 3, f. 17. Le Noble, f. 140. Abſtemius, f. 64.

F. 33. Vir eruditus & Troſſulus. Richer, l. 8, f. 2. Benſerade, f. 199. Abſtemius, f. 75.

V. 6. *Numquam magis ſolum*] Cicero, Offic. 3, 1. *Numquam minùs ſolum* (Scipionem) *quàm cùm ſolus eſſet.*

F. 34. Canis infidelis & Paſtor. Abſtemius, f. 78.

F. 35. Lucius latè regnandi cupidus. Abſtemius, f. 82.

V. 4. *Riparum moras*] Virgilius, Æn. 9., 143.

Foſſarumque moræ.

V. 19. *Abſorbet*] Dicit Athenæus, 7, 28, lupis marinis eſſe caput prægrande: ipſoſque Horatius, l. 2, ſat. 2, v. 36, proceros vocat.

F. 36. Aſellus viridis. Abſtemius, f. 80.

F. 37. Leo & Rana. Æſopus, f. 37.

F. 38. Agricola & Fortuna. La Fontaine, l. 7, f. 14. Richer, l. 12, f. 13. Æſopus, f. 82. Avienus, f. 12.

V. 5. *Luctu inconſolabili*] Ovidius, Met. 5, 426.

Mœrens inconſolabile vulnus
Mente gerit tacitâ.

Cicero, ad fam. 4, 3. *Eſt omnino vix conſolabilis dolor.*

F. 39, v. 1. *Tulipam*] Flos eſt allatus è Turcia; qui quidem ante annos centum circiter & ſexaginta vocabatur gallicè, non *Tulipe*, ſed, ut etiamnum in Germania, *Tulipan*, propter ſimilitudinem ſuam cum pileo turcico, non *turban* apud Turcos, ſed, ut accepi, *Tulban* vocitato.

F. 40. Pueri & Ranæ. La Motte, l. 3, f. 5. Camerarius, f. 417.

V. 5. *Mulcant*] Vide not. ad f. 14, hujus libri.

F. 41. Piſces. Benſerade, f. 103. Æſopus, f. 157.

F. 42. Puer & Coluber. Benſerade, f. 8. Æſopus, f. 173. Phædrus, l. 4, f. 16. Mea autem hæc fabula, ſed & decima libri tertii, ac decima octava libri quarti imprudenter, & contra quàm propoſueram, concinnatæ à me atque editæ ſunt: eas etiam repudiare decreveram: at

poſtmodum eſſe hoc nomine ſervandas cenſui, quòd paulò diverſam a Phædria, neque tamen abſurdam, exhibere rationem viſæ ſunt.

F. 43. Roſa & Amarantus. Benſerade, f. 31. Æſopus, f. 279.

V. 4. *Amarantus*] Plinius, 21, 10. *Provenit Auguſto menſe: durat in autumnum.... & hibernas coronas facit.*

V. ult. *Contingit horum simile*] Phædrus, 4, 23, 9.

Quid horum simile tibi contingit, ruſtica?

F. 45, v. 1. *Magni maris*] Cicero, Som. Scip. c. 6. *Terra circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quem Oceanum appellatis.* Plinius, 3, 5. *Atlanticum, ab aliis Magnum.*

AD LIBRUM III.

PROL. v. 2. *Noſtri priores*] Phædrus, 4, 19, 16.

Abiturus illuc, quò priores abierunt.

Plinius jun. l. 3, epiſ. 4. *Veniebat in mentem, priores noſtros*, &c.

V. 11. *Igitur*] Quintilianus, Inſt. 1, 5. circ. med. dicit poſſe dubitari, an vox *igitur* initio ſermonis rectè ponatur: ipſe tamen orditur libri 8 caput 1 ab hac eadem voce. Atque ita Plautus, Salluſtius, Nepos, Phædrus, Tacitus.

F. 1. Sol & Aquilo. La Fontaine, l. 6, f. 3. Hegemon, f. 6. Camerarius, f. 360. Faber, f. 18. Jaïus, t. 1, p. 741.

F. 2. Agricola & Ciconia. Benſerade, f. 86. Æſopus, f. 175.

V. 12. *Subibis necem*] Lucretius, l. 6, v. 144.

Optimus hoc leti genus ergo quisque ſubibat.

F. 3. Piſcator & Piſciculus. La Fontaine, l. 5, f. 3. Benſerade, f. 111; f. 136. Æſopus, f. 124. Avien. f. 20.

V. ult. *Pretio ſpem non emo*] Verba ſunt Terentii, Adel. 2, 2, 11, quorum quidem ſenſus eſt: Ego bonum præſens pro lucro incerto non paciſcor.

F. 4. Membra & Venter. La Fontaine, l. 3, f. 2. Benſerade, f. 42. Anonymus Neveleti, f. 55. Regnerius, l. 2, f. 4. Faber, f. 17. Jaïus, t. 2, p. 752. Quintilianus, Inſt. 5, 11. *Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxiſſe notâ illâ de mem-*

bris humanis adverſus ventrem diſcordantibus fabulâ.

V. 15. *Ceſſare*] Id eſt, nihil agere. Ita ſæpe apud Ciceronem.

F. 5. Canis & Bos. Richer, l. 7, f. 3. Benſer. f. 74. Le Noble, f. 56. Barlandus, ed. R. Steph. p. 145. Camerarius, f. 241.

V. 2. *Hirrient*] Feſtus : *Hirrire, quod genus vocis eſt canis rabioſæ.* Sidonius Apollinaris, l. 4, epiſ. 7. *Eſt canibus innatum, ut, etsi non latrant, tamen hirriant.*

F. 6. Puer & Fortuna. La Fontaine, l. 5, f. 11. Benſerade, f. 170. Æſ. f. 56. Rimicius, ed. R. Steph. p. 191.

F. 7. Camelus & Jupiter. Benſerade, f. 100. Æſopus, f. 200. Avienus, f. 8.

F. 8. Lupus & Hædus. La Fontaine, l. 4, f. 15. Benſerade, f. 27. Anonymus Neveleti, f. 29. Hermannus, ed. R. Steph. p. 122. Burmannus, f. 32.

V. ult. *Tenues*] Cicero, in Verr. 1, 47. *Quemadmodum tenuiſſimum quemque contempſerit.* Pro Mur. c. 23. *Commoti animi ſunt tenuiorum.*

F. 9. Oves & Lupi. La Fontaine, l. 3, f. 13. Benſerade, f. 38. Æſopus, f. 241. Aphtonius, f. 21. Hermannus, ed. R. Steph. p. 130. Camerarius, f. 218. Burmannus, f. 21. Jaïus, t. 2, p. 745.

F. 10. Vulpis & Caper. La Fontaine, l. 3, f. 5. Benſerade, f. 51. Æſopus, f. 4. Phædrus, l. 4, f. 8. Vide not. ad l. 2, f. 42.

V. 1. *Caper*] Qui & Hircus verſu 17° appellatur. Servius, ad Virg. Ecl. 3, v. 10. *Tragœdiæ præmium Caper fuerat.* Horatius :

Carmine qui tragico vilem certavit ob Hircum.

Virgilius, Ecl. 7, v. 7 :

Vir gregis ipſe Caper....

Conf. Ecl. 7, v. 7. Georg. 2, 380 ; & Hor. Ep. 10, v. 23.

F. 11. Mulier & Gallina. Benſerade, f. 213. Æſopus, f. 24. Valla, ed. R. Steph. p. 57. Faber, f. 12.

F. 12. Cancer & Vulpis. Æſopus, f. 95.

F. 13. Musicus. Æſopus, f. 96.

V. 8. *Tertios gradus*] Vitruvius, 5, 6. *Gradus ſpectaculorum, ubi ſubſellia componantur* ; 5, 7. *Orcheſtra inter gradus imos.*

F. 14. Asinus & Canis. La Fontaine, l. 4, f. 5. Benſe-

rade, f. 15. Hermannus, ed. R. Steph. p. 116, Burmannus, f. 10. Jaïus, t. 2, p. 747.

V. 20. *Provomit*] Lucretius, 6, 446.

Turbinis immanem vim provomit, atque procellæ.

V. 24. *Commitigavit*] Terentius, Eun. 5, 8, 4.

Utinam tibi videam commitigari ſandalio caput!

V, 26. *Torquenda*] Cicero, pro Cælio, c. 6. *Naturam torquere.* Phædrus, 4, 19, 21.

Quid mente cæcâ miſerum torques ſpiritum?

F. 15. Bos & Vitula. Benſerade, f. 162. Furetiere, f. 12. Æſ. f. 177. Avienus, f. 36. Comm. t. 1. p. 319.

F. 16. Leo filiam Ruſtici amans. La Fontaine, l. 4, f. 1. Benſerade, f. 9. Æſopus, f. 225.

F. 17. Culex, Leo, & Aranea. La Fontaine, l. 2, f. 9. Benſerade, f. 105. Æſopus, f. 149.

F. 18. Columbæ & Accipiter. Anonymus Neveleti, f. 22. Camerarius, f. 202.

F. 19. Simia & Vulpis. Richer, l. 10, f. 16. Benſerade, f. 43. Le Noble, f. 125. Anonymus Neveleti, f. 56. Hermannus, ed. R. Steph. p. 131. Regnerius, l. 2, f. 5. Burmannus, f. 22.

V. 1. *Simia*] Iſidorus, Orig. l. 12, c. 2. *Simiarum genera quinque ſunt: ex quibus Cercopitheci caudas habent.* Martialis, 14, 220.

Callidus emiſſas eludere Simius haſtas,
Si mihi cauda foret, Cercopithecus eram.

F. 20. Auceps, Palumbus, & Serpens. Benſer. f. 148. Æſopus, 32.

F. 21. Aſellus, ejusque Herus. Benſerade, f. 97. Le Noble, f. 23. Avienus, f. 5. Barlandus, ed. R. Steph. p. 156. Camerarius, f. 155.

F. 22. Taurus & Caper. Benſerade, f. 104. Æſopus, f. 281. Gabrias, f. 40. Avienus, f. 13.

F. 23. Corvus & Urna. Richer, l. 12, f. 13. Benſerade, f. 115. Le Noble, f. 172. Avienus, f. 27. Camerarius, f. 255. Plinius, 10, 43, qui hanc hiſtoriam de Corvo narrat, non de Cornice, ut Avienus & alii.

V. 2. *Aqua brevior*] Virg. Æn. 1, 114.

In Brevia & Syrtes urget.

5, 220.

Et primùm in ſcopulo luctantem deſerit alto

Sergeſtum, brevibusque vadis.

F. 24. Venator & Leo. La Fontaine, l. 3, f. 10. Benſerade, f. 59. Æſopus, f. 223. Aphtonius, f. 34. Avienus, f. 24. Faber, f. 7. Burmannus, f. 25.

F. 25. Corvus & Serpens. Le Noble, f. 103. Æſopus, f. 100. Faernus, f. 24.

F. 26. Ruſtici & Sarmenta. La Fontaine, l. 4, f. 10. Æſopus, f. 110. Porro Sarmenta iſta longinqua, non ex ipsa, quæ immittitur in oculos, ſpecie, ſed ex imaginandi vi æſtimantur. Malè ergo Richerius, præfationis, pag. 14, narrationem hanc veriſimilem non eſſe, pronuntiavit.

F. 27. Avis, ejusque Pulli, & Villicus. La Fontaine, l. 4, f. 22. A. Gellius, l. 2, c. 29. Avienus, f. 21. Faernus, f. 96. Menagius, f. 1.

V. *In ſegete*] Seges apud ſcriptores antiquos ſæpe ſignificat agrum aratum, conſitumque. Vide Varronem, de re ruſt. 1, 29; & Feſtum, voce *ſeges*; & Ciceronem, de Seneƈt. c. 15; Orat. c. 15. Tuſcul. l. 2, c. 5.

V. ult. *Ne exſpeƈtaveris*] Ennius, apud A. Gellium, loco iam citato.

Ne quid exſpeƈtes amicos, quod tute agere poſſies.

F. 28. Crocodilus & Vulpis. Benſerade, f. 139. Æſopus, f. 9.

F. 29. Urſus, Leo, & Lupus. Benſerade, f. 143. Le Noble, f. 111. Camerarius, f. 39.

V. 10. *Defeƈti viribus*] Tibullus, 2, 5, 76.

Ipſum etiam ſolem defeƈtum lumine vidit.

Phædrus, 5, 6, 2.

Acceſſit alter æquè defeƈtus pilis.

F. 30. Aſinus dominos mutans. La Fontaine, l. 6, f. 11. Benſerade, f. 144. Æſopus, f. 45. Faernus, f. 69. Jaïus, t. 1, p. 751.

V. 7. *Tegelas*] Prima ſyllaba hujus vocis eſt omnino longa.

V. 9. *Mutare dominum*] Phædrus, 1, 15, 2.

Nil, præter domini nomen, mutant pauperes.

F. 31. Aper & Cerva. Richer, l. 6, f. 18. Benſerade, f. 158. Le Noble, f. 130. Æſopus, f. 54. Faernus, f. 78.

V. 1. *Dentium ſicas*] Plinius, 18, 1. *Cùm arbore exacuant, limentque cornua Elephanti & Uri: ſaxo Rhi-*

noctrotes : & utroque Apri dentium sicas.

F. 32. Aſinus & Equus. Benſerade, f. 165. Æſopus, f. 58. Faernus, f. 84.

F. 33. Æthiops. Benſerade, f. 101. Le Noble, f. 3. Æſopus, f. 75. Locmanus, f. 17.

F. 34. Muſcæ. Æſopus, f. 89.

F. 35. Veſpertilio & Muſtelæ duæ. La Fontaine, l. 2, f. 5. Æſopus, f. 109. Faernus, f. 77.

V. 2. *Veſpertilio*] Varro, in Agathone:

Quid multa? factus Veſpertilio ſum: neque
In muribus, neque planè ſum in volucribus.

Auctor Philomelæ:

Strix nocturna ſonans, & Veſpertilio ſtridens.

V. 27. *Ingenium verſatile*] Tale ingenium fuiſſe Catoni cenſorio, teſtatur Livius, 39, 40.

F. 36. Hædus & Lupus. Richer, l. 12, f. 4. Benſerade, f. 58. Le Noble, f. 182. Launay, f. 17. Æſ. f. 139.

F. 37. Tubicen & Hoſtes. Benſerade, f. 161. La Motte, l. 2, f. 18. Æſopus, f. 142. Avienus, f. 39. Valla, ed. R. Steph. p. 59.

V. 4. *Hominem neminem*] Cicero, ad Fam. 12, 55. *Ut hominem neminem pluris faciam*; Tuſcul. 1, 41. *Hominem quidem ſcire arbitror neminem.*

F. 38. Accipiter & Cuculus. Abſtemius, f. 7. Camerarius, f. 292.

V. 5. *Aviculas*] Varro, de L. lat. l. 7, c. 40. *Minima in quibuſdam non ſunt, ut avis, avicula, avicella: caput, capitulum, capitellum.* Hunc locum magnus ille Joſephus Scaliger non intellexit. Senſus eſt Varronis, non dici latinè neque *avicellam*, neque *capitellum*, quamvis & *aviculam* & *capitulum* dicamus.

F. 39. Capones duo. Abſtemius, f. 10.

F. 40. Aranea & Hirundo. La Fontaine, l. 10, f. 7. Abſtemius, f. 4.

V. 3. *Volans*] Plinius, 10, 24. *Hirundo ſola avium non niſi in volatu paſcitur.*

F. 41. Vulpis & Ericius. La Fontaine, l. 12, f. 13. Hegemon, f. 19. Faernus, f. 17. Camerarius, f. 397. Menagius, f. 4.

F. 42. Struthiocamelus altùm volandi cupidus. Camerarius, f. 268.

V. 2. *Se ſubsilire*] Plinius, 10, 1. *Grandissimi, & penè beſtiarum generis, Struthiocameli. . . , ceterò non ſunt volucres, nec a terra tolluntur.*

AD LIBRUM IV.

PROL. v. 9. *Menippeas*] Suas Varro Satiras a Menippo, philoſopho cynico, Menippeas appellavit.

V. 13. *Varro*] Seneca, conſol. ad Helv. c. 8. *Varro doctissimus Romanorum.* A. Gellius, 3, 10, Varronis de ſeptenario numero librum exponens : *Tum*, inquit, *ibi addit, ſe quoque jam duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe, & ad eum diem ſeptuaginta hebdomadas librorum conſcripsiſſe.* Id eſt, ſe perveniſſe jam ad annum vitæ quartum & octogesimum, libroſque nonaginta ſupra quadringentos conſcripsiſſe.

V. 20. *Communem*] Varronis ipsius verſus ille eſt.

V. 24. *Obruit*] Turbo Cordubensis hîc significat importunam illam eloquentiam, quam, veluti quemdam turbinem, immisit Latio Corduba. Martialis, 1, 61.

Duoſque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Quintilianus, Inſt. 10, 1, de eloquentia Senecæ philoſophi : *Corrupta pleraque, atque eò perniciosissima, quòd abundant dulcibus vitiis.*

V. 30. *Indicet*] Seneca, conſol. ad Polyb. c. 27. *Non audeo te usque eò producere, ut fabellas quoque, & Æſopeos logos, INTENTATUM ROMANIS INGENIIS OPUS, ſolitâ tibi venuſtate connectas.*

F. 1. Sus & Leæna. Æſopus, f. 219. Faber, f. 11. Commirius, t. 2, p. 224.

F. 2. Puer & Paſſer fugitivus. Abſtemius, f. 43. Camerarius, f. 314.

F. 3. Paſtor & Mare. La Fontaine, l. 4, f. 2. Benſerade, f. 152. Æſopus, f. 49. Valla, ed. R. Steph. p. 61.

V. 2. *Pellaciâ*] Lucretius, 2, 556.

Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti.

F. 4. Leo, Asinus, & Vulpis. Richer, l. 2, f. 10. Benſerade, f. 163. Æſopus, f. 38. Faernus, f. 3. Targa, f. 13. Verdizotti, p. 175.

F. 5. Muſculus & Felis. Abſtemius, f. 67.

F. 6. Invidus & Avarus. Richer, l. 8, f. 21. Benſer. f. 219. Avienus, f. 22. Camerarius, f. 252.

F. 7. Gallus, Aſinus & Leo. Richer, l. 12, f. 11. Benſerade, f. 53. Le Noble, f. 187. Æſopus, f. 66. Targa, f. 123.

V. 3. *Tergeat*] Horatius, l. 2, ſat. 2, v. 23.

Gallinâ tergere palatum.

V. 10. *Virtutem dedit*] Vide Lucretium, 4, 714. Quin & Plinius, 8, 16, de Leone loquens: *Atque hoc*, inquit, *tale, tam ſævum animal gallinaceorum criſtæ, cantuſque etiam magis, terrent.* Sed hoc eſſe falſum contendit La Boulaye le Gouz, peregrinationum parte 2a, c. 53.

F. 8, v. 1. *Carnem rapuerat*] Phædrus, 1, 4, 2.

Canis per flumen carnem dum ferret natans.

V. 3. *Raptam*] Non vi ſed furto. Ita Horatius, l. 1, epiſt. 17, v. 55.

Sæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis....

V. 20. *Decretoriam*] Vide Senecam, de Clem. 1, 14, & ejuſdem epiſtolam 102; & Lipsium ad utrumque locum.

V. 25. *Dapem*] Sic Horatius, l. 1, epiſt. 17, v. 51, vocat prædam quâ potitus eſt Corvus.

V. ult. *Fatetur*] P. Syri verſus ille eſt.

F. 10, v. 2. *Lege moriendi*] Qualem nempe ſanxiſſe finguntur belluæ rapaces in pecudes quas prædari potuerint.

F. 11, v. 3. *Odium frangere*] Id eſt moderari. Conſule Quintilianum, Inſt. l. 9, c. 4; l. 10, c. 3. Lucanum, l. 1, v. 222; l. 5, v. 705. Silium, l. 1, v. 262, & Ciceronem, de Orat. l. 1, c. 19.

F. 11, v. 10. *Eſſe clanculum malus, &c*] Eodem ferè modo P. Syrus.

Apertè mala cùm eſt mulier, tum demum eſt bona.

V. 11. *Hoſtis*] Terentius Hec. 5, 2, 23. *Nupta meretrici hoſtis eſt.* Atque ad hunc locum Donatus: *Hoſtis*, *ſcilicet inimica.*

F. 12, v. 1. *Catellam*] Catellæ vox latina eſt, & ad canem pusillam ſignificandam idonea, quippe quam uſurpavit eo ſenſu Martialis tribus locis, atque etiam

Cicero, Divin. 1, 46, ut teſtantur manuſcripti Codices multi & editio Mediolanenſis, anni 1498.

F. 13, v. 6. *Faciant ad*] Martialis, 10, 45.

Non facit ad ſtomachum noſtra lagena tuum.

F. 14. Muſca, Trochilus, & Troſſulus. Benſerade, f. 31. Le Noble, f. 197. Abſtemius, f. 16. Faernus, f. 45. Camerarius, f. 492.

V. 10. *Trochilus*] Regulus vulgò dicitur. Plinius, 10, 74. *Dissident Aquila & Trochilus, si credimus, quoniam Rex appellatur avium.*

V. 12. *Troſſulorum*] Troſſulus Senecæ, epiſt. 87, & Persio, 1, 82, ferè illud eſt, quod nos vocamus *petit-maître*, *talon rouge.*

V. 15. *Vivat, an*] Cicero, in Ant. 13, 16. *Vivat, an mortuus sit, quis aut ſcit, aut curat?*

F. 15. Avarus & Theſaurus. La Fontaine, l. 4, f. 20. Benſerade, f. 156. Æſopus, f. 59. Faernus, f. 48.

V. ult. *Tam deeſt avaro*] P. Syri verſus ille eſt.

F. 17. Vulpis sine cauda. La Fontaine, l. 5, f. 5. Benſerade, f. 166. Æſopus, f. 7. Faernus, f. 61. Jaius, 2, p. 744.

F. 18. Muſtela & Mures. Barlandus, ed. R. Steph. p. 146. Phædrus, l. 4, f. 1. Vide not. ad l. 2, f. 42.

F. 20. Anicula & ejus Ancillæ. La Fontaine, l. 5, f. 6. Benſerade, f. 164. Æſopus, f. 179.

F. 21. Vulpis, Asinus, & Leo. Richer, l. 4, f. 16. Æſopus, f. 116. Faernus, f. 82. Camerarius, f. 481.

F. 22. Miluus ægrotans. Æſopus, f. 132. Faernus, f. 13. Gudius, f. 1.

F. 23. Pardus & Vulpis. Benſerade, f. 121. Bourſault, com. 2, act. 3, ſc. 3. Hegemon, f. 16. Æſ. f. 162. Avienus, f. 40.

V. 1. *Cavillâ*] Plautus, Aul. 4, 4, 11.

Aufer cavillam; non ego nunc nugas ago.

F. 24. Deus ligneus. La Fontaine, l. 4, f. 8. Benſerade, f. 83. Æſopus, f. 128.

V. 2. *Paganus*] Cicero, pro Domo, c. 28, Paganos vult eos intelligi cives ex infima plebe, qui pagos ſuburbanos incolebant.

F. 25. Juvenes duo & Urſus. La Fontaine, l. 5, f. 20. Benſerade, f. 101. Æſopus, f. 253. Avienus, f. 9. Abſtemius, f. 49.

V. 1. *Tranſegerant*] Cicero, ad Attic. 2, 4. *Cura, ut cum Titinio transigas.* Calvinus, Lexico Juridico: *Transigere verbum uſurpatur generaliter pro quavis conventione.* Vide Ciceronem, pro Cluent. c. 39, Tacitum de Mor. Germ. c. 19; & Terent. Andr. v. ult.

V. 2. *Stipulantibus*] Cicero, pro Roſc. com. c. 4. *Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? Quis ſpopondiſſe me dicit?*

F. 26, v. 4. *Nimietate*] Columella, 6, 24. *Nimietate verni pabuli pecudes exhilaratæ laſciviunt.* Palladius, 3, 12. *Vitem nimietate fetûs onerant.*

V. 9. *Corporis obesitate*] Idem ibid. *Nimia corporis obesitas.*

F. 27. Puer & Turbo. Regnerius, l. 1, f. 10.

V. 1. *Turbinem exercet*] Vide Virgilium, Æn. 7, 378.

V. 4. *Plagæ darent*] Virgilius, ibid. v. 380.

Dant animos plagæ.

Cicero, pro Flac. c. 27. *Eſt proverbium, Phrygem plagis fieri ſolere meliorem.*

F. 28. Leo, Agnus, & Cerva. Æſopus, f. 228.

AD LIBRUM V.

PROL. v. 24. *Æmulatio*] Cicero, Tuſcul. 4, 8. *Imitatio virtutis, æmulatio dicitur.*

V. ult. *Extrema*] Lege: *non ultima.*

F. 1. Camelus. La Fontaine, l. 4, f. 10. Æſ. f. 128. Faernus, f. 18.

V. 6. *Bilem*] Plinius, 11, 37. *Fel Cameli non habent.*

F. 3, v. 2. *Probra ingeſſerat*] Livius, 2, 45. *Concurſant portis, ingerunt probra.*

F. 4. Carbonarius & Fullo. Richer, l. 6, f. 15. Benſer. f. 123. Æſopus, f. 12. Faernus, f. 63.

F. 5. Cervus & Vitis. La Fontaine, l. 5, f. 15. Benſer. f. 175, Æſopus, f. 65. Faernus, f. 70. Jaïus, t. 1, p. 751. Verdizotti, p. 270.

F. 6. Canis & Vulpis. Æſopus, f. 69.

V. 3. *Cacos paris*] Vide Plinium, 8, 40.

F. 7. Ager, in quo Theſaurus. La Fontaine, l. 5, f. 9. Benſerade, f. 169. Æſopus, f. 22. Faernus, f. 35. Jaïus, t. 1, p. 753. Targa, f. 93.

V. 12. *Quàm longa eſt dies*] Virgilius, Æn. 4, 193.

Nunc hiemem inter ſe luxu, quàm longa, fovere.

F. 8, v. 1. *Collineans*] Collineare, eſt ictum rectâ lineâ ad id, quod propoſitum eſt, dirigere. Vide Ciceronem, De fin. bon. & mal. 3, 6, & Divin. 2, 59.

F. 9, v. 18. *Satullum*] Varro, de re ruſt. 2, 2. *Agni ſatulli lacte.*

F. 10. Gallina & ova Crocodili. Le Noble, f. 88. Æſopus, f. 117. Faernus, f. 79.

V. *Ova Crocodili*] Plinius, 8, 25. *Crocodilus parit ova, quanta Anſeres.*

F. 11. Vulpis & Rubus. Le Noble, f. 179. Gabrias, f. 8. Camerarius, f. 369. Targa, f. 61. Verdizotti, p. 257.

V. 1. *Agitata*] *Excitare* & *agitare*, ſunt verba venatica. Vide Ciceronem, Offic. 3, 17. Horatium, l. 2, Od. 13, v. 39, & alios.

F. 12. Piſcator & Thunnus. Æſopus, f. 17.

F. 13. Delphinus & Simius. La Fontaine, l. 5, f. 7. Benſerade, f. 116. Æſopus, f. 88. Faernus, f. 36.

F. 14. Fures & Gallus. Richer, l. 8, f. 9. Æſ. f. 97.

V. 5. *Tantò magis moriere*] Terentius, And. 4, 4, 35.

Suam gnatam non dabit? Tantò hercle magis dabit.

F. 15. Corvus, Aſellus, & Agaſo. Æſopus, f. 115, Faernus, f. 89.

F. 16. Amnis & Fons. Benſerade, f. 184. Bourſault, com. 2, act. 3, ſc. 9. Abſtemius, f. 57.

F. 17. Culex & Taurus. Richer, l. 2, f. 8. La Motte, l. 1, f. 13. Æſopus, f. 217. Faber, f. 13. Burm. f. 31.

F. 19. Sus opima. Camerarius, f. 276.

F. 20. Cera & Later. Abſtemius, f. 54. Camerarius, f. 319.

F. 21. Lupus & Mulus. La Fontaine, l. 5, f. 8: l. 12, f. 17. Camerarius, f. 235. Menagius, f. 5. Jaïus, t. 2, p. 148.

V. 3. *O qui vocaris ?*] Vide Terentium, Adel. 5, 6, 3, & Virgilium, Æn. 1, 326.

F. 22. Fluvii duo, alter perſtrepens, alter ſilens. Camerarius, f. 290.

F. 23. Pica & Columba. Abſtemius, f. 6.

F. 24. Avarus & ejus filius. Abſtemius, f. 179.

F. 25. Arbores. Abſtemius, f. 12.

F. 28. Bubulcus & Hercules. La Fontaine, l. 6, f. 18. Avienus, f. 32. Faernus, f. 91. Camerarius, f. 359.

F. 30. Leo & Muſculus. La Fontaine, l. 2, f. 10. Benſerade, f. 16. Æſopus, f. 221. Gudius, f. 4. Jaïus, t. 1, p. 743.

V. 2. *Laſciviendo*] Ovidius, Met. 7, 320.

Exsilit agnus,
Laſcivitque fugâ.

Columella, 6, 24. *Pecudes exhilaratæ laſciviunt.*

V. 9. *Rudere.* Virgilius, Æn. 7, 16.

Hinc exaudiri gemitus, iræque Leonum,
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum.

F. 31. Aſellus onuſtus ſale, deinde ſpongiis. La Fontaine, l. 2, f. 10. Benſerade, f. 179. Æſopus, f. 258. Faernus, f. 6.

F. 32. Cucurbita & Arbor. S. Cyrillus, l. 3, f. 4. Camerarius, f. 274. Commirius, t. 1, p. 316.

F. 33. Lepus & Teſtudo. La Fontaine, l. 6, f. 10. Benſerade, f. 67. Æſopus, f. 292. Locmanus, f. 20. Jaïus, t. 1, p. 714.

V. *Avibus bonis*] Ovidius, Met. 5, 640.

Ite bonis avibus.

F. 35. Caſeus & Felis. Le Noble, f. 21. Abſtem, f. 116. Camerarius, f. 140. Vide & Menotum, ſerm. quadrag.

V. ult. *Damnum dabunt*] Terentius, And. 1, 1, 116.

Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum.

F. 36. Lupi fides. Camerarius, f. 459.

F. 37. Vulpis & Ericius. La Fontaine, l, 9, f. 14. Benſerade, f. 70. Camerarius, f. 394. Jaïus, t. 2, p. 241.

F. 38. Olitor & Sepes. Abſtemius, f. 189.

F. 39. Alba-ſpina & Ficus. S. Cyrillus, l. 2, f. 23.

F. 40. Sol & Noctua. Camerarius, f. 400.

F. 40. Amygdala & Pyrus. La Motte, l. 4, f. 2.

V. ult. *Ad frugem pervenire*] Vide Quintilianum, Inſt. 1, 3.

F. 42, v. 12. *Robuſtum malum*] Cicero, in Ant. 5, 2. *Omne malum naſcens facilè opprimitur, inveteratum fit plerumque robuſtius.*

V. ult. *Inſanabiles*] Livius, 28, 25. *Nihil triſtius, aut inſanabilius.* Seneca, de ira, 3, 41. *Jam inſanabilis eſt*

AD LIBRUM VI.

PROL. v. 9. *Manticam*] Catullus, 22, 20.

Suus cuique attributus eſt error :
Sed non videmus, manticæ quod in tergo eſt.

Horatius, l. 2, ſat. 3, v. 299.

Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.

Phædrus, 4, 8, 1.

Peras impoſuit Jupiter nobis duas :
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit ;
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem.

V. 26. *Mentis affectu*] Ovidius, Triſt. 4, 3, 31.

Nec dicere poſſum,
Affectum quem te mentis habere velim.

F. 2. Urſus & Uxor ejus. Abſtemius, f. 147.

F. 3. Boves & Lanius. Camerarius, f. 227.

V. ult. *Nullus alienum reputet*] Terentius, Heaut. 1, 1, 25.

Homo ſum : humani nihil a me alienum puto.

F. 4. Aquila & Pavo. Abſtemius, f. 107.

V. 4. *Propter Reginæ metum*] Id eſt, quia metuit Reginam. A Gellius, 9, 12. *Metus hoſtium rectè dicitur, & cùm timent hoſtes, & cùm timentur : itaque Salluſtius in hiſtoria prima METUM POMPEII dixit, non quòd Pompeius metueret, ſed quod metueretur.* Quintilianus, Inſt. 6, 2. *Metum duplicem intelligi volo, quem patimur, & quem facimus.*

V. 5. *Murmurat*] Id eſt, loquitur ita leviter, ut dicta non intelligantur. Vide Varronem, de L. Lat. l. 5, c. 7.

F. 5. Jupiter, Apollo & Momus. Benſerade, f. 209.

V. 1. *Quam quisque nôrit*] Verſus ille optimus Ciceronis eſt, Tuſcul. 1, 18, hanc porro fabulam sic olim duobus verſiculis expreſſimus :

Jupiter & Phœbus cantu certare parabant :
At Momus : Canat hic, inquit, & ille tonet.

F. 7. Murium conventus. La Fontaine, l. 2, f. 2. Benſerade, f. 103. Abſtemius, f. 195. Faernus, f. 47. Regnerius, l. 1, f. 1. Targa, f. 1. Verdizotti, p. 105.

V. ult. *Exſecutor*] Paterculus, 2, 45. *Malorum propoſitorum exſecutor acerrimus.*

F. 8. Ranunculus & Rana. Æſopus, f. 84. Faernus, f. 38. Targa, f. 2. Verdizotti, p. 108.

V. 3. *Incolam*] Phædrus pariter de Rana, 1, 6, 6.

Quædam tum ſtagni incola.

F. 9. Nitedula & Muſtela. La Fontaine, l. 3, f. 17. Benſerade, f. 47. Le Noble, f. 146; f. 180. Bourſault, com. 1, act. 1, ſc. 2. Gabrias, f. 47. Horatius, l. 1, epiſ. 7, v. 29. Æſopus, apud S. Hieronymum, epiſt. ad Salvinam.

V. 1. *Nitedula*] Mus agreſtis. Cicero, pro Sext. c. 33. *Ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempublicam conaretur arrodere.* Horatius, loco citato:

Fortè per anguſtam tenuis Nitedula rimam
Repſerat in cumeram frumenti.

V. 9. *Ad proprium larem*] Virgilius, Georg. 4, 43, de apibus.

Sub terra fodêre larem.

F. 10. Quercus & Arundo. La Fontaine, l. 1, f. 22. Benſerade, f. 65. Aphtonius, f. 36. Faernus, f. 50. Jaïus, t. 2, p. 743. Targa, f. 49. Verdizotti, p. 88.

V. 4. *Quid te fiet?*] Terentius, And. 4, 2, 26. *Quid me fiet?* Cicero, ad Att. 6, 1. *Quid illo fiet?* In Verr. 5, 40. *Quid Cleomene fiet?*

V. 12. *Frigido ab axe, &c.*] Verba illa ſunt Varronis, in Marcipore.

F. 11. Puer & Pædagogus. La Fontaine, l. 1, f. 19. Locmanus, f. 25.

F. 12. Puella ruſtica, & Lactis cymbium. La Fontaine, l. 7, f. 10. Specimen Sap. Ind. ſect. 6. Camerarius, f. 408.

V. 6. *Hinc*] Ex ovorum illo numero.

V. 13. *In arvo florido*] Virgilius, Ecl. 3, v. 100.

Eheu! quàm pingui macer eſt mihi taurus in arvo!

Ovidius, Met. 2, 791, de Invidia:

Quacumque ingreditur, florentia proterit arva.

F. 13. Leo bellum parans. La Fontaine, l. 5, f. 19. Abſtemius, f. 95. Jaïus, t. 1, p. 744.

V. 7. *Elephas*] Æque, ac elephantus, dicitur.

V. 26. *Demiſsis auriculis*] Horatius, l. 1, ſat. 9, v. 20.

Demitto auriculas, ut iniquæ mentis aſellus.

F. 14. Paſtor & Moloſſus. La Fontaine, l. 8, f. 18. Jaïus, t. 1, p. 743.

F. 15. Oſtrea & Viatores. La Fontaine, l. 9, f. 9. Deſpréaux, epiſt. 2, & hujus interpretes, Moneta, carm. 10, atque Godellus, p. 189.

F. 17. Asini duo & Vulpis. La Fontaine, l. 11, f. 5.

V. 2. *Mutuum muli ſcabunt*] His ipsis verbis inſcripta fuit ſatira quædam Varronis menippea, ut refert Nonius, voce, *Grallatores*. Vide & Auſonium, idyl. 5, præf. 31.

F. 18. Philomela, Corvus, & Buho. Richer, l. 2, f. 18.

V. 20. *Medullitus*] Feſtus: *Medullitus, ex intimis medullis*. Vide Plautum, Moſt. 1, 3, 86. Truc. 2, 4, 85.

V. 24. *Evigilat*] Vide not. ad l. 1, f. 14, v. 18.

V. 31. *Cantrix*] Varro, de re ruſt. 3, 5. *Aves cantrices, ut Luſciniolæ.*

V. 52. *Bubo*] Plinius, 7, 49. *Deſerta incolit: noctis monſtrum: nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu.*

F. 19, v. ult. *Humilibus*] Phædrus, 1, 30, 1.
Humiles laborant, ubi potentes dissident.

F. 21, v. 8. *Si qua fors ferat*] Virgilius, Æn. 2, 94.
Fors si qua tuliſſet.

V. 15. *Carnem oleaginam*] Plinius, 15, 3. *Olivæ conſtant nucleo, oleo, carne, amurcâ.*

F. 22. Noctua & Gallus. Richer, l. 14. f. 2.

F. 23. Apis & Eruca. Richer, l. 8, f. 22.

F. 24, v. 4. *Nidulantem*] Varro, l. 1 hebdomadum, apud Nonium, c. 2, n. 589. *Halcyones hieme in aqua nidulantur*. A. Gellius, 2, 29. *Caſsita nidulatur in ſegetibus.*

V. 8. *Cogor veritatis viribus*] Phædrus, 1, 1, 9.
Repulſus ille veritatis viribus.

V. 15. *Corpulentior*] Plautus, Epid. 1, 1, 8.
Corpulentior videre, atque habitior.
Columella, 6, 3. *Nitidum & corpulentum pecus.*

F. 26. Quercus & Edera. Richer, l. 5, f. 15.

F. 27, v. 7. *Luſcinium*] Luſcinius æque, ac Luſcinia, dicitur. Vide Senecam, epiſ. 76, atque Phædrum, 3, 18, 1 & 11.

V. 6. *Modos*] Cicero, Divin. 2, 3; *varietates vocum aut modos noſcere.*

V. 8. *Pretio, precibus*] Terentius, Eun. 5, 9, 24.

Perſice

Perfice hoc precibus, pretio. Phædrus, 5, 7, 18. *Adducit pretio, precibus.*

V. ult. *Vitioſitas*] Cicero, Tuſcul. 4, 15. *Virtutis contraria eſt vitioſitas.*

F. 29, v. 10. *Triſticulus*] Cicero, Divin. 1, 46. *Paulus conſul filiolam ſuam oſculans, advertit triſticulam.*

AD LIBRUM VII.

PROL. v. 9. *Sapientum octavus*] Horat. l. 2, ſat. 3, v. 296.

Hæc mihi Stertinius, Sapientum octavus.

V. 11. *In baſi*] Phædrus, l. 2, Epil. v. 1.

Æſopo ingentem ſtatuam poſuêre Attici,
Servumque collocârunt æternâ in baſi.

Sed & Agathias, Anthol. 4, c. 33, epig. 9. Lyſippum ſculptorem eximium laudat, quòd Æſopum ſupra ſeptem Sapientes arte ſuâ extulerit.

F. 2. Viator & Platanus. Benſerade, f. 135. Æſ. f. 225.

V. 5. *Caulas corporis*] Lucretius, 6, 839.

Diſpergunt animas per caulas corporis omnes.

4, 621.

Inde quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina linguæ.

F. 3. Luporum Legati ad Anglorum Regem. Furet. f. 48.

V. 4. *Portare liceat*] Lupi, quanquam ſunt in Scotia frequentes, nuſquam videntur in Anglia. Conſule Camdeni *Britanniam*, p. 592, edit. Lond. 1600, in-4°.; & p. 640. Vide etiam *Guardianum*, n°. 40. Narrat quoque Plin. 9, 58, non eſſe lupos, nec in Olympo Macedoniæ monte, nec in Creta inſula.

V. 6. *Milliarium in gregem*] Varro, de re ruſt. 2, 10. *Greges ovium milliarios faciunt quidam.*

F. 4. Canis fugitivus & Herus. Abſtemius, f. 36. Faernus, f. 52. Targa, f. 50.

F. 5. Jupiter & Ruſticus. La Fontaine, l. 6, f. 4. Faernus, f. 98. Targa, f. 104. Verdizotti, p. 290.

V. 3. *Tranſegerat*] Vide not. ad l. 4, f. 25, v. 1.

V. 7. *Occat*] Horatius, l. 2, epiſt. 2, v. 161, *Cùm ſegetes occat.* Cicero *de* Senect. c. 15. *Semen occæcatum: ex quo occatio nominata eſt.*

F. 6, 9. *Operam dicant*] Terentius, Phor. 1, 2, 12.

Hanc operam tibi dico. Cicero, ad Fam. 2, 6. *Hoc a te pero, ut huic meæ laudi tuum ſtudium dices.*

V. 21. *Excubantes in vultibus*] Horatius, l. 4, od. 13. v. 8, de Cupidine :

Pulchris excubat in genis.

F. 7. Leo furioſus, & Lupus. Gabrias, f. 4. Faernus, f. 5. Camerarius, f. 149. Targa, f. 12. Verdiz. p. 188.

V. ult. *Furor ubi*] P. Syrus :

Fulmen eſt, ubi cum poteſtate habitat iracundia.

F. 8. Canis mordax. Benſerade, f. 99. Æſopus, f. 214. Avienus, f. 7. Targa, f. 132.

F. 9. Hirundo & Luſcinius. Camerarius, f. 364.

V. 33. *Cunctis auribus*] Phædrus, 3, 18, 3, de Luſcinio :

Illum eſſe cunctis auribus admirabilem.

F. 10. Enſis & Vomer. La Motte, l. 3, f. 14.

V. 2. *Conſortione*] Uſurpatur conſortionis vox pro conſociatione apud Livium, Ciceronem & alios.

V. 7. *Tuam herilem manum.*] Terentius, Eun. 5, 5, 20.

Noſtrum herilem filium.

F. 12. Opilio & Oves. La Fontaine, l. 9, f. 19. Abſtemius, f. 127.

V. 11. *Opilio bonus*] Horatius, l. 2, ſat. 3, v. 31.

O bone, ne te
Fruſtrere ; inſanis.

V. 18. *Inhorruit rubus*] Horatius, l. 1, od. 23, v. 5, de Hinnuleo :

Nam ſeu mobilibus vepris inhorruit
Ad ventum foliis, ſeu virides rubum
Dimovêre lacertæ,
Et corde & genibus tremit.

F. 13. Ardea & Piſces. La Fontaine, l. 7, f. 4. Bourſault, com. 2, act. 1, ſc. 4.

V. 15. *Gobio*] Columella, 9, 17. *Exiguus gobio.* Juvenalis, 11, 37.

Ne mullum cupias, cùm ſit tibi gobio tantùm
In loculis.

F. 14, v. 1. *Aſellus*] Idem eſt atque Aſinus, etiam vetulus. Vide Ciceronem, Virgilium, Horatium, & alios.

F. 15, v. 1. *Intubis*] Virgilius, Georg. 1, 120. *Et amaris intuba fibris.* Ad quem locum Pierius Valerianus

docet, ſcribendum eſſe *intubâ*, nôn verò *intyba.*

F. 16. Ollæ duæ. La Fontaine, l. 5, f. 2. Benſerade, f. 102. Æſopus, f. 295. Avienus, f. 11. Faernus, f. 1. Targa, f. 4. Verdizotti, p. 54.

F. 17. Milui & Columbæ. La Fontaine, l. 7, f. 8. Abſtemius, f. 96. Jaïus, t. 1, p. 742.

V. 8. *Caducus cruor*] Horatius, l. 2, od. 13, v. 11.

Te triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

l. 3, od. 4, v. 42.

Fulmine ſuſtulerit caduco.

Seneca, Quæſt. nat. 2, 23. *Credibile eſt, ignem caducum excuti.*

V. 11. *Media pax*] Vide not. ad l. 10, f. 34, v. ult.

F. 18, v. 2. *In liquoris ſpeculo*] Phædrus, 1, 4, 3.

Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum.

F. 20, v. 5. *Dies auferret aliquod*] Cicero, ad Fam. 1, 16. *Quod eſt dies allatura.* Virgilius, Æn. 11, 425.

Multa dies, variusque labor mutabilis ævi
Retulit in melius.

V. 6. *Spolium corporis*] Seneca Trag. Hypp. v. 77.

Nullaque non dies
Formosi ſpolium corporis abſtulit.

V. ult. *Ex beato fit miſer*] Cicero, Partit. Orat. c. 57. *Nihil eſt enim tam miſerabile, quàm ex beato miſer.*

F. 21. Avis ſolitaria. Richer, l. 3, f. 21.

V. 12. *Movere obſtinatos*] Vide not. ad l. 10, f. 24, v. 2.

V. 41. *Commeantes*] Cicero, nat. Deor. 2, 30. *Naturis his ultro citroque commeantibus.*

F. 22. Muſtela, Cuniculus, & Felis. La Fontaine, l. 7, f. 16. Specimen Sap. Ind. ſect. 4. Jaïus, t. 1, p. 750.

V. 10. *Vacuum occupantis*] Cicero, Offic. 1, 7. *Sunt autem privata nulla naturâ, ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, &c.*

V. 23. *Falculam*] Plinius, 8, 15, animalium rapacium ungues falculas vocat: atque hinc dictos eſſe Falcones Feſtus docet.

F. 23. Senex & Mors. La Fontaine, l. 8, f. 1. Abſtemius, f. 99.

F. 24. Teſtudo & Anates duæ. La Fontaine, l. 10, f. 3. Specimen Sap. Ind. ſect. 1. Camer. f. 380. Jaïus, t. 1, p. 749.

V. 19. *Domiporta*] Vocem hanc, quâ vetus poeta apud Ciceronem, Divin. 2, 64, utitur, ut cochleam significet, non eſſe, nisi per jocum, adhibendam, cenſemus.

F. 25, v. 40. *Ordinariam eſcam*] Livius, 7, 43. *Conſiliis ordinariis*. Seneca, Benef. 8, 28. *Ordinarium officium*.

AD LIBRUM VIII.

PROL. v. 16. *Literis mandâſſe*] Ariſtophanes, Avibus, v. 471.

οὐδ' Αἴσωπον πεπάτηκας:

Æſopum non triviſti. Quomodo autem teri, sive legi, auctor potuiſſet ille, cujus ſcripta non exſtitiſſent?

V. 28. *Planudes*] Maximus Planudes, qui vitam Æſopi ſcripsit, vel potiùs ineptè diffinxit, fabulasque edidit, quæ ſub hujus nomine circumferuntur, anno 1347 adhuc in vivis erat.

F. 1. Momi cenſura. Richer, l. 2, f. 4. Æſop. f. 193. Faernus, f. 192. Targa, f. 96.

V. 9. *Feneſtrandum*] Vitruvius, l. 3, init. *Memoratur dixiſſe* (Socrates) *oportuiſſe hominum pectora feneſtrata & aperta eſſe*.

F. 2. Papilio & Apis. Commirius, t. 1, p. 308.

V. ult. *Miſcuit*] Horatius, Ar. poet. 343.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

F. 3. Divinus. Benſerade, f. 172. Æſopus, f. 40. Faernus, f. 72. Targa, f. 67.

V. 1. *Divinus in foro*] Horatius, l. 1, ſat. 6, v. 113.

Fallacem circum, veſpertinumque pererro
Sæpe forum: assiſto Divinis.

F. 4. Accipiter & Noctua. La Fontaine, l. 5, f. 18.

V. 7. *Porrò*] Syllaba hujus vocis ultima corripi poteſt. Juvenalis, 7, 98.

Veſter porrò labor fecundior, hiſtoriarum
Scriptores.

Statius, Theb. 7, 545.

Tu porrò ſequêris.

V. 15. *In tales formas*] Terentius, Eun. 2, 3, 5. *Elegans formarum ſpectator*.

V. 16. *Auras circinat*] Ovidius, Met. 2, 720.
Inclinat curſus, & eaſdem circinat auras.

F. 5, V. 12. *Dotes*] Plinius, 16, 10. *Exceptâ Larice, quæ nec ardet, nec carbones facit, nec alio modo ignis vi conſumitur, quàm lapides.... materies præſtantior longè, incorruptà vis, emori contumax.... Picea minùs alta, quàm Larix.* Vitruvius, 2, 9. *Larix non eſt NOTUS, niſi his municipibus, qui ſunt circa ripam fluminis Padi & litora maris Adriatici.* Palladius, 12, 15. *Larix utiliſſima: præſidium contra incendia.* Non illa vera Larix eſt, quam memorat Mathiolus, deſcriptione Plinianâ deceptus, in qua quidem falsò dicitur abundare resinâ Larix. In hoc tantùm erravit Plinius. Veræ Laricis fragmentum Amſtelodami oſtendebatur ante hos annos circiter quinquaginta.

V. 31. *Fictas æſtimare*] Martialis, 11, 1, 7.
Ecquid te ſatis æſtimas beatum?
Phædrus, 3, 4, 5.
Ridiculè magis hoc dictum, quàm verè æſtimo.
Salluſt. fragm. orat. Lepidi: *Quæ ipsi nefanda æſtimatis.*

F. 7, V. 1. *Sophiſtæ*] Cicero, Acad. 4, 23. *At quis eſt hic? num Sophiſtes? Sic enim appellantur ii, qui oſtentationis aut quæſtûs causâ philoſophantur.*

V. 9. *Loquentiam*] Salluſtius, Catil. c. 5. *Satis loquentiæ, ſapientiæ parum.* Plinius jun. 5, 20. *Loquentia multis, atque etiam impudentiſſimo cuique maximè contingit.*

V. 32. *Animi teneritudinem*] Varro, de re ruſt. 1, 36. *Terra teneritudinem habet.* Apuleius, Metam. l. 5. *Id tolerare pro animi tui teneritudine non poteris.*

F. 9. Perdix & Auceps. Richer, l. 1, f. 11. Æſ. f. 167. Jaïus, t. 1, p. 739.

F. 10. Parasitus & Piſciculi. La Fontaine, l. 8, f. 8. Abſtemius, f. 118. Jaïus, t. 1, p. 755.

V. 2. *Deliciæ popli*] Plautus, Moſt. 1, 1, 14. Sic autem loqui extra jocum licere non puto.

F. 11. Apis & Jupiter. Æſopus, f. 244. Camerarius, f. 243. Jaïus, t. 1, p. 747.

F. 12. Leænæ apotheosis. La Fontaine, l. 8, f. 14. Abſtemius, f. 148. Jaïus, t. 1, p. 747.

V. 15. *Luctus concelebras*] Livius, 8, 7. *Quantùm*

militaribus ſtudiis funus ullum concelebrari poteſt.

V. 19. *Inferias date*] Ovidius, Faſt. 5, 422.

Inferias tacitis manibus illa dabunt.

V. 21. *Cauſam oravit*] Phædrus, 1, 10, 7.

Uterque cauſam cùm perorâſſent ſuam.

F. 13. Agnus, Canis, & Lupus. Jaïus, t. 1, p. 745.

V. 24. *Præter latrare*] Horatius, l. 2, ſat. 5, v. 68.

Nil ſibi legatum, præter plorare.

F. 14. Homines duo & Theſaurus. La Fontaine, l. 9, f. 16. Abſtemius, f. 169.

V. 4. *Literam longam*] Plautus, Aul. 1, 1, 37.

Ex me unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obſtrinxero.

F. 15, v. 13. *Importunitas*] Terentius, Andr. 1, 44. *importunitatem ſpectate aniculæ.* Quæ verba gallicè doctiſſima femina Daceria ſic reddidit: *Voyez un peu l'importunité de cette vieille.*

F. 15, v. 20. *Periclymenis*] Plinius, 27, 12. *Periclymenus naſcitur in ſepibus, convolvens ſe adminiculis quibuscumque.*

V. 21. *Tantæ magnitudini*] Phædrus, 1, 24, 2.

Et tacta invidiâ tantæ magnitudinis.

F. 16. Porcus & Sturni. Richer, l. 12, f. 11.

V. 6. *Meus ille ſtupidus*] Catullus, 17, 21. *Iſte meus ſtupor.* Terentius, And. 4, 1, 27. *Hic meus carnifex.*

F. 17. Pica & Acanthis. Richer, l. 2, f. 17.

V. 7. *Acanthis*] Virgilius, Georg. 3, 336.

Cùm frigidus aera veſper
Temperat, & ſaltus reficit jam roſcida luna,
Litoraque Halcyonem reſonant & Acanthida dumi.

Quam, inquit Servius ad hunc locum, *alii Luſciniam eſſe volunt, alii verò Carduelem.* At quidam animadvertentes, tempus hic a Virgilio memorari nocturnum, quo Luſcinia, non Carduelis, cantare ſoleat, Luſciniam ibidem ſatis apertè indicari putant.

V. 10. *Durabat*] Virgilius, Æn. 1, 207.

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

V. 13. *Aurium operam*] Plautus, Bacch. 4, 9, 72.

Ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico.

V. 17. *Quibus ſuſtineret ſpiritum*] Phædrus, 3, 2, 6.

Miſêre panem, ut ſuſtineret ſpiritum.

V. ult. *Valere*] Cicero pro Mur. c. 18. *Valebunt autem ſemper arma.*

F. 18, v. 2. *Catulos tranſferret*] Plinius 29, 4. *Muſtela catulos ſuos, ut auctor eſt Cicero, quotidie tranſfert, mutatque ſedem.*

F. 20. Leo iratus. Le Brun, l. 5, f. 23. Specimen Sap. Ind. ſect. 1.

F. 22, v. 4. *Papilionum*] Plinius, 11, 32. *Progignitur vermiculus parvus, & triduo mox Eruca.... haec Eruca, quam chryſalidem appellant, rupto deinde cortice, volat papilio.*

F. 23. Fur deceptus. La Fontaine, l. 10, f. 5.

V. 18. *Præter animo dejici*] Vide not. ad f. 13.

F. 24. Vulpis & Lupus. La Fontaine, l. 11, f. 6.

V. 8. *Situlis*] Vitruvius, 10, 9. *Duplex ferrea catena collocabitur, habens ſitulos pendentes.... Ita verſatis rotæ effert ſitulos in ſummum.*

V. ult. *Quod cupimus*] Cæſa, B. Gall. 3, 18. *Ferè libenter homines id, quod volunt, credunt.*

F. 25. Cervus æger. La Fontaine, l. 12, f. 6. Richer, l. 8, f. 15. Faber, f. 2.

F. 26. Graculus. Richer, l. 8, f. 8.

V. 1. *Graculus*] Avis nigri, non varii coloris. Martialis, 1, 116.

Sed quamdam volo nocte nigriorem,
Formicâ, pice, Graculo, cicadâ.

Aldhelmus epiſcopus, qui ſub finem ſeculi ſeptimi floruit, carmine de laude virginitatis :

Haud etiam vileſcit Graculus ater.

V. 2. *Fur ipſemet ille*] Vide Phædrum, 1, 3.

F. 27. Muſarum Alumnus & Bombyx. Richer, l. 8, f. 13.

V. ult. *Repere per humum*] Horatius, l. 2, epiſt. 1, v. 251 *Repentes per humum.*

F. 28. Formica & Jupiter. Richer, l. 7, f. 2.

V. ult. *Dum annuit*] Ovidius, Met. 2, 531. *Dî maris annuerant.* 4, 538. *Annuit oranti Neptunus.*

F. 29. Cultor arborum imperitus. La Fontaine, l. 12, f. 20. A Gellius, l. 19, c. 12, hanc fabulam refert ex Herode Attico.

V. 8. *Stolones*] Varro, de re ruſt. 1, 7. *Nullus in ejus fundo reperiri poterat ſtolo.*

V. 1. *Ligni frondiumque cædem*] A. Gellius, loco citato : *Cur tantam ligni atque frondium cædem faceret, percunctatus eſt.*

V. 32. *Apathia.*] Vox iſta græca eſt, quâ quidem Seneca, epiſt. 9, & A. Gellius, loco cit. usi ſunt : ſed literis hanc potiùs latinis, quàm græcis eſſe ſcribendam, cenſui, morem poetarum veterum ſecutus. Idem de voce automati, quæ ſubſequitur, dictum puta, quanquam ſunt Critici, qui contendant, ſcriptum a Suetonio, Claud. c. 34, automatum fuiſſe literis latinis. Vide Torrentium ad hunc locum.

F. 30, v. 3. *Sapientiæ.*] Cicero, Orat. c. 70. *Eſt eloquentiæ, ſicut reliquarum rerum, fundamentum ſapientia.*

V. 23. *Indole*] Livius, 21, 4. *Cum hac indole virtutum ac vitiorum.*

V. 53. *Munditiis ſimplices*] Horatius, l. 1, od. 5. v. 5. *Simplex munditiis.* l. 2, epiſt. 1, v. 158.

Defluxit numerus Saturnius, & grave virus
Munditiæ pepulêre.

V. 54. *Negligentiæ mala*] Phædrus, 3, 8, 15.

Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis.

V. ult. *Maculis*] Horatius, Ar. poet. v. 351.

Verùm ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis.

F. 31, v. 2. *Seſſor*] Seneca, Conſt. c. 12. *Et pecora verbere domantur : nec iraſcimur illis, cùm Seſſorem recuſaverint.*

V. 16. *Meus hic ſtupor*] Vide not. ad f. hujus libri 16, v. 6.

AD LIBRUM IX.

PROL. v. 8. *Suſpiciones*] Syllaba ſecunda longa eſt in voce ſuſpicionis. Vide Terentium passim, P. Syrum v. 7 ; v. 730. Phædrum, l. 3, Prol. v. 45 ; f. 10, v. 36. Martialem, l. 11, epigr. 46, v. 5.

F. 1. Anguilla & Anguis. Launay, f. 27. Abſtem. f. 17. Faernus, f. 27. Targa, f. 32. Verdizotti, p. 40.

F. 2. Piſcis. Abſtemius, f. 20.

F. 3. Sus & Apes. Le Noble, f. 27. Abſtemius, f. 38.

F. 4. Picta ſolitudo & Columba. Æſopus, f. 120. Locmanus, f. 27. Camerarius, f. 119.

F. 5. Paſtor & Rex. La Fontaine, l. 10, f. 10.

V. 10. *Quarum uſus indigeret*] Virgilius, Eccl. 2, v. 71.

Quin tu aliquid potiùs, quorum indiget uſus.

V. 16. *Suſpicionum*] Vide not. ad Prol. v. 8.

V. 33. *Panarium*] Varro, de L. lat. l. 4, c. 22. *Panarium, ubi panem adſervabant.* Plinius jun. l. 1, epiſt. 6. *Ut panarium & lagunculam, ſic etiam pugillares feras.*

F. 6. Ruſticus & Sophus. La Fontaine, l. 10, f. 16.

F. 8. Villicus, Vulpis, & Canis. La Fontaine, l. 11, f. 3. Abſtemius, f. 149. Jaïus, t. 2, p. 752.

F. 9. Cycnus. Richer, l. 3, f. 8. Bourſault, com. 1, act. 1, ſc. 6.

F. 10. Simius & Speculum. Richer, l. 7, f. 1.

F. 11. Gallus & Cochlea. Richer, l. 9, f. 11.

F. 13. Culex. Richer, l. 1, f. 6.

F. 15. Vulpis. Richer, l. 5, f. 19. Faernus, f. 44. Targa, f. 43.

V. ult. *Ratio ſecum diſſidet*] Cicero, fin. bon. & mal. *Animus a ſe ipſe diſſidens, ſecumque diſcordans.* Auctor Rhet. ad Herenn. 2, 9. *Voluntas ſcriptoris cum ſcripto diſſidere videbitur.*

F. 16. Rubus & Ovis. Richer, l. 11, f. 11. La Motte, l. 3, f. 10.

F. 18. Cornicula & Columba. Æſopus, f. 121.

F. 19. Pſittacus. Furetiere, f. 43.

V. 6. *Pediſequos*] Ita ſcribendum, non verò *pediſſequos.* Vide Phædrum, 4, 4, 36. Terentium, And. 1, 1, 95. Plautum, Aul. 3, 5, 27.

F. 20. Vulpis & Lupus. Benſerade, f. 73. Abſtemius, f. 115. Faernus, f. 49. Targa, f. 47. Verdizotti, p. 45.

V. 9. *Num diu eſt, cùm*] Plautus, Merc. 3, 1, 44.

Haud ſanè diu eſt, cùm dentes exciderunt.

Amph. 1, 1, 47.

Agite, pugni: jam diu eſt, cùm ventri victum non datis.

Ad quem locum Lambinus: *Sic edendum curavi, non, ut vulgò,* JAM DIU EST QUOD; *quæ ſcriptura ferri non poteſt.*

F. 21. Viatores duo & Latro. Æſopus, f. 83.

V. 3. *In commune*] Seneca, epiſt. 119. *Quoties aliquid*

T v

inveni, non expecto, donec dicas, IN COMMUNE *ipſe mihi dico.* Phædrus, 5, 6, 3.

Eia, inquit, in commune, quodcumque eſt lucri.

F. 22. Mercurius & Sculptor. Richer, l. 4, f. 6. Æſopus, f. 90. Faernus, f. 47. Targa, f. 38.

V. 11. *Pro cumulo mercedis*] Cicero, ad Att. 1, 16. *Pro mercedis cumulo fuerunt.* Cumulus mercedis eſt id, quod pactionem excedit; & quod datur, ut Galli dicunt, *par deſſus le marché.*

V. 12. *Vanitas*] Vox iſta quamdam inanem arrogantiam aliquando ſignificat. Vide Suetonium, Vitel. c. 10. Tacitum, Hiſt. 3, 73. Confer Paterculum, 2, 80. Phædrum, 5, 7, 1.

F. 23. Gallus & Vultur. La Fontaine, l. 7, f. 13. Benſerade, f. 153. Æſopus, f. 145. Aphtonius, f. 12. Locmanus, f. 35.

F. 24, v. 10. *Partam hoſti*] Virgilius, Æn. 2, 783. *Regia conjux parta tibi.*

F. 25. Canis domeſticus & Canis externus. Richer, l. 10, f. 6. Benſerade, f. 168. Æſopus, f. 129. Faernus, f. 80. Targa, f. 98.

F. 26. Simia & ejus filius. Benſerade, f. 105. Le Noble, com. act. 5, ſc. 4. Avienus, f. 14.

V. 3. *Pulchriores*] Hic debuiſſe ſcribi, *pulcherrimos*, si quis contendere velit, oſtendet neſcire ſe loquendi formulam, cujus exempla paſſim occurrunt apud auctores latinitatis optimos.

F. 27. Avium & Piſcium fedus. Camerarius, f. 301.

V. ult. *Via dividit invia*] Virgilius, Æn. 3, 383.

Longa procul longis via dividit invia terris.

F. 29. Auceps. Abſtemius, f. 39.

V. 6. *In horam differens*] Ovidius, Faſt. 3, 393.

Differ: habent parvæ commoda magna moræ.

Lucanus, 1, 281.

Tolle moras: ſemper nocuit differre paratis.

Nepos, 5, 4. *Ne differendo videretur negare.* Horatius, l. 1, epiſ. 2, v. 39, *differs in annum.* Seneca, epiſt. 8. *differtur in diem.*

F. 30. Ruſticus & Canis. Specimen Sap. Ind. ſect. 7. Hiſtoire pitoyable du Prince Eraſtus, chap. 8. Camerarius, f. 389.

V. 7. *Tollentem minas*]Virgilius, Georg. 3, 421, de vipera :

Tollentemque minas, & ſibila colla tumentem
Dejice.

V. 19. *Facinoris egit pœnitentiam*] Curtius, 8, 6, 23. *Pœnitentiam facinoris ageret.* Auctor Dial. de Orat. c. 15. *Neque illius ſermonis mei pœnitentiam ago.*

F. 31. Accipiter & Luſcinia. Abſtemius, f. 92. Jaïus, t. 1, p. 752.

F. 32. Gutta, Pontus, & Oſtreum. Spectator Angl. t. 3, ſerm. 49.

V. 10. *Unio*] Uniones in oſtreis ex rore concepto naſci crediderunt veteres. Vide Plinium, 9, 35.

F. 33. Corvus & Lupi. Camerarius, f. 285. Verdizotti, p. 93.

F. 34. Cuculus, Philomela, & Aſellus. Camerarius, f. 416.

F. 35, v. 9. *Securitas*] Diogenes Laertius, l. 9. *Navi, inquit, ferebatur Pyrrho ; & cùm ſocii, tempeſtate acti, dejectiores eſſent, ipſe tranquillo animo porcellum in navi edentem oſtendebat, dicens oportere ſapientem hanc illius imitari ſecuritatem.*

V. 12. *Rurſus notatur*] Vide, l. 8, f. 29.

F. 36. Juvenci duo & Pratulum. Richer, l. 4, f. 1.

F. 37, v. 2. *Humanitatem*] Hominum propria eſt humanitas ; ſed hanc a belluis affectatam fingere, in hoc præſertim fabularum genere, licet.

F. 39. *Facilè cauſa ſuppetit*] P. Syrus :

Negandi cauſa avaro numquam deficit.

AD LIBRUM X.

Prol. v. 6. *Sibi concitare periculum*] Phæd. 1, 19, 3.

Et ſibi nocivum concitant periculum.

V. 37. *Occaſionem hanc*] Quas hic cauſas, cur Phædrum vexaret Sejanus, tanquam certas exponimus, has conjecturâ tantùm probabili, in quodam noſtro ad Phædri fabulas commentario, expendimus.

V. 38. *Fabulam*] Sextam libri primi.

V. 44. *Aliam*] Secundam ejuſdem libri.

V. 52. *Indicat*] Prologo libri tertii, quarti libri Epilogo; & aliis locis.

V. 53. *Irrogatas ærumnas perpeſſus*] Cicero, fin. bon. & mal. l. 2, ult. *Herculis perpeti ærumnas* (a Junone ſcilicet irrogatas.)

V. 9. *Et his dolorem*] Phædrus, l. 3; Prol. v. 41.

Quòd ſi accuſator, alius Sejano, foret,
Si teſtis alius, judex alius denique,
Dignum faterer eſſe me tantis malis;
Nec his dolorem delenirem remediis.

F. 1. Glires & Fagus. Abſtemius, f. 35.

V. 14. *Proventus*] Plinius, 16, 6. *Fagi glans muribus gratissima eſt, & ideo animalis ejus una proventus: Glires etiam ſaginat.*

F. 2. Piſcator. Æſopus, f. 87.

V. ult. *Emergit lucrum*] Ariſtophanis Equitibus, act. 1, ſc. 4, v 29, arguitur ab Agoracrito Cleon, civitatis perturbator, quòd piſcatores imitetur, qui, niſi commoverint aquam, anguillas capere non poſſunt.

F. 3. Rex & Ludi-magiſter. La Fontaine, l. 6, f. 19. Abſtemius, f. 133.

F. 4. Muſculus, Felis, & Gallus. La Fontaine, l. 6, f. 5. Benſerade, f. 117. Camerarius, f. 392. Verdizotti, p. 70.

F. 5. Ranæ & Junci, Camerarius f. 426.

V. 11. *Glutiunt*] Juvenalis, 4, 28.

Quales tunc epulas ipſum glutiſſe putamus?

F. 7, v. 7. *Corcodilus*] Æquè dicitur ac Crocodilus; Vide Phædrum, 1, 25, 3, 6; & Martialem, 3, 93, 6. Daviſius etiam, ad hæc verba Ciceronis, de nat. Deor. 2, 52. *Crocodilos dicunt*, ut vulgò legitur, teſtatur eſſe in optimo codice ſcriptum *Corcodilos*.

V. 13. *Pernix*] Velociter Crocodili currunt, ut audivi ex peregrinatore quodam, qui expertus loqueretur: mortem enim ille vitare celeritate pedum numquam potuiſſet, niſi Crocodili perſequentis impetum, non facilè flexibilem, curſum ipſe flectendo ſæpius, eluſiſſet.

V. 14. *Serratis dentibus*] Plinius, 11, 37. *Dentes ſerrati, pectinatim coeuntes, ne contrario occurſu atterantur, ut ſerpentibus, piſcibus, canibus.*

F. 10, v. 4. *Fetidæ ſui*] Cicero, de nat. Deor. 2, 64.

Cui quidem, ne putreſceret, animam ipſam, pro ſale, datam dicit eſſe Chryſippus.

V. *Conſideratæ*] Cicero, Inv. Rhet. 1, 10. *Unaquæque ex ſe & ex ſua natura conſideratur.*

V. 23. *Automatis*] Vide not. ad l. 8, f. 29.

F. 11. Canis venaticus & Moloſſi. Camerarius, f. 438.

F. 12, v. 2. *Tacitus frui*] Horat. l. 1, epiſt. 17, v. 50.

Sed tacitus paſci ſi poſſet Corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multò minus, invidiæque.

F. 13. Ovis & Canis. Camerarius, f. 398.

V. 4. *Fortuito gramine*] Horatius, l. 2, od. 15, v. 17.

Nec fortuitum ſpernere ceſpitem.

F. 14. Equus & Muſcæ. Furetiere, f. 46.

V. 13. *Corpulentus*] Vide not. ad l. 6, f. 24, v. 15.

V. ult. *A beatis abſtinent*] Qui opulenti ſunt, beati nominantur. Martialis, 10, 87.

Certent muneribus beatiores.

Horatius, l. 2, ſat. 8, v. 1.

Ut Nasidieni juvit te cæna beati?

Cicero, pro Cœl. c. 28. *Mulieris beatæ ac nobilis familiares.*

F. 15. Orator ad ſtatuas. Richer, l. 11, f. 17.

F. 16. Turdi. Launay, f. 42. Faernus, f. 8. Targa, f. 89.

V. 7. *Veris vices*] Phædrus, 2, 8, 10.

Spatium diei noctis excipiunt vices.

V. 9. *Duos omnino*] Cicero, pro Cluen. c. 28. *Quinque omnino fuerunt.*

F. 17. Aſellus & Rivus. Richer, l. 12, f. 26. Launay, f. 6. Camerarius, f. 353.

F. 18. Iris & Phœbus. Richer, l. 12, f. 3.

F. 19. Cervus & Piſcator. Richer, l. 12, f. 21. Æſop. f. 63.

V. ult. *Suſpicioſo*] Vide not. ad l. 9, Prol. v. 8.

F. 20. Mus & Talpa. Richer, l. 4, f. 8.

V. 4. *Oculis captum*] Plinius, 11, 37. *Talpis viſus non eſt: oculorum effigies ineſt, ſi quis prætentam detrahat membranam.* Idem, 10, 69. *Liquidiùs audiunt Talpæ.*

F. 21. Chamæleon. Richer, l. 9, f. 8. La Motte, l. 2, f. 9.

V. 1. *Chamæleontis*] Alii ſcribunt, *Chamæleonis*: nos ſecuti ſumus editiones Plinii veteres & Salmaſium.

V. 8. *Color omnis*] Plinius, 8, 33. *Mutat colorem Chamæleon, redditque ſemper, quem proximè attingit, præter rubrum, candidumque.*

F. 22. Villicus, Felis, & Caſeus. Richer, l. 9, f. 5.

V. 7. *Reſidentem in clunes*] Ita loquitur Plinius, 8, 37.

F. 24. Homo & Urſus. La Fontaine, l. 8, f. 10. Pilpay, p. 166.

V. 2. *Obſtinatus agere*] Livius, 42, 63. *Jam obſtinatis mori ſpes affulſit.*

F. 25. Vulturius, Oſtrea, & Vulpis. Richer, l. 1, f. 14. Le Noble, f. 133. Camerarius, f. 196. Jaïus, t. 1, p. 749. Targa, f. 114.

V. 7. *Corneam domum*] Phædrus, 2, 6, 5 de Teſtudine:

Quæ cùm abdidiſſet corneâ corpus domo.

F. 26. Aves de creando Rege deliberantes. Richer, l. 6, f. 10. Benſerade, f. 85. Æſopus, f. 53. Faernus, f. 23. Jaïus, t. 1. p. 739. Verdizotti, p. 213.

V. 5. *Rotat*] Columella, 8, 11. *Semetipſum Pavo, veluti mirantem, caudæ gemmantibus pennis protegit: idque cùm facit, rotare dicitur.* De eodem tunc quoque dicitur gallicè, *il fait la roue.*

F. 27. Puer & circumlitæ ſaccharo Nuces. La Motte, l. 2, f. 3.

V. 2. *Saccharo*] Plinius, 12, 8. *Saccharum & Arabia fert, ſed laudatius India: : eſt autem mel in arundinibus collectum.* Ignotum antiquis fuit ſaccharum noſtrum candidum & pellucidum: videtur tamen confectum e ſucco ejuſdem illius arundinis, quam Auctores græci perinde ac latini olim celebrarunt.

F. 28. Philomela & Veſpertilio. Richer, l. 8, f. 7. Æſopus, f. 77.

F. 29. Myrtus & Arbor magna. Richer, l. 5, f. 10.

F. 30. Avarus & Graculus. Richer, l. 10, f. 1.

V. 1. *Furax*] Plinius, 10, 29. *Immenſa, finitimo Inſubrium tractu, Graculorum, Monedularumque examina: cui ſoli avi furacitas auri argentique præcipuè mira eſt.* Hæc poſtrema verba ad ſolam Monedulam pertinere volunt quidam Critici, quibus minimè aſſentior: etenim, *cui ſoli avi*, dictum eſt pro, *cui ſoli avium generi.*

F. 31. Gallina plumis ſpoliata. Richer, l. 12, f. 18.

V. 7. *Malè mulcata*] Terentius, Eun. 4. 7, 4. *Malè*

mulcabo ipſam. Phædrus, 1, 3, 9. *Malè mulcatus Graculus.* Cicero, clar. Orat. c. 22. *Addebat etiam, ſcriptores illos malè mulcatos exiſſe.*

V. 18. *Renarrat*] *Renarrare*, idem, quod *narrare.* Virgilius, Æn. 3, 717.

Sic pius Æneas intentis omnibus unus
Fata renarrabat Divûm, curſusque docebat.

Ovidius, Met. 5, 635.

Citiùs, quàm nunc tibi fata renarro,
In laticem mutor.

V. 22. *Deplumes*] Plinius, 10, 24. *Inventæ ſunt hirundines nudæ atque deplumes.*

V. ult. *Eſſe ibi culpa creditur*] Ita ſentiunt homines hodie noſtri plerique, quamvis inſtitutione Chriſti divinâ fuerint imbuti: quos erudire poteſt homo profanus Seneca, lib. de Provid. c. 1, his verbis: *Bonum virum Deus in deliciis non habet: experitur: indurat: ſibi illum præparat.*

F. 32, v. 3. *Ictericus*] Juvenalis, 6, 564.

Conſulit ictericæ lento de funere matris.

F. 33. Aſinus pelle Leonis indutus. La Font. l. 5, f. 21. Æſ. f. 133. Faernus, f. 88. Targa, f. 81. Verdiz. p. 229.

F. 34. Felis & Canis. Furetiere, f. 34.

V. ult. *Media vos inter*] Virgilius, Æn. 1, 3, 48.

Quos inter medius vênit furor.

F. 35. Agricola & ejus Filius. Camerarius, f. 437.

F. 36. Nux & Arbores infructuoſæ. Camerarius, f. 479.

F. 38, v. 9. *Torquentur*] Mel habet multum aciduli ſaporis, qui palatum quidem ſuaviter titillando recreet, oculos autem, quippe magis teneros, offendat.

F. 41. Sorex & Mus. Camerarius, f. 480.

F. 42, v. 1. *Ut figuraret*] Plinius, 8, 36, de urſinis fetibus: *Informis caro... Hanc lambendo paulatim figurant.*

AD LIBRUM XI.

FAB. 1, v. 1. *Indignari cœperant*] Ita Phædrus, 4, 15, 2.

F. 2. Leo & Villicus. Æſopus, f. 224.

V. 16. *Ad incitas*] Id eſt, ad ultimas lineas, quæ quidem in calculorum ludo vocabantur *incitæ*, quia cieri,

ſive promoveri ultra non poterant. Plautus, Trin. 2, 4, 136. *Ut ad incitas redactus!*

F. 3. Simiæ & Vulpecula. Camerarius, f. 194.

V. 2. *Interioris Africæ*] Seneca, Quæſt. nat. 3, 6. *In interiore Africa.*

V. 8. *Homulli*] Cicero, in Piſ. c. 25. *Quid ceſſat hic Homullus?* Lucretius, 3, 928.

Ex animo ut dicant: brevis eſt hic fructus Homullis.

V. 26. *Vis & nequitia opprimunt*] Phædrus, 2, 6, 3.

Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.

F. 4, V. 10. *Tolutim incedere*] Gallicè, *aller l'amble.* Plinius, 8, 42. *Equis, tolutim carpere incurſus, traditur arte.*

V. 12. *Poſt tempus*] Phædrus, 4, 18, 1.

Qui fert malis auxilium, poſt tempus dolet.

Quintilianus, Inſt. 11, 2. *Cùm in loca aliqua poſt tempus reverſi ſumus.*

Ibid. *Forte fortunâ*] Cicero, Divin. 2, 2, 7. *Quid eſt tandem, quod caſu fieri aut forte fortunâ putemus?*

F. 5. Canis & Taurus. Alberti, p. 10.

F. 7. Aſellus fimum, deinde flores gerens. Le Noble, f. 4. Bourſault, com. 2, act. 2, ſc. 1.

F. 8. Pulex & Homo. Le Noble, f. 99.

V. 4. *Punctus tam levis*] Phædrus, 5, 3.

Punctum volucris parvulæ
Voluiſti morte ulciſci.

Plinius, 11, 28. *Inſectis quibuſdam aculei hebetes, neque ad punctum, ſed ad ſuctum.*

V. ult. *Digitulis*] Cicero, fragm. orat. pro Æm. Scauro: *Duobus digitulis gulam obliſit.*

F. 9. Canes duo & Ovis. Le Noble, Ecole du m. f. 106.

F. 10. Gallina & Formica. Gay, l. 1, f. 37.

V. ult. *Prandio uno*] Vide not. ad l. 15, f. 41, v. 9.

F. 11. Remi & Clavus. Alberti, p. 24.

F. 12, v. 3. *Socium ſe*] Adoleſcentes hodie nobiles permulti adjungere ſeſe ad recentem philoſophiam, hoc eſt, ad impietatem, properant, ut Religionem, pro qua defendenda majores ipſorum fundere parati erant ſanguinem, repudiare atque etiam refutare diſcant.

F. 13. Struthiocamelus & Alauda. Le Noble, f. 7.

F. 14. Fontes duo. Launay, f. 2.

F. 15. Tirunculus in pilæ ludo, & ludi Magiſter. Launay, f. 22.

V. 11. *Servare pilam*] Gallicè, *juger la bale.*

F. 16. Ex ſervo Dominus. Le Brun, l. 3, f. 26.

V. 3. *De gente Parmenonia*] Parmeno, mancipium nobile in comœdiis.

F. 17. Perdix & Villica. Le Brun, l. 4, f. 29.

V. 9. *Vel modò*] Gallicè, *tout à l'heure encore.* Terentius, Heaut. 5, 3, 6. *Vel heri.* Gallicè, *hier encore.*

V. 31. *Veniſſe corpus*] Gallicè, *embonpoint.* Cicero, ad Fam. 7, 26. *Vires & corpus amisi.*

F. 18. Viator & Ignis fatuus. Le Brun, l. 5, f. 19.

V. 3. *Fatuum vocant*] Martialis, 13, 13.

Ut ſapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ.

Plinius, 27, 12. *Hâc herbâ a feminis abigunt* (Genios) *quos fatuos vocant.*

F. 19. Homines duo, cæcus alter, alter claudus. D'Ardene, f. 23. Anthol. l. 1, c. 4, epigr. 1, 2, 3, 4. Alciatus, Embl. 160.

F. 20. Scarabæus & Aquila. Le Noble, f. 186.

V. 3. *Fulminum patriam*] Virgilius, Æn. 1, 51.

Nimborum in patriam, loca feta furentibus auſtris.

V. 9. *Pilas fimi*] Plinius, 11, 28. *Scarabæi e fimo ingentes pilas, aversi, pedibus volutant.*

F. 21. Mus & Taurus. Benſerade, f. 116. Launay, f. 7.

V. 12. *Ulceroſum jecur*] Ita Horatius, l. 1, od. 25, v. 15.

F. 22. Simii navigantes. La Motte, l. 2, f. 6.

F. 23. Sturnus, Hirundo, & Aves aliæ. La Motte, l. 1, f. 17. Targa, f. 45.

V. 21. *Vanitas*] Id eſt, falsitas. Cicero, Tuſcul. 3, 1. *Ut vanitati veritas cedat.*

F. 24. Lynx & Talpa. La Motte, l. 2, f. 4.

F. 25. Pictor & ejus Cenſores. La Motte, l. 4, f. 5.

F. 26. Exercitus duo præliantes, & Muſcæ. La Motte, l. 3, f. 9.

V. 6. *Manibus anguineis*] Cicero, de nat. Deor. 2, 47. *Manus etiam data Elephantis.* Unde hos anguimanos vocat Lucretius, 5, 1302.

F. 27. Felis, Vulpis, & Lupus. La Motte, l. 1, f. 4.

F. 28. Formica & Eruca. La Motte, l. 3, f. 8.

F. 29. Canis piger. Camerarius, f. 368.

V. 1. *Strigoſus*] Columella, 7, 12. *Canis pecuarius neque tam ſtrigoſus debet eſſe*, &c. *neque tam obeſus*, &c.

F. 30, v. 34. *Ingluviem*] Columella, 8, 5. *Si vacua non eſt ingluvies.* Virgilius, Georg. 3, 430.

Hic piſcibus atram
Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet.

AD LIBRUM XII.

FAB. 1. Lyra & Homo imperitus muſicæ. Anonymus gallus, 1744, f. 26.

F. 2. Corvus & Cycnus. Anon. gallus, f. 13.

F. 3. Roſa & Homo naribus & oculis captus. Anon. gallus, f. 17.

F. 4. Simius, Troſſuli ornatu inſtructus. Le Noble, f. 18. Le Brun, l. 2, f. 12.

F. 5. Cuniculus & Hirudo. D'Ardene, f. 3.

V. 2. *Apoplexiam*] Secuti ſumus Criticos, qui græcam hanc vocem jam diu latinitate donârunt.

V. 7. *Sed jejunam*] Plautus, Rud. 3, 5, 20. *Affer duas clavas, ſed probas.* Phædrus, 4, 17, 19.

Odore, ſed multo, replent.

V. 15. *Sanguiſuga*] Plinius, 8, 10. *Hauſtâ Hirudine, quam Sanguiſugam vulgò cœpiſſe appellari adverto.*

F. 6. Lupi duo. Launay, f. 9.

V. 27. *Noſcit ovem abeſſe*] Terentius, Adel. 5, 4, 8.

Id eſſe verum, cuivis facile eſt noſcere.

V. ult. *Ubi maximè eminet*] Cicero, pro Roſc. Amer, c. 41. *Quod quò ſtudiosiùs abſconditur, eò magis eminet & apparet.*

F. 8. Aſella & ejus Pullus. Launay, f. 23.

F. 9. Noctua, Cornicula, & Aves aliæ. Gay, l. 1, f. 40.

V. 6. *Studio perſtrependi geſtiunt*] Virgilius, Georg. 1, 387, de avibus:

Et ſtudio incaſſum videas geſtire lavandi.

F. 11. Simius ad tabellam elegantem. Anon. gall. f. 32.

V. 3. *Ha, ha, he!*] Terentius, Phor. 2, 3, 64. *Ha, ha, he! homo ſuavis!* Heaut. 5, 1, 13. *Ha, ha, he! M. Quid riſiſti?*

V. 8. *Veritatis viribus*] Vide not. ad l. 6, f. 24, v. 8.

F. 12. Statua. Le Noble, f. 13.

F. 13. Mulier & Speculum. Alberti, p. 20. Launay, f. 40. D'Ardene, f. 4.

V. 3. *In lævitate ſpeculi*] Cicero, de Univ. c. 42. *Speculorum lævitas.*

F. 15, v. 4. *Tali artificio*] Pellis villoſa baculis oblongis ita ſuſtinetur, ut in partem ejus eminentiorem ſubrigatur cuſpis firma, & latens.

F. 17. *Palpationes*] Plautus, Menæch. 4, 2, 43. *Aufer hinc palpationes.*

F. 18, v. 1. *Ficedulas*] Varro, de L. lat. l. 4, c. 11. *Ficedulæ* (sic dictæ) *quòd fico fiant pingues.* Ejuſdem Varronis ſunt hi duo verſus, apud Nonium, c. 1, n. 237, a librariis, vel ab ipſo Nonio corrupti, quos sic reſtituimus :

Propter phagones iſtos non Ficedulam,
Turdumve pinguem, nisi volantem, conſpicor.

Martialis, 13, 5.

Cerea quæ patulo lucet Ficedula lumbo.

V. 21. *Plus ſatis*] Terentius, Eun. 1, 2, 5.

Accede ad ignem hunc : jam caleſces plus ſatis.

Cicero, ad Att. 12, 23. *Ad hanc rem plus etiam ſatis.*

F. 21. Ignis & ejus repertor. Alberti, p. 18.

F. 22. Taurus & Villicus. Benſerade, t. 118. Le Noble, f. 104.

F. 23, v. 21. *Se erumpit*] Cæſar, B. civ. 2, 14. *Portis ſe foràs erumpunt.*

V. 26. *Non magna, mi homo, ſunt*] Terentius, And. 4, 3, 6. *Mi homo, quid iſthuc, obſecro, eſt?* Adel. 3, 2, 38. *Hau! mi homo, ſanusne es?*

F. 24. Templum Bovis. D'Ardene, f. 7.

F. 25. Jactator facti incredibilis. Launay, f. 24. Camerarius, f. 14. Targa, f. 60.

F. 26. Vomeres duo. D'Ardene, f. 20.

F. 27. Cuniculus & Venator. Le Brun, l. 1, f. 30.

F. 28. Salix & Agricola. Le Brun, l. 2, f. 8.

F. 29. Arion & Delphin. Le Brun, l. 2, f. 6. Herodotus, l. 1, p. 5, edit. H. Steph. A. Gellius, l. 16, c. 19. Ovidius, Faſt. l. 2, v. 93-119.

V. 22. *Delphin*] Plinius, 9, 8. *Non homini tantùm amicum animal, verùm & musicæ arti.*

V. 33. *Pretium vehendi*] Ovidius, Faſt. 2, 115, de eodem Arione :

Ille ſedens, citharamque tenet, pretiumque vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.

F. 30, v. 18. *Horridus ambulo*] Horatius, Epo. 4, 5 ;

Licèt ſuperbus ambules pecuniâ.

Martialis, 3, 2, ad Librum ſuum :

Cedro nunc licet ambules perunctus.

F. 31. Leo, Filius ejus, & Venator. Le Brun, l. 3, f. 14.

V. 28. *Getulum, inquam*] Horatius, l. 2, ſat. 8, v. 26.

Nam cetera turba,
Nos, inquam, cænamus aves.

F. 32. Mus, Muſtela, Vulpis, & Lupus. Le Brun, l. 4, f. 26.

F. 33. Chorda Lyræ argentea. Patru, apud Olivetum, hiſt. Ac. gal. p. 168. t. 2.

V. 2. *Conrarti*] Valentinus Conrart obiit anno Chriſti 1675, ætatis ſuæ 74.

V. 6. *Patrovius*] Olivarius Patru, anno 1681, annos ipſe 77 natus, mortuus eſt.

F. 34, v. 1. *In orbem circinatis*] Plinius, 17, 12. *In orbem ramos circinant.*

F. 35, v. 3. *Bibebat Solis radios*] Virgilius, Georg. 1, 380. *Bibit ingens Arcus.* Juvenalis, 11, 201.

Noſtra bibat vernum contracta cuticula Solem.

AD LIBRUM XIII.

FAB. 1. Gibberorum Civitas. Nouveau Gulliver, t. 2. Varro, de re ruſt. 3, 9. *Gallinæ africanæ ſunt grandes, variæ, gibberæ.*

V. 3. *Gibbere insignes*] Plinius, 8, 45. *Bubus ſyriacis non ſunt palearia, ſed gibber in dorſo.*

F. 2. Bufo & Muſtela silveſtris. D'Ardene, f. 35.

V. 4. *Muſtelam silveſtrem*] Plinius, 29, 4. *Muſtelarum duo genera : alterum silveſtre.* Muſtela silveſtris tenuior domeſticâ.

F. 3, v. 20. *Accidi ad pedes*] Cicero, ad Att. 1, 14. *Ad pedes omnium singillatim accidente Claudio.*

V. 21. *Genibus minor*] Horatius, l. 1, epiſt. 12, v. 27.

Jus imperiumque Phraates
Cæſaris accepit, genibus minor.

V. 35. *Tergere palatum*] Vide not. ad l. 4, f. 7, v. 3. Latinè autem *tergo* æquè ac *tergeo* dicimus.

V. 51. *Crudelitatem adhibere*] Cicero, pro domo, c. 23. *Quam crudelitatem in ipſum me ac meos adhibuiſtis.*

F. 4. Bos & Asinus. Le Brun, l. 1, f. 3.

V. 8. *Quorum ſaliva*] Plinius, 23, 1. *Sua cuique vino ſaliva.* Persius, 6, 24.

Nec tenuem ſolers turdorum nôſſe ſalivam.

F. 5, v. 2. *Vomicam aperuit*] Cicero, de nat. Deor. 3, 28. *Nec prodeſſe voluit Pheræo Jaſoni is qui gladio vomicam ejus aperuit, quam ſanare medici non potuerant.*

F. 6. Apelles & Sutor. Le Noble, f. 29.

V. 3. *Poſt pergulam*] Plinius, 35, 10. *Apelles perfecta opera proponebat in pergula tranſeuntibus.* Pergula autem Ulpiano eſt locus ad exponendas merces idoneus.

V. 4. *Avens ſcire*] Horatius, l. 2, ſat. 4, v. 1.

Non eſt mihi tempus aventi
Ponere ſigna novis præceptis.

V. 12. *Multum referens*] Juvenalis, 1, 65.

Et multum referens de Mecænate ſupino.

V. ult. *Supra crepidam*] Ita Plinius, loco jam citato.

F. 7, v. 1. *Terras & lacus cùm raderet*] Horat. l. 2, ſat. 6. v. 25.

Sive aquilo radit terras.

Virgilius, Æn. 5, 217.

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

V. 7. *Ad alta nubila*] Virgilius, Georg. 1, 364.

Altam ſupra volat Ardea nubem.

V. 8. *Nimborum domos*] Virgilius, Georg. 1, 371.

Eurique zephyrique tonat domus.

F. 9. Mors & ejus Miniſtræ. Gay, l. 1, f. 46.

V. 7. *Cachexia*] *Malus corporis habitus eſt*, ut, ait Celſus, 3, 22. Cachexia autem, & melancholia, & apoplexia, quas ille memorat, literis latinis potiùs exprimendæ nobis viſæ ſunt, quàm græcis.

F. 11. Myrtus & Quercus. Le Noble, f. 118.

F. 13. Cicada & Hirundo. D'Ardene, f. 6.

F. 15. Catellus & Moloſſus. Launay, f. 13.

V. 14. *Flentem*] Flere, non eſt ſemper lacrymas emit-

tere. Virgilius, Georg. 4, 514. Flentem exhibet Philomelam.

F. 16. Muſca & Caccabus. Benſerade, f. 90. Targa, f. 21. Verdizotti, p. 146.

F. 17. Agricola & Apes duæ. D'Ardene, f. 28.

V. 6. *Ferocula*] Hirtius, B. Afric. c. 16. *Quid? tu, inquit, miles tiro, tam ferocuius es?*

Ibid. *Cum tuis minaciis*] Plautus, Rud. 3, 5, 16.

Minacias ego iſtas flocci non facio tuas.

F. 18, v. 2. *Perticalem*] Columella, 4, 31. *Perticalis fere ſalix eumdem agrum, quem viminalis deſiderat.*

F. 19. *Cicindela*] Plinius, 18, 26. *Lucentes veſpere per arva Cicindelæ.*

V. 8. *Lux afflaverit*] Virgilius, Georg. 1, 250.

Noſque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis.

F. 20. Sol & Luna. La Motte, l. 2, f. 12.

V. 5. *Lux ambitioſior*] Horatius, l. 1, od. 36, v. 20.

Laſcivis ederis ambitioſior.

Plinius, 5, 15. *Amnis ambitioſus.*

F. 21. Libri duo. La Motte, l. 4, f. 9.

F. 22. Buccina & Echo. Bourſault, com. 2. act. 5, ſc. 3. Alberti, p. 62.

V. 2. *Movere tonitrua*] Ovidius, Met. 2, 308.

Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.

Seneca, Quæſt. nat. 2, 56. *Tonitrua nos pluraliter dicimus: antiqui aut tonitrum dixerunt, aut tonum.*

F. 24. Turdus & Hirundo. Camerarius, f. 303.

V. 9. *Brumam, gelu*] Plinius, 10, 24. *In Germania, hieme maximè, Turdi cernuntur.*

V. ult. *Cautio eſt*] Id eſt, cavendum eſt. Terentius, Adel. 3, 3, 67.

Piſces hi ne mihi corrumpantur, cautio eſt.

Plautus, Pſeud. 1, 2, 37.

Ne quiſquam pertundat crumenam, cautio eſt.

F. 25. Aſini vota. Camerarius, f. 325.

V. 4. *Quid enim?*] Horatius, l. 1, ſat. 1, v. 7.

Militia eſt potior. Quid enim? concurritur.

Phædrus, 3, 8, 8.

Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.

V. 23. *Increpitat hiemem*] Virgilius, Georg. 4, 38.

Æſtatem increpitans ſeram, zephyroſque morantes.

V. 33. *Præ ut nunc*] Terentius, Eun. 2, 3, 8.
Hic verò eſt, qui ſi occeperit, dices ludum & jocum,
Fuiſſe illum alterum, præ ut hujus rabies quæ dabit.

F. 27, v. 1. *Combibonibus.*] Cicero, ad Fam. 9, 25. *Habeo* (controverſias) *cum tuis combibonibus.*

F. 29, v. 14. *Vivum exemplum*] Cicero, de Orat. 3, 8. *Uti præſentibus exemplis atque vivis.*

V. 25. *Nil promovent*] Terentius, Eun. 5, 3, 3.
Move verò ocyus
Te, nutrix... Moveo... Video; ſed nil promoves.

F. 30. Oſtreæ. La Motte, l. 2, f. 15.

V. 51. *Fibræ*] Sunt qui contendant in voce fibræ primam ſyllabam eſſe naturâ ſuâ longam. Manilius tamen, l. 1, v. 92.
Conſultare fibras, & rumpere vocibus angues.

F. 31. Libellus flagitioſus, & Judex. Le Brun, l. 3, f. 17.

F. 32. Latrunculorum ludus. Aubert, l. 1, f. 3. Quem ſapientem æquè ac elegantem poetam vivum vigentemque gratulor Galliæ; atque mihi condonet precor, quòd fabulas ejus aliquot more modoque meo expoſuerim.

AD LIBRUM XIV.

FAB. 1. Spicæ. Le Noble, f. 11.

F. 2. Perſa apud Gallum hoſpes. D'ardene, f. 14.

V. 10. *Toxicum*] Columella, l. 10, ſub fin. de malis perſicis:
Quæ barbara Perſis
Miſerat, ut fama eſt, patriis armata venenis,
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.

F. 3. Pulex & Homo. Bourſault, com. 2, act. 5, ſc. 4.

V. ult. *Noxiæ*] Id eſt, damno. Livius, 41, 23. *Sine ullius eorum, quos oderat, noxiâ.* Terentius, Hec. 3, 1, 30.
Pueri inter ſeſe quàm pro levibus noxiis iras gerunt!

F. 4. Aves deceptæ. Le Noble, f. 46.

F. 5. Villicus & Canes. Richer, l. 12, f. 2. Camerar. f. 23. Faernus, f. 86. Targa, f. 79.

F. 6. Equi duo. Camerarius, f. 311.

V. 2. *Utilitates*] Cicero, ad Att. 7, 5. *Mirabiles uti-*

litates mihi præbet; ad Fam. 16, 3. *Utilitatibus tuis poſſum carere.*

F. 7. Ficus & Aves. Le Noble, f. 65. Bourſault, com. 2, ſc. 3.

F. 9. Vocantur fetidæ. Tales inveniuntur in ultima Africa, ad Bonæ-ſpei promontorium. Vide Petr. Kolbe, *Deſcription du Cap de Bonne-eſpérance*, t. 3, p. 72, ubi narrantur, quæ verſibus expreſſimus.

F. 10. Ruſticus, ejus Filius, & ejuſdem Aſellus. La Fontaine, l. 3, f. 1. Poggius, Facet. 99. Targa, f. 1. Camerarius, f. 185.

V. 26. *Mos obtinet*] Livius, 21, 46. *Plures tradidêre auctores, & fama obtinuit*; id eſt, invaluit. Sic Ulpianus dicit, *conſuetudinem obtinuiſſe.*

V. 72. *Obganniant*] Plautus, Aſin. 2, 4, 16.

Quin centies eadem imperem, atque obganniam.

Terentius, Phor. 5, 8, 41.

Habet hæc, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.

F. 11. Hirundo & Aves aliæ. La Fontaine, l. 1, f. 8. Camerarius, f. 200. Targa, f. 130. Verdizotti, p. 235.

V. 23. *Quid vehat tempus*] A. Gellius, 13, 11. *Lepidiſſimus Liber eſt M. Varronis, ex ſatiris menippeis, qui inſcribitur, NESCIS QUID VESPER SERUS VEHAT.* Vide Virgilium, Georg. 1, 460.

V. 32. *Benigniùs*] Id eſt, largiùs, liberaliùs. Vide Terentium, Hec. 5, 2, 2: Horatium, l. 1, od. 9, v. 6.

V. 48. *Inſequuntur contumeliâ*] Cicero, ad Att. 14, 14, aliàs 16. *Homines benevolos grave eſt inſequi contumeliâ.*

F. 12. Homo & Pulex. La Fontaine, l. 8, f. 5. Camerarius, f. 61.

F. 13. Aranea & Podagra. La Fontaine, l. 3, f. 8. Nic. Gerbelius, ed. R. Steph. p. 234.

V. 2. *Podagra*] Vox iſta pedum dolorem propriè ſignificat: ſed accipi pro morbo articulorum rectè poteſt. Celſus, 2, 7. *Quibus articulorum vitia ſine podagra oriuntur.*

V. 28. *Atrienſis*] Inter atrienſes erant ſcoparii, quorum fit in Pandectis mentio.

V. 29. *Scopas fixas arundini*] Plautus, Stich. 2, 2, 23.

Munditias

Munditias volo fieri: efferte huc ſcopas, ſimulque arundinem,
Ut operam omnem aranearum perdam, & texturam improbam.

V. 42. *Podalirii, aut Machaonis*] Ovidius, Art. 2, 735.
Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi.

Pont. 3, 4, 7.
Firma valent per ſe, nul'umque Machaona quærunt.

V. 49. *Quàm longa*] Vide not. ad l. 5, f. 7, v. 12.

V. 68. *Superbi corporis*] Horatius, l. 2, ſat. 2, v. 109.
Pluribus aſſuërit mentem, corpusque ſuperbum.

V. 75. *Malagmatis*] Plinius, 22, 24. *Non fecit malagmata, emplaſtra, parens illa, ac divina rerum artifex.* Celſus, 5, 17. *Malagmata maximè ex floribus fiunt: ſuper integram cutem injiciuntur.*

F. 15, V. 13. *Sic rupta*] Horatius, l. 1, ſat. 5, v. 59.
Quid faceres, cùm
Sic mutilus, miniteris?

F. 16, V. 3. *Xyſto*] Phædrus, 2, 5, 18.
Præcurrit alium in xyſtum, ſedans pulverem.

V. 5. *Annis venientibus*] Horatius, Art. poet. v. 175.
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum.

V. 23. *Mussitans*] Terentius, Adel. 2, 1, 53.
Accipienda & mussitanda injuria adoleſcentium eſt.

Ad quem locum Donatus: *Mussitare, eſt propriè dissimulandi causâ tacere.*

V. 24. *In vacuum*] Horatius, l. 2, ſat. 5, v. 48.
Ut & ſcribare ſecundus
Heres; &, ſi quis caſus puerum egerit orco,
In vacuum venias.

F. 19. Vinum & Amphoræ. Launay, f. 18.

V. 8. *Non ita creditus*] Id eſt, non creditus Amphoris, ut eum illæ corrumperent. Horatius, l. 1, od. 24, v. 11.
Non ita creditum
Poſcis Quintilium Deos.

F. 20. Mus captus. D'Ardene, f. 50.

V. 1. *Muſcipuli*] Vide not. ad l. 1, f. 17, v. 1.

V. 28. *Redacta ad minutiam*] Seneca, epiſt. 90, de granis: *Donec ad minutiam redigantur.* Apuleius, Metam. l. 8. *Digitos ad ſummam minutiem contero.*

F. 21. Citrus & aliæ arbores. Le Brun, l. 2, f. 29.

V.

F. 22. Hirundo & ejus Filia. Aubert, l. 1, f. 12.

V. 3. *Atque audin'?*] Terentius, And. 1, 5, 65.

Propera :
Atque audin' ? verbum unum cave de nuptiis.

5, 2, 24.

Cura ad ſervandum vinctum : atque audin' ? quadrupedem conſtringito.

F. 23. Aſellus junior. Aubert, l. 2, f. 8.

F. 24. Culex in caſa, tum in aula. Aubert, l. 2, f. 4.

F. 25. Gallina & Philoſophus. Aubert. l. 4, f. 1.

V. 8. *Clarè oculis video*] Ita Plautus, Mil. 3, 1, 36.

F. 26. Aranea & Bombyx. Aubert, l. 4, f. 18.

F. 27. Gallus & Vulpecula. La Fontaine, l. 2, f. 15. Camerarius, f. 261. Verdizotti, p. 90.

V. ult. *Meritiſſimò*] Cicero, de Orat. 1, 55. *Amare meritiſſimò debemus.*

F. 29, v. 39. *Timore territus*] Cicero, Divin. 1, 28. *Narravi me contremuiſſe timore perterritum.*

V. 57. *Alapam ſibi ducit*] Phædrus, 5, 3, 1.

Calvi momordit Muſca nudatum caput :
Quam opprimere captans, alapam ſibi duxit gravem.

V. 64. *Infirma*] Horatius, l. 1, ſat. 9, v. 70.

Nulla mihi, inquam,
Religio... at mî : ſum paulò infirmior.

F. 30, v. 1. *Abundantem nuce*] Cicero, de Senect. c. 17. *Villa abundat porco, hædo, agno, gallinâ, lacte, caſeo, melle.*

V. 5. *Alimoniæ*] Suetonius, Calig. c. 42. *Collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit.* A. Gellius, 17, 15. *Amiſſo omnis alimoniæ fundamento.*

V. 17. *Carbaſi fungitur vice*] Horatius, Art. p. v. 304. *Fungar vice cotis.*

F. 31, v. 29. *Obtines*] Id eſt, ſervas tibi. Plautus, Mil. 2, 2, 30. *Obtineat colorem.* Cicero, ad Q. frat. l. 1, epiſt. 1, c. 12. *Neceſſitudinem, quæ eſt nobis cum publicanis, obtinere & conſervare patiantur.*

F. 32, v. 9. *Ad ſummum gloriæ*] Horatius, l. 2, epiſt. 1, v. 32.

Venimus ad ſummum fortunæ.

V. 10. *Pumili*] Statius, Silv. l. 1, carm. 6, v. 61.

Hîc audax ſubit ordo pumilorum.

F. 33. Leo & Simius. Bourſault, com. 2, act. 1, ſc. 5. Le Brun, l. 1, f. 11.

AD LIBRUM XV.

FAB. 1. Acanthis & Pueri. Aubert, l. 3, f. 9.

V. 24. *Corpuſculis*] Cicero, de nat. Deor. 1, 24. *Corpuſcula quædam lævia, alia aſpera, rotunda alia, partim autem angulata, curvata quædam & quasi adunca.*

F. 2. Philomela & aves aliæ. Aubert, l. 5, f. 9.

F. 3. Rationis Liber. Aubert, l. 3, f. 4.

F. 4. Aſinus ſomnians. Aubert, l. 4, f. 15.

F. 5. Ruſticus & Venti. Aubert, l. 4, f. 19.

F. 6. Adoleſcens & Anguillæ. D'Ardene, f. 47.

V. 24. *Manibus ficulneis*] Vide Mich. Apoſtolii proverbia, & adagia Eraſmi : ubi ficulneæ pro infirmis manibus accipiuntur.

F. 8. Puer & Cadi duo. D'Ardene, f. 41.

F. 9. Pyrus & Surculus. Le Brun, l. 4, f. 22.

V. 24. *Varicat*] Quintilianus, Inſt. 11, 3. *Varicare ſupra modum, & in ſtando deforme eſt.*

V. ult. *Diſciplinis inhabiles*] Cicero, Œcon. l. 1, apud Columellam, l. 12, c. 1. *Mulieri, quia omnibus his rebus fecerat* (Natura) *inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit.*

F. 10. Saxum piſcatoriis retibus captum. Benſer. f. 140. Camerarius, f. 13.

F. 11, V. 12. *Circinata rotunditas*] Plinius, 16, 23. *Circinatæ rotunditatis ſunt.* Auctor loquitur de foliis populi nigræ. Porrò tam rotunda quoque ſæpe eſt ramorum cedrinorum amplitudo, ut ad rationem circini compoſita eſſe videatur. Vide Dandini, Laroquæi, & aliorum peregrinationes ad montem Libanum.

V. 15. *Prægravet*] Horatius, l. 2. epiſt. 1, v. 13.

Urit enim fulgore ſuo, qui prægravat artes
Infra ſe poſitas.

F. 12. Mercurius & Apollo. Bourſault, com. 2, act. 1, ſc. 5.

V. 19. *Memoriâ defici*] Cicero, pro Cluent. c. 65. *Mulier abundat audaciâ, conſilio deficitur.*

F. 13. Opilio & Lupæ Catulus. Camerarius, f. 70.

V. 11. *Opilionis ob metum*] Vide not. ad l. 6, f. 4, v. 4.

V. 29. *Tuburcinantis*] Nonius, c. 2, n. 851. *Tuburcinari ſignificat, raptim manducare.* Vide Plautum Perſ. 1, 3, 42.

F. 14. Porcus & Canis venaticus. Camerarius, f. 312.

F. 15. Homo & Equus. Camerarius, f. 327.

V. ult. *Solens feciſſem*] Plautus, Amph. 1, 1, 43.
Si dixero mendacium, ſolens meo more fecero.

F. 17. Vulpis & Cervus. Camerarius, f. 411.

F. 18. Canes duo. Camerarius, f. 91.

V. 18. *Sum extra noxiam*] Ita Terentius, Hec. 2, 3, 3.

F. 21. Viator & Pyra. Camerarius, f. 315.

V. 7. *Teruncio*] Plinius, 33, 3. *Quadrans antea, teruncius vocatus a tribus unciis.*

F. 23. Sus & Equus. Camerarius, f. 116.

V. 3. *Incubabat deliciis*] Virgilius, Æn. 6, 610.
Aut qui divitiis ſoli incubuêre repertis.
Cicero, pro Cluen. c. 26. *Qui illi pecuniæ, quam recondiderat, ſpe jam & animo incubaret.*

F. 24, v. 14. *Dona dentur*] Donatus, ad Terentii, Eun. 3, 9, 27. *Donum Diis datur, munus hominibus.*

F. 25, v. 8. *Aranearum telas*] Val. Maximus, l. 7, c. 2. *Anacharsis Leges aranearum telis comparabat: nam ut illas infirmiora animalia retinere, valentiora tranſmittere; ita his humiles & pauperes conſtringi, divites & præpotentes non alligari videmus.*

F. 26. Agaſo & Aſinus. Richer, l. 11, f. 5.

F. 28. Canes duo. Le Noble, f. 112.

F. 29. Homo docilis. Camerarius, f. 409.

F. 31, v. 9. *Tuburcinari*] Vide not. ad fab. hujus libri 13, v. 29.

V. 15. *Evigilat*] Vide not. ad l. 1, f. 14, v. 18.

V. 24. *Excluſiſſima*] Plautus, Menæch. 4, 3, 24.
Abiit intrò, occluſit ædes. Nunc ego ſum excluſiſſimus:
Neque domi, neque apud amicam mihi jam quidquam creditur.

F. 33. Lupus & Ovis. Jaïus, t. 1.

F. 35, v. 1. *Apus*] Plinius, 10, 39. *Plurimùm volant, quæ Apodes, quia careant uſu pedum.*

F. 36. Cothurnix, Perdix, & Cornix. Richer, l. 1, f. 3.

F. 41, v. 4. *Honos ſit auribus*] Curtius, 5, 1, 38. *Ad ultimum (honos auribus ſit) ima corporum velamenta projiciunt.*

V. 9. *Prandium*] Plautus, Truc. 3, 1, 1.

Rus mane dudum hinc ire me juſſit pater,
Ut bubus glandem prandio depromerem.

F. 42, v. 1. *Hemerobion*] Hoc beſtiolarum genus ἐφήμερον ab Ariſtotele, l. 5 hiſt. animal. c. 19, ab Æliano autem, l. 5 de animal. c. 43. μονήμερον vocatur. Cicero, Tuſcul. 1, 39. *Apud Hypanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Ariſtoteles ait beſtiolas quaſdam naſci, quæ unum diem vivant: ex his igitur, horâ octavâ quæ mortua eſt, provectâ ætate mortua eſt, quæ verò occidente ſole, decrepitâ, eò magis ſi etiam ſolſtitiali die.* Plinius, 11, 36. *Hypanis fluvius in Pontum, circa ſolſtitium, defert: acinorum effigie, tenues membranas, quibus erumpit volucre quadrupes: nec ultra unum diem vivit: unde hemerobion vocatur.*

V. 6. *Ætatis imbecillæ*] Horatius, l. 2, ſat. 2, v. 85.

Accedent anni; ac tractari molliùs ætas
Imbecilla volet.

F. 43, v. 1. *Ægithus*] Plinius, 10, 74. *Bellum habet cum Aſino. Spinetis enim ſe, ſcabendi causâ, atterens, nidos ejus diſſipat.* Ariſtoteles, hiſt. animal. l. 9, c. 1. αἰγίθῳ δὲ καὶ ὄνῳ πόλεμος. *Ægitho bellum eſt cum Aſino.*

V. 5. *Se ferus impingit*] Horatius, l. 1, epiſt. 13, v. 7.

Abjicito potiùs, quam, quò perferre juberis,
Clitellas ferus impingas.

Seneca, de ira, l. 1, p. 35, edit. Elz in-8°. *Quid opus eſt menſam evertere? quid pocula adfligere? quid ſe in columnas impingere?*

F. 44. Alexander Rex & Apelles. Hegemon, f. 4.

V. 7. *Dum terunt colores*] Plinius, 35, 10. *Alexandro in officina imperitè multa diſſerenti ſilentium comiter ſuadebat Apelles, rideri eum dicens a pueris, qui colores tererent.*

F. 45. Thales & Ancilla. La Fontaine, l. 2, f. 13.

Æſopus, f. 169. Gabrias, f. 22. Faernus, f. 73.

V. 1. *Thales*] Auſonius, Sept. Sapient.

Mileſius Thales ſum, aquam qui principem
Rebus creandis dixi.

Juvenalis, 13, 184.

Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium.

V. 3. *Plato memorat*] Sub Socratis perſona, dialogo qui inſcriptus eſt Theætetus. Vide & Diogenem Laertium, l. 1, n. 34.

F. 46. Lilium. Hanc veriùs dixeris Allegoriam in ortum ſereniſſimi Burgundiæ Ducis.

V. 4. *Lacrymulam*] Terentius, Eun. 1, 1, 22. *Unâ lacrymulâ.* Cicero, pro Plan. c. 31. *Non modò lacrymulam, ſed multas lacrymas videre potuiſti.*

V. 15. *Gaudium hoc ut gaudeant*] Cic. ad Fam. 8, 2. *Hortenſius introiit, puto, ut ſuum gaudium gauderetus.*

EPIL. v. 7. *Vocaliorem*] Seneca, Quæſt. nat. 2, 29. *Vides quantò vocaliora ſunt vacua, quàm plena.* Plinius, 10, 12. *Bubo funebris... nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu.*

V. 11. *Præſepultus*] Quintilianus, declam. 9, c. 23. *Video ſenem, meliore ſui parte præſepultum, omnis etiam ſpei ſuperſtitem.*

V. 9. *Inhonoratos*] Vide Ciceronem, Tuſcul. 3, 34. Quintilianum, Inſt. 1, 5, & alios.

V. 14. *Vivi pervênimus*] Virgilius, Ecl. 9, v. 2.

O Lycida, vivi pervenimus, advena noſtri
(Quod numquam veriti ſumus) ut poſſeſſor agelli
Diceret: Hæc mea ſunt: veteres migrate coloni.

V. 23. *Pro meris nugis putet*] Cic. in Ant. c. 9 *Nos ſprevit & pro nihilo putavit*; de Orat. 2, 84. *Sapientia & magnitudo animi pro nihilo putantur*; ad Att. 6, 3. *Amicos habet meras nugas.*

V. ult. *Hæc monſtra*] Juvenalis, 4, 2, de homine flagitiis coöperto:

Monſtrum, nullâ virtute redemptum
A vitiis.

15, 171, de feris quibuſdam hominibus:

Quid diceret ergo,
Vel quò non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret
Pythagoras?

INDEX

FABULARUM.

A.

Acanthis & Pueri. lib. 15, f. 1.
Accipiter, electus a Columbis Rex contra Miluum, Miluo ipſo crudelior. l. 3, f. 18.
Accipiter & Cuculus. l. 3, f. 38.
Accipiter & Luſcinia. l. 9, f. 31.
Accipiter & Noctua. l. 8, f. 4.
Accipiter Paſſerem, e latibulo prodeuntem, capit. l. 13, f. 10.
Adamas & Artifex imperitus. l. 10, f. 39.
Adoleſcens & Anguillæ. l. 15, f. 6.
Ægithus & Asinus. l. 15, f. 43.
Æſculus, Agricolæ, & pagi Dominus. l. 14, f. 8.
Æthiops lavatur. l. 3, f. 33.
Agaſo & Asinus. l. 15, f. 26.
Agaſo ridet, videns Aſelli ſui lepidum infortunium. l. 5, f. 15.
Ager, in quo Theſaurus. l. 5, f. 7.
Agnus, ab inconſulto Leone omiſſus, tuto loco ſe recipit. l. 4, f. 27.
Agricola Ederam evellit. l. 5, f. 26.
Agricolæ & Mercurius. l. 1, f. 20.
Agricolæ Puero mendaci ferre opem recuſant. l. 2, f. 6.
Agricolæ, pulcherrimam Æſculum evertere volentes, a pagi Domino commoniti, reſipiſcunt. l. 14, f. 8.
Agricola & Apes duæ. l. 13, f. 17.
Agricola & Arbores. l. 5, f. 42.

Agricola & Ciconia. l. 3, f. 2.
Agricola & ejus filii. l. 2, f. 12.
Agricola & Fortuna. l. 2, f. 37.
Agricola & perticales Arbuſculæ. l. 13, f. 18.
Agricola in Miluum animadvertit. l. 2, f. 28.
Agricola exoratur a Salice, ut ipſam e valle in montem transferat. l. 12, f. 28.
Alauda ſublimè fertur, dum Struthiocamelus hæret in ſolo. l. 11, f. 13.
Alba-ſpina & Ficus. l. 5, f. 39.
Alexander Rex & Apelles. l. 15, f. 44.
Amarantus Roſæ jactationem retundit. l. 2, f. 43.
Amnes, Pontus, & Natura. l. 11, f. 1.
Amnis & Fons. l. 5, f. 16.
Amygdala & Pyrus. l. 5, f. 41.
Anates Teſtudinem, peregrinandi cupidam, per auras efferunt. l. 7, f. 24.
Ancillæ, ſomni longioris appetentes, Gallum gallinaceum occidunt. l. 4, f. 20.
Ancilla ridet inceptum Thaletis. l. 15, f. 45.
Anglorum Rex, Luporum legatos rejicit. l. 7, f. 3.
Anguilla & Anguis. l. 9, f. 1.
Anguillas involutæ fronde ficulneâ manus facilè retinent. l. 15, f. 6.
Anguis, roſam Jovi offerens, rejicitur. l. 15, f. 24.
Anicula & ejus Ancillæ. l. 4, f. 20.
Anicula, puerulum increpans, aliud loquitur, aliud ſentit. l. 2, f. 16.
Anſer, cum Cycno ſtabulans, obtruncatur. l. 1, f. 22.
Anſer gloriatur, quòd calamum nobili Poetæ ſuppeditaverit. l. 4, f. 17.
Anſeres, nimio corpore impediti, capiuntur. l. 2, f. 8.
Apelles & Sutor. l. 13, f. 6.
Apelles Regi Alexandro, de arte pingendi differere non dubitanti, ſuadet ſilentium. l. 15, f. 44.

Aper & Cerva. l. 3, f. 31.
Apes & ipſarum Dominus. l. 2, f. 25.
Apes, in Suem irruentes, damnum ab eo illatum ulciſcuntur. l. 9, f. 3.
Apis docet utile eſſe dulci miſcendum. l. 8, f. 2.
Apis & Eruca. l. 6, f. 23.
Apis exprobrat Muſcæ amorem ſordium. l. 15, f. 41.
Apis & Jupiter l. 8, f. 11.
Apis silens, damnosior, quàm altera minitans. l. 13, f. 17.
Apodes duæ, ad humum delapſæ. l. 15, f. 35.
Apollo, venale ingenium clamitans, emptoribus caret. l. 15, f. 12.
Aquila, Corvus, & Paſtor. l. 1, f. 3.
Aquila & Corvus. l. 6, f. 28.
Aquila & Gruis. l. 12, f. 15.
Aquila & Mus. l. 1, f. 21.
Aquila & Pavo. l. 6, f. 4.
Aquila & Sol. l. 1, f. 28.
Aquila fruſtra monet Teſtudinem, ut ne artem volandi velit addiſcere. l. 2, f. 5.
Aquila Graculum, furti reum, occupat. l. 13, f. 26.
Aquila judex inter Miluum & Corvum. l. 4, f. 8.
Aquilarum mores. l. 7, f. 21.
Aquila Scarabæum in plagas æthereas fert ſecum, inſcia. l. 11, f. 20.
Aquilæ judicium de virtutibus ac vitiis Columbuli. l. 8, f. 30.
Aquilo vim effundit in Viatoris pallium ineſficacem. l. 3, f. 1.
Aranea, cùm ab opere malo ſuo textorio desiſtere nolit, necatur. l. 15, f. 7.
Aranea & Bombyx. l. 14, f. 26.
Aranea & Hirundo. l. 3, f. 40.
Aranea & Podagra. l. 14, f. 13.

Aranearum telæ Muſcas retinent, Veſpas tranſmittunt. l. 15, f. 25.
Arbores rectæ & proceræ ſucciduntur : torta una atque humilis relinquitur. l. 5, f. 25.
Arbores vetulæ duæ Arbuſculam ſuperbientem opprimunt. l. 14, f. 16.
Arborum duarum una fructus præcoces & malos, altera ſeros fert, at bonos. l. 10, f. 6.
Arbuſcula, Arbor, & Colonus. l. 8, f. 15.
Arbuſcula & Arbores. l. 14, f. 16.
Arbuſcula & Quercus. l. 9, f. 28.
Ardea & Piſces. l. 7, f. 13.
Ardea, quæ ſe ægrè a terra ſuſtulit, ſupra nubes volat. l. 13, f. 7.
Aries & Taurus. l. 1, f. 18.
Arion & Delphin. l. 12, f. 29.
Arundo ventos ſummiſſa reveretur : & clementes habet. l. 6, f. 10.
Aſella & ejus Pullus. l. 12, f. 8.
Aſello videtur intricatior Philomelæ cantus, Cuculi autem æquabilior, ac proinde præſtantior. l. 9, f. 34.
Aſellus a Corvo malè vexatur. l. 5, f. 15.
Aſellus, ejuſque Herus. l. 3, f. 21.
Aſellus & Equus. l. 2, f. 18.
Aſellus & Liber. l. 7, f. 14.
Aſellus & Rivus. l. 10, f. 17.
Aſellus, fimum, deinde flores gerens. l. 11, f. 7.
Aſellus junior ſui dorsi elegantiam venditat. l. 14, f. 23.
Aſellus, onuſtus ſale, deinde ſpongiis. l. 5, f. 31.
Aſellus, ſive deportetur a ſuis ductoribus, ſive ipſos vehat, pariter movet homines, ut improbent. l. 14, f. 10.
Aſellus viridis. l. 2, f. 36.
Aſini duo, & Vulpis. l. 6, f. 17.

Asini vota poſtrema, ſtultiora prioribus. l. 13, f. 25.
Asinus, ab Equo læſus, malefacti pœnam ad eum reverti videt, & ſe conſolatur. l. 1, f. 23.
Asinus conqueritur, quòd non habeat cornua. l. 2, f. 30.
Asinus cujuſdam Sophiſtæ alumnus. l. 8, f. 7.
Asinus, culpam levem confeſſus, mactatur. l. 1, f. 1.
Asinus dominos mutans. l. 3, f. 14.
Asinus & Canis. l. 3, f. 14.
Asinus & Equus. l. 3, f. 32.
Asinus excuſat ſe ineptè apud Ægithum, quod nidum ejus everterit. l. 15, f. 43.
Asinus, pelle Leonis indutus. l. 10, f. 33.
Asinus ſalivam herbarum omnium unam ſibi paremque eſſe confitetur. l. 13, f. 4.
Asinus ſarcinulis ſuccumbit levibus quidem, at quæ oneri, jam gravissimo, accesſiſſent. l. 4, f. 13.
Asinus ſibi fingit, Leonem, cantu Galli territum, fugere ex ſui metu. l. 4, f. 7.
Asinus silveſtris, & Asinus domeſticus. l. 2, f. 26.
Asinus, Simia, & Talpa. l. 2, f. 30.
Asinus ſomnians, hominem ſe putat. l. 15, f. 4.
Avarus & ejus filius. l. 5, f. 24.
Avarus & Graculus. l. 10, f. 30.
Avarus & Theſaurus, l. 4, f. 15.
Aves deceptæ. l. 14, f. 4.
Aves, de creando Rege deliberantes. l. 10, f. 26.
Avis, ejusque Pulli, & Villicus. l. 3, f. 27.
Avis ſolitaria, tædio ſuæ ſolitudinis affecta, quærit, nec invenire extra ſe felicitatem poteſt. l. 7, f. 21.
Avium & Piſcium fedus. l. 9, f. 27.
Avium, ſtudio canendi deditarum, mores. l. 7, f. 21.
Auceps, prædam ſatis magnam aſpernatur, exiguissimam, ne vacuus diſcedat, capit. l. 9, f. 29.
Auceps, Palumbus, & Serpens. l. 3, f. 29.

Canis ſuccurrentis Heri manum ſauciat. l. 13, f. 28.
Canis Taurum ſtrangulat. l. 12, f. 19.
Canis vanam Sciuri diligentiam aſpernatur. l. 13, f. 29.
Canis venaticus & Moloſsi. l. 10, f. 11.
Canis venaticus Perdicem deteƈtam, ſubsidendo, indicat. l. 7, f. 1.
Canis venaticus vitam Porci otioſam, at turpem, reſpuit. l, 15, f. 14.
Capella, fœdè ab irato Caprario ſauciata, rogatur ut ne faƈtum indicet. l. 15, f. 22.
Caper, a Vulpe deluſus, in puteo relinquitur. l. 3, f. 10.
Caper inſolens a Tauro necatur. l. 3, f. 22.
Capo, fasciâ rubrâ insignis, ludibrio habetur. l. 1, f. 10.
Capones duo, unus macer, alter pinguis. l. 3, f. 39.
Capra Hædum admonet, januam aperiat nemini, dum ipſa redeat. l. 3. f. 8.
Capra Leonis conſilium reſpuit. l. 2, f. 19.
Caprarius & Capella. l. 15, f. 22.
Carbonarius & Fullo. l. 5, f. 4.
Caſeus & Felis. l. 5, f. 35.
Caſtanea, prunis injeƈtis oppreſſa, crepat, at non inulta. l. 14, f. 15.
Catella, poſt mortem Dominæ, duriter viƈtitare cogitur. l. 4, f. 12.
Catellus arrogans, Moloſſum laceſſere auſus, ab eo probè caſtigatus dimittitur. l. 13, f. 15.
Catellus pretio magno, ob ſuam exilitatem, coëmitur. l. 7, f. 19.
Catellus, Ovis, & Cuniculus. l. 5, f. 43.
Catellus Leænæ unus, at Leo. l. 4, f. 1.
Catulus lupinus ad mores caninos penitùs informari nequit. l. 15, f. 13.

Cedrus & Rubus. l. 15, f. 11.
Cera & Later. l. 5, f. 20.
Cerva & Bos. l. 13, f. 3.
Cerva Leonem eludit fugâ. l. 4, f. 28.
Cerva, Venator & Leo. l. 2, f. 23.
Cervus æger. l. 8, f. 25.
Cervus & Hinnuleus. l. 2, f. 2.
Cervus & Piſcator. l. 10, f. 19.
Cervus & Vitis. l. 5, f. 5.
Cervus, fraude lepidâ, Leonem reddit ex irato benignum. l. 8, f. 12.
Cervus ſibi plaudit, quòd invidia perſpicax unam ipſi tibiarum exilitatem objicere potuerit. l. 5, f. 3.
Chamæleon colorem reddit, quemcumque attingit, præter rubrum, candidumque. l. 10, f. 21.
Chorda Lyræ argentea. l. 3, f. 33.
Cicada egens a Formica rejicitur. l. 1, f. 2.
Cicindela & Luſcinia. l. 13, f. 19.
Ciconia necat, diſcerpitque Colubrum. l. 11, f. 30.
Ciconiæ ſua eſt perniciosa cum Gruibus ſocietas. l. 3, f. 2.
Cymbium lactis, & magnæ ſimul ſpes evertuntur. l. 6, f. 12.
Cimex, Pulex, & Culex. l. 14, f. 29.
Circulator concionem ab Oratore ad ſe tintinnabulo ſuo devocat. l. 9, f. 40.
Circulator, dum ſuam gentem pigmæorum ligneam agitat in pulpito, pro mago habetur. l. 14, f. 28.
Ciſterna & Rivulus. l. 14, f. 31.
Citrus & aliæ Arbores. l. 14, f. 21.
Cochlea huc adrependo pervenit, quò pervenire volando Gallus non poteſt. l. 9, f. 11.
Colonus monet Puerum, ut caveat ſibi a ſerpentibus, dum flores legit. l. 4, f. 19.
Colubra & Ericius. l. 8, f. 18.

Columba & ejus Pullus, Buboque & Aquila. l. 8, f. 30.
Columba & Turtur. l. 6, f. 19.
Columba, in pictæ ſolitudinis imaginem irruens, offendit ſolido. l. 9, f. 4.
Columba plumipes & Columba ſaxatilis. l. 1, f. 9.
Columba ſalutiferam opem a Formica recipit, quam ipsi priùs dederat. l. 2, f. 24.
Columba violam offert Jovi. l. 15, f. 24.
Columbæ a Vulture miſerabiliter deceptæ. l. 13, f. 23.
Columbæ & Accipiter. l. 3, f. 18.
Columbæ & Retia. l. 15, f. 16.
Columbæ magno ſuo damno revocant ad concordiam Miluos inter ſe bellantes. l. 7, f. 17.
Columbæ ſtulta simplicitas, quæ non fit ex noto periculo prudentior. l. 5, f. 23.
Combibones duo. l. 13, f. 27.
Corcodilus Tigrim rapit. l. 10, f. 7.
Cornicula & Columba. l. 9, f. 18.
Cornicula ſuperbientem Noctuam docet, ipſam eſſe factam ludum & jocum. l. 12, f. 9.
Cornicula vexat Ovem; Canem veretur. l. 2, f. 17.
Cornix annum vitæ centeſimum, ætatis ipſum ver putat. l. 15, f. 42.
Cornix Aquilæ furori ſubducere Graculum tentat. l. 13, f. 26.
Cornix & Columbæ. l. 15, f. 31.
Corvorum mores. l. 7, f. 21.
Corvus Aquilæ exemplo deceptus. l. 1, f. 3.
Corvus, Aſellus, & Agaſo. l. 5, f. 15.
Corvus cauſam obtinet ab Aquila contra Miluum. l. 4, f. 8.
Corvus & Cycnus. l. 12, f. 2.
Corvus & Lepus. l. 7, f. 26.
Corvus & Lupi. l. 9, f. 33.

Corvus & Serpens. l. 3, f. 25.
Corvus & Urna. l. 3, f. 23.
Corvus excuſat ſe, quòd pecudes mortuas depaſcatur. l. 6, f. 28.
Corvus fodicat Vulpem, mortuam ratus. l. 15, f. 17.
Corvus nimiùm loquax. l. 10, f. 12.
Corvus Philomelam terret, cogitque mutare ſedem. l. 6, f. 18.
Cothurnix, Perdix, & Cornix. l. 15, f. 36.
Crocodilus & Vulpis. l. 3, f. 28.
Cuculus conditione tenui, præ Accipitre, at ſecurâ fruitur. l. 3, f. 38.
Cuculus & Luſcinius. l. 6, f. 27.
Cuculus, Philomela, & Aſellus. l. 9, f. 34.
Cucurbita & Arbor. l. 5, f. 32.
Cucurbita, Glans, & Ruſticus. l. 1, f. 14.
Culex, ad inſuetum lumen accedens, concrematur. l. 9, f. 13.
Culex, cadi primùm, deinde cellæ, denique Cæli ſpatia miratur. l. 12, f. 23.
Culex & Taurus. l. 5, f. 17.
Culex, flagitii reus, opprimitur. l. 14, f. 29.
Culex in casa, tum in aula. l. 14, f. 24.
Culex, Leo, & Aranea. l. 3, f. 17.
Cultor arborum imperitus. l. 8, f. 29.
Cuniculus cum Muſtela litigans. l. 7, f. 22.
Cuniculus & Hirudo. l. 12, f. 5.
Cuniculus & Venator. l. 12, f. 26.
Cycni candor oppoſitâ Corvi nigritie, magis elucet. l. 12, f. 2.
Cycnus & Anſer. l. 1, f. 22.
Cycnus modum canendi novum tentat, & vituperatur. l. 9, f. 9.
Cynicus & Rex. l. 9, f. 39.

D.

DELPHIN Ariona, ſpulſum e navi, recipit in dorſum, vehitque. l. 12, f. 29.
Delphinus & Simius. l. 5, f. 13.
Deus ligneus. l. 4, f. 24.
Divinus infortunium ſuum ignorans. l. 8, f. 3.

E.

ECHO remittit Buccinæ ſonos, ad tonitrua autem obmuteſcit. l. 13, f. 22.
Edera & Agricola. l. 5, f. 26.
Edera & Murus. l. 8, f. 6.
Edera Quercum interrogat, annon vicinæ arbores ipsi noceant : at ſola eſt, quæ noceat. l. 6, f. 26.
Enſis & Vomer. l. 7, f. 10.
Equi duo, alter neglectus, licèt præſtantior ; dilectus alter, quamvis deterior. l. 14, f. 6.
Equi duo, ineptus alter, alter docilis. l. 11, f. 4.
Equulus & Equus. l. 5, f. 9.
Equus, a bello redux, Suem, qui conditionem ejus ſpreverat, occiſum videt. l. 15, f. 23.
Equus ad pericula belli adornatur. l. 3, f. 52.
Equus ægrotans & Canis. l. 2, f. 32.
Equus bellator, poſtquam factus eſt ſenex, ad molam aſinariam ablegatur. l. 15, f. 37.
Equus domitus. l. 15, f. 20.
Equus & Aſinus. l. 1, f. 23.
Equus & Lupus. l. 4, f. 9.
Equus & Muſcæ. l. 10, f. 14.
Equus & Seſſor imperitus. l. 8, f. 31.
Equus, pede lapſus in via difficili, irato Equiti ſe excuſat. l. 15, f. 15.

Equus ſeneſcens, pertrahendo plauſtro admovetur. l. 7, f. 20.
Equus ſenior, juniorem exercendo erudit. l. 5, f. 9.
Ericius, arte pollens unâ, ſed optimâ. l. 5, f. 37.
Ericius Colubram irruentem ſpiculis fodit. l. 8, f. 18.
Ericius & Talpa. l. 1, f. 5.
Ericius, opem Vulpi contra Muſcas offerens, rejicitur. l. 3, f. 41.
Eruca & Vipera. l. 10, f. 43.
Eruca fit volucris. l. 11, f. 28.
Eruca Roſam pulcherrimam erodit. l. 6, f. 23.
Erucæ duæ, quarum una fit Papilio. l. 8, f. 22.
Exercitus duo præliantes & Muſcæ. l. 11, f. 26.
Ex ſervo Dominus, in partem rhedæ, ſibi uni patentis, poſticam, ut olim ſolebat, imprudenter inſilit. l. 11, f. 16.

F.

Felis a Muſtela, Cuniculoque judex de controverſia ſumitur. l. 7, f. 22.
Felis, Caſeum a Mure defendere juſſa, Murem & Caſeum ipſum devorat. l. 5, f. 35.
Felis, comitans Puerum, cibos ejus, non ipſum ſecuta eſt. l. 13, f. 12.
Felis & Canis. l. 10, f. 34.
Felis & Mus. l. 9, f. 7.
Felis excuſat ſe villico, quòd ejus Caſeum comederit. l. 10, f. 22.
Felis, nimis operosè munditias exquirens, ab immundo Porco redarguitur. l. 12, f. 30.
Felis, ſpeciem bonæ ſanctæque beſtiæ exhibens, Muſculum vorat. l. 4, f. 5.
Felis viſa imprudenti Muſculo amabilis. l. 10, f. 4.
Felis, Vulpis, & Lupus. l. 11, f. 27.
Femina mortem pro marito appetens. l. 2, f. 29.

Ficedulæ duæ fame laborantes. l. 12, f. 18.
Ficus Albæ-ſpinæ ſuperbiam refellit. l. 5, f. 39.
Ficus & Aves. l. 14, f. 7.
Filius Avari integra poma ſubripit patri, putrida ei relinquit. l. 5, f. 24.
Fluvii duo, alter perſtrepens, alter silens. l. 5, f. 22.
Fons, gloriosi Amnis pater, inſolentiam ejus retundit. l. 5, f. 16.
Fontes duo, unus in pratum amœnum excurrens, alter fluens inter cautes aſperas. l. 11, f. 14.
Formica & Cicada. l. 1, f. 2.
Formica & Columba. l. 2, f. 24.
Formica & Eruca. l. 11, f. 28.
Formica & Jupiter. l. 8, f. 28.
Formica expoſtulantem de hominum injuria Gallinam redarguit. l. 11, f. 10.
Formicæ duæ vitam agunt, altera duram, at longam; altera delicatam, at brevem. l. 7, f. 25.
Fortuna querelam Agricolæ refutat. l. 2, f. 37.
Fringuilla reperit mortem, dum ſervitutem fugit. l. 2, f. 21.
Fullo cavet, ne ſecum habitare velit Carbonarius. l. 5, f. 4.
Fur deceptus. l. 8, f. 23.
Fures & Gallus. l. 5, f. 14.

G.

GALLINA ægrotans. l. 2, f. 4.
Gallina & Formica. l. 11, f. 10.
Gallina & ova Crocodili. l. 5, f. 10.
Gallina & Philoſophus. l. 14, f. 25.
Gallina ova pariens aurea. l. 2, f. 15.
Gallina plumis ſpoliata. l. 10, f. 31.
Gallinæ advenit cum pinguitudine ſterilitas. l. 3, f. 11.

Gallum vorat Vulpis. l. 1, f. 16.
Gallus, Aſinus, & Leo. l. 4, f. 7.
Gallus & Cochlea. l. 9, f. 11.
Gallus & Vulpecula. l. 14, f. 27.
Gallus & Vultur. l. 9, f. 23, 24.
Gallus, homines ad opus diurnum excitare ſolitus, ſuam operam Furibus venditat, qui eum ob id ipſum interficiunt. l. 5, f. 14.
Gallus Muſculum territat. l. 10, f. 4.
Gallus Noctuam, Soli convicíantem, increpat. l. 6, f. 22.
Gibberorum Civitas. l. 13, f. 1.
Gigas Nanum ſuperbientem ſuis humeris ſuſtinet. l. 14, f. 32.
Glires & Fagus. l. 10, f. 1.
Graculus, alis Ardeæ impeditus magis, quàm adjutus, in humum decidit. l. 8, f. 26.
Graculus, Cornix, & Aquila. l. 13, f. 26.
Graculus nummos Avaro ſubripit. l. 10, f. 30.
Grues & Anſeres. l. 2, f. 8.
Gruis & Pavo. l. 1, f. 12.
Gutta, Pontus, & Oſtreum. l. 9, f. 32.

H.

HÆDUS & Lupus. l. 3, f. 36.
Halcyon præſidio Tethyos malè confiſa. l. 12, f. 20.
Hariolus ſibi non providens. l. 7, f. 11.
Hercules invocatus ab homine, quem vexant Pulices. l. 14, f. 12.
Hercules invocatus a Bubulco, cujus plauſtrum hæſit in via. l. 5, f. 28.
Herus Canem ſuum, perire volentem, deſerit. l. 13, f. 28.
Herus Cani ſuo palpationes tribuit affatim; victum autem neceſſarium denegat. l. 12, f. 17.

Herus clemens, nec multùm tamen ſævo abſimilis. l. 7, f. 4.
Hinnuleus offenſiunculam ſibi factam exaggerat. l. 1. f. 11.
Hirudo, & Cuniculum ſanat, & ipſa exhauſto ejus ſanguine reficitur. l. 12, f. 5.
Hirundo Aves, in perniciem properantes, fruſtra revocat. l. 11, f. 23.
Hirundo convicium Cicadæ refellit. l. 13, f. 13.
Hirundo & Ardea. l. 13, f. 7.
Hirundo & Aves aliæ. l. 14, f. 11.
Hirundo & ejus filia. l. 14, f. 22.
Hirundo & Luſcinius. l. 7, f. 9.
Hirundo frigoris hanc vocat moleſtiam, quæ Turdo caloris eſt moleſtia vix tolerabilis. l. 13, f. 24.
Hirundo infenſam ſibi Araneam portat ſecum per auras, nec ſentit. l. 3, f. 40.
Homines duo, cæcus alter, alter claudus. l. 11, f. 19.
Homines duo & Theſaurus. l. 8, f. 14.
Homo docilis. l. 15, f. 29.
Homo & Aranea. l. 15, f. 7.
Homo & Equus. l. 15, f. 15.
Homo & Pulex. l. 14, f. 12.
Homo & Urſus. l. 10, f. 24.
Homo ex immodica Oſtrearum ſorbitione moriens. l. 13, f. 30.
Homo, imperitus muſicæ, Lyram objurgat. l. 12, f. 1.
Homo naribus & oculis captus, de Roſæ dotibus judicat. l. 12, f. 3.
Homo Pulicem obterit. l. 11, f. 8.
Hoſtis beneficus. l. 13, f. 15.
Hyſtrix ſemper armata. l. 2, f. 31.

I.

JACTATOR facti incredibilis. l. 12, f. 25.
Ictericus queritur, flava eſſe omnia. l. 10, f. 32.
Ignis & ejus Repertor. l. 12, f. 21.
Imago picta in camera oculos propiùs intuentium offendit. l. 10, f. 23.
Inſectum hemerobion, poſtquam ad horam ferè duodecimam victitando pervênit, de longiore vita conqueritur. l. 15, f. 42.
Intemperantiæ Mors palmam tribuit. l. 13, f. 9.
Invidus & Avarus. l. 4, f. 6.
Iris & Phœbus. l. 10 f. 18.
Jupiter, Apollo, & Momus. l. 6, f. 5.
Jupiter, Columba, & Anguis. l. 15, f. 24.
Jupiter concedit alas Formicæ. l. 8, f. 28.
Jupiter crudelem Apis iracundiam improbat. l. 8, f. 11.
Jupiter & Ruſticus. l. 7, f. 5.
Jupiter fecunditatem Nuci concedit. l. 12, f. 34.
Jupiter, Modeſtia, & Virtutes ceteræ. l. 5, f. 34.
Jupiter, Phœbus, & Paludes. l. 13, f. 8.
Juvenci duo & Pratulum. l. 9, f. 36.
Juvenes duo & Urſus. l. 4, f. 25.

L.

LACERTA & Teſtudo. l. 1, f. 4.
Lacerta Ranam imprudentem ab incepto deterret. l. 11, f. 30.
Lanius occidit Boves. l. 6, f. 3.
Laricis præſtantia. l. 8, f. 5.
Latrunculorum ludus. l. 13, f. 32.
Leæna & Ovis. l. 4, f. 10.
Leæna Scrofæ aſpernatur fecunditatem. l. 4, f. 1.
Leæna Urſam, fetus ſuos lambendo figurantem deridet. l. 10, f. 42.

Leænæ apotheosis. l. 8, f. 12.
Leo, Agnus, & Cerva. l. 4, f. 28.
Leo, Aſinus, & Vulpis. l. 4, f. 4.
Leo bellum parans. l. 6, f. 13.
Leo, canente Gallo, fugere cogitur. l. 4, f..
Leo & Capra. l. 2, f. 19.
Leo & Muſculus. l. 5, f. 30.
Leo & Rana. l. 2, f. 37.
Leo & Simius. l. 14, f. 33.
Leo & Villicus. l. 11, f. 2.
Leo filiam Ruſtici amans. l. 3, f. 16.
Leo, Filius ejus, & Venator. l. 12, f. 31.
Leo furioſus & Lepus. l. 7, f. 7.
Leo iratus. l. 8, f. 20, 21.
Leo, Lupus, & Vulpis. l. 1, f. 6.
Leo ſenex & Vulpis. l. 2, f. 20.
Leo, Simius, & Vulpis. l. 1, f. 27.
Leo Tauros, inter ſe conjunctos, non audet aggredi : ſegregatos facilè vincit. l. 2, f. 13.
Leo victus a Culice. l. 3, f. 17.
Leo vires leoninas hominum viribus anteponit. l. 3, f. 24.
Lepores, Canes, & Vulpes. l. 7, f. 6.
Lepores duo excitantur a Cane : neuter capitur. l. 1, f. 26.
Lepores & Ranæ. l. 2, f. 3.
Lepus a Corvo præpoſterè monetur. l. 7, f. 26.
Lepus & Teſtudo. l. 5, f. 33.
Libellus flagitioſus & Judex. l. 13, f. 31.
Liber elegans ab Aſello diſcerpitur. l. 7, f. 14.
Liber & Prelum. l. 1, f. 29.
Libri duo, alter nitidus, alter horridus. l. 13, f. 21.
Lilium. l. 15, f. 46.
Lucius, latè regnandi cupidus. l. 2, f. 35.
Ludi Magiſter Aſinum juſſus edocere literas. l. 10, f. 3.
Luna, dum invidet Soli, ejuſque radios intercipit,

pit, oſtendit ſuum dedecus. l. 13, f. 20.
Lupi Corvum, parasitum inutilem, vacuum dimittunt. l. 9, f. 33.
Lupi duo, alter palam, alter clam in ovium gregem graſſantes. l. 12, f. 6.
Lupi fides, Porcum pro Piſce reputantis. l. 5, f. 31.
Lupi fedus cum Ovibus feriunt. l. 3, f. 9.
Luporum legati ad Anglorum Regem. l. 7, f. 3.
Lupus Agnum decipit, & eum procul a ſuo cuſtode in silvam deducit. l. 8, f. 13.
Lupus a Vulpe decipitur. l. 8, f. 24
Lupus auxilium Vulpi, in foveam delapſæ, pollicetur; ſed priùs audire vellet, quomodo huc delapſa sit. l. 9, f. 20.
Lupus deglubitur. l. 1, f. 6.
Lupus Equum hortatur, ut veſci carnibus velit. l. 4, f. 9.
Lupus & Anicula. l. 2, f. 16.
Lupus & Hædus. l. 3, f. 8.
Lupus & Hyſtrix. l. 2, f. 31.
Lupus & Mulus. l. 5, f. 21.
Lupus & Ovis. l. 2, f. 14.
Lupus Ovem decipere aggreſſus, ipſe deluditur. l. 15, f. 33.
Lupus filium erudiens. l. 4, f. 16.
Lupus fructum pugnæ, inter Leonem & Urſum pugnatæ, omnem percipit. l. 3, f. 29.
Lupus Hædi convicia, non ipsi, ſed tuto loco imputat. l. 3, f. 36.
Lupus ovillâ pelle indutus, & Paſtor. l. 1, f. 24.
Lupus pœnitens. l. 1, f. 19.
Lupus vorat simul Vulpem, Muſtelam, Murem ac Nucem. l. 12, f. 32.
Luſcinia Cicindelam monitis idoneis caſtigat. l. 13, f. 19.
Luſciniæ cantum prædator Accipiter contemnit. l. 9, f. 31.

Luſcinius Hirundinis malevolæ dicacitatem retundit. l. 7, f. 9.
Luſcinius inſtituere Cuculum arte muſicâ nequicquam tentat. l. 6, f. 27.
Lynx & Talpa. l. 11, f. 24.
Lyra & Homo imperitus. l. 12, f. 1.

M.

MAGUS & Circulator. l. 14, f. 28.
Mala aurea. l. 1, f. 13.
Malus exſpoliata. l. 2, f. 1.
Melezia & Larix. l. 8, f. 5.
Melis fetida & Canis. l. 14, f. 9.
Membra & Venter. l. 3, f. 4.
Mercurius & Apollo. l. 15, f. 12.
Mercurius & Sculptor. l. 9, f. 22.
Mercurius veracem Agricolam remuneratur, mendacem alium mulctat. l. 1, f. 20.
Miles & Equus. l. 15, f. 37.
Milui & Columbæ. l. 7, f. 17.
Miluus ægrotans, religioſus eſſe incipit. l. 4, f. 22.
Miluus, Corvus, & Aquila. l. 4, f. 8.
Miluus & Agricola. l. 2, f. 28.
Molossi duo Leporem Cani venatico extorquent e dentibus. l. 10, f. 11.
Molossus ab arrogante Catello lacessitus. l. 13, f. 15.
Moloſſus, cuſtos gregis optimus, malè ejectus. l. 6, f. 14.
Moloſſus venalis proponitur Mulierculæ. l. 7, f. 19.
Momi cenſura. l. 8, f. 1.
Momus inter Jovem & Apollinem judex. l. 6, f. 5.
Mons excelſus, at inutilis. l. 14, f. 14.
Mors & ejus Miniſtræ. l. 13, f. 9.
Mors & Ruſticus. l. 2, f. 10, 11.

Mors Senem valde longævum renuentem abripit. l. 7, f. 23.
Mula Equi ſe filiam dicit, cùm currit: ubi autem ceſſat, Aſini patris meminit. l. 2, f. 9.
Mulier & Gallina. l. 3, f. 11.
Mulier & Speculum. l. 12, f. 13.
Muli nomen ſcriptum in ejus ungula. l. 5, f. 21.
Mulus & Canis. l. 15, f. 40.
Mulus & Porcus. l. 9, f. 14.
Mures duo, quorum captus unus, ab altero intempeſtivè objurgatur. l. 1, f. 17.
Murium conventus. l. 6, f. 7.
Mus a Fele captus, vexatus, devoratus. l. 9, f. 7.
Mus Aquilam, in retia delapſam, poſtquam liberavit, ab ipsâ necatur. l. 1, f. 21.
Mus captus, poſtquam radium ferreum ad minutiam fragilem attrivit, eum facilè infleᶜtit; & evadit. l. 14, f. 20.
Mus & Talpa. l. 10, f. 20.
Mus & Taurus. l. 11, f. 21.
Mus in ciſta natus. l. 2, f. 27.
Mus, Muſtela, Vulpis, & Lupus. l. 12, f. 32.
Muſarum Alumnus & Bombyx. l. 8, f. 27.
Muſca & Apis. l. 15, f. 41.
Muſca & Caccabus. l. 13, f. 16.
Muſca, Trochilus, & Troſſulus. l. 4, f. 14.
Muſcæ advolant, ut effuſo melle paſcantur; & pereunt. l. 3, f. 34.
Muſcæ curtum Equum vexant; Equum longâ caudâ præditum refugiunt. l. 10, f. 14.
Muſcæ Elephantos oppugnant; turmisque, eorum ope jam prævalentibus, victoriæ laudem extorquent. l. 11, f. 26.
Muſculus & Felis. l. 4, f. 5.
Muſculus, Felis, & Gallus. l. 10, f. 4.
Muſculus Leonem in libertatem vindicat. l. 5, f. 30.

Muſicus, domi canorus, foris exploditur. l. 3, f. 13.
Muſtela, Bufonis obtutu faſcinata, conjicere ſe in os ejus cogitur. l. 13, f. 2.
Muſtela, Cuniculus & Felis. l. 7, f. 22.
Muſtela & Columba. l. 8, f. 18.
Muſtela & Mures. l. 4, f. 18.
Muſtelæ duæ, una volucribus inimica, altera muribus, l. 3, f. 3.
Myrtus & Arbor magna. l. 10, f. 29.
Myrtus & Quercus. l. 13, f. 11.

N.

NAÏAS Puellam admonet de tranquillitate perturbati fontis exſpectanda. l. 7, f. 18.
Nanus & Gigas. l. 14, f. 32.
Naufragus & Oceanus. l. 11, f. 6.
Navis & Nauta. l. 10, f. 8.
Nebulæ refulgentis ſpecies, Sole occidente, perit. l. 12, f. 35.
Nitedula & Muſtela. l. 6, f. 9.
Noctua, Cornicula, & Aves aliæ. l. 12, f. 9.
Noctua & Gallus. l. 6, f. 22.
Noctua pullos ſuos Accipitri commendat. l. 8, f. 4.
Nux & Arbores infructuoſæ. l. 10, f. 36.
Nux & Jupiter. l. 12, f. 34.

O.

OCEANUS oblatam a Naufrago criminationem depellit. l. 11, f. 6.
Olitor & Sepes. l. 5, f. 38.
Olitor Talpam deprehendit. l. 7, f. 15.
Ollæ duæ. l. 7, f. 16.
Opilio & Capreoli. l. 15, f. 19.

Opilio & Lupæ Catulus. l. 15, f. 13.
Opilio & Oves. l. 7, f. 12.
Orator ad Statuas. l. 10, f. 15.
Orator & Circulator. l. 9, f. 40.
Os & Oculi. l. 10, f. 38.
Oſtreæ, duobus hominibus naufragis unicum famis perfugium. l. 13, f. 30.
Oſtrea & Viatores. l. 6, f. 15.
Oſtreum dehiſcens guttam ab æthere cadentem excipit, mutatque in margaritam. l. 9, f. 32.
Oves & Lupi. l. 3, f. 9.
Ovis adjuvare Lupum, malè a Canibus mulcatum, recuſat. l. 2, f. 14.
Ovis committit ſe Rubo, ut vitet imbrem. l. 9, f. 16.
Ovis Canum inter ſe pugnantium efferatis rictibus auſa tenerum os interponere, nihil proficit; atque hinc ſe ore diſciſſo refert. l. 11, f. 9.
Ovis & Canis. l. 10, f. 13.
Ovis & Cornicula. l. 2, f. 17.
Ovis & Ranæ. l. 12, f. 16.
Ovis Leænæ dilecta. l. 4, f. 10.
Ovis tonſa. l. 13, f. 14.

P.

PALUDES Solem nebulis putribus repellunt. l. 13, f. 8.
Palumbes a Cornice de exitio imminente fruſtra admonetur. l. 5, f. 8.
Papilio & Apis. l. 8, f. 2.
Paraſitus & Piſciculi. l. 8, f. 10.
Pardus & Vulpis. l. 4, f. 22.
Paſſer & Accipiter. l. 13, f. 10.
Paſtor & Mare. l. 4, f. 3.
Paſtor & Moloſſus. l. 6, f. 14.

Paſtor & Rex. l. 9, f. 5.
Paſtor in Canem perfidum animadvertit. l. 2, f. 34.
Paſtor Lupum, ovillâ pelle indutum, mactat. l. 1, f. 24.
Pavo contumeliâ Gruem deſtringit; & refutatur. l. 1, f. 12.
Pavo laudem pulchritudinis Aquilæ, propter ungues & roſtrum, datam putat. l. 6, f. 4.
Perdices duæ & Auceps. l. 10, f. 37.
Perdix & Auceps. l. 8, f. 9.
Perdix & Canis venaticus. l. 7, f. 1.
Perdix & Villica. l. 11, f. 17.
Perſa apud Gallum hoſpes. l. 14, f. 2.
Philomela, Corvus, & Bubo. l. 6, f. 18.
Philomela & Aves aliæ. l. 15, f. 2.
Philomela, & Veſpertilio. l. 10, f. 28.
Phœbus, nebularum interjectu prohibitus, ne hominibus luceat, lucet Superis. l. 13, f. 8.
Phœbus reſpicere Irim ſuperbientem desinit; ſimulque vaneſcit omnis ejus decor. l. 10, f. 18.
Pica, Cornicula, & Vulturius. l. 6, f. 24.
Pica damnat Columbæ nimiam ſimplicitatem. l. 5, f. 23.
Pica & Acanthis. l. 8, f. 17.
Pica & Columba colloquuntur de Pavone. l. 6, f. 20.
Picta Solitudo & Columba. l. 9, f. 4.
Pictor & ejus Cenſores. l. 11, f. 25.
Piſcator non facilè caperet piſces, nisi aquam turbaret. l. 10, f. 2.
Piſcator, cymbulâ vectus, Cervum jacto telo ſternit. l. 10, f. 19.
Piſcator & Piſciculus. l. 3, f. 3.
Piſcator & Thunnus. l. 5, f. 12.
Piſces magni capiuntur, minuti retia tranſmeant. l. 2, f. 41.

Piſcis reſilit e ſartagine, ſed in prunas. l. 9, f. 2.
Piſcis fluviatilis & Piſces marini. l. 5, f. 27.
Piſcis volans avem ſe eſſe crederet, niſi tam citò patrium ad ſalum relaberetur. l. 2, f. 45.
Podagra relinquit caſam, palatium petit. l. 14, f. 13.
Poeta epicus & Æſopus. l. 15, f. 27.
Poeta & Anſer. l. 14, f. 17.
Porcus & Canis venaticus. l. 15, f. 14.
Porcus & Felis. l. 12, f. 30.
Porcus & Nautæ. l. 9, f. 35.
Porcus & Sturni. l. 8, f. 16.
Porcus factum ſe bellum ideo putat, quòd floribus eſt adornatus. l. 5, f. 29.
Porcus, obeſitate ſuâ gravàtus, Mulum graviore ſarcinâ onuſtum inſtituere exemplo ſuo vult ad patientiam. l. 9, f. 14.
Porcus pro piſce reputatus a Lupo. l. 5, f. 36.
Pratum, Apis, & Vipera. l. 10, f. 40.
Prelum vaticinans. l. 1, f. 29.
Pſittacus, beatus apud Herum pauperem, miſer apud locupletem. l. 9, f. 19.
Puella & Naïas. l. 7, f. 18.
Puella ruſtica & Lactis cymbium. l. 6, f. 12.
Puer & Agricolæ. l. 2, f. 6.
Puer & Cadi duo. l. 15, f. 8.
Puer & circumlitæ ſaccharo Nuces. l. 10, f. 27.
Puer & Colonus. l. 4, f. 19.
Puer & Coluber. l. 2, f. 42.
Puer & Felis. l. 13, f. 12.
Puer & Fortuna. l. 3, f. 6.
Puer & Nux caſtanea. l. 14, f. 15.
Puer & Paſſer fugitivus. l. 4, f. 2.
Puer & Pædagogus. l. 6, f. 11.
Puer & Turbo. l. 4, f. 27.
Puer ſuperbus. l. 6, f. 6.

Pueri ab Acanthide eluſi. l. 15, f. 1.
Pueri duo, alter ſtultus, alter callidus. l. 6, f. 21.
Pueri & Ranæ. l. 2, f. 40.
Pueruli fratres. l. 1, f. 7.
Pulex captus eliditur. l. 14, f. 29.
Pulex & Homo. l. 11, f. 8.
Pulex homini infenſus dat pœnas animo nocendi pares. l. 14, f. 3.
Pyrus & Surculus. l. 15, f. 9.

Q.

Quercus ab Agricolis everſa. l. 13, f. 11.
Quercus & Arundo. l. 6, f. 10.
Quercus & Edera. l. 6, f. 26.

R.

Rana, Coluber, Ciconia, & Lacerta. l. 11, f. 30.
Ranæ ad Leporum adventum perterritæ. l. 2, f. 3.
Ranæ duæ ſitientes. l. 2, f. 22.
Ranæ & Junci. l. 10, f. 5.
Ranæ indignantur, quòd Ovis, in paludem delapſa, ibi remanere cum ipſis nolit. l. 12, f. 16.
Ranæ Pueris ludibria. l. 2, f. 40.
Ranam, valde loquacem, Leo proterit. l. 2, f. 37.
Ranunculus & Rana. l. 6, f. 8.
Rationis Liber. l. 15, f. 3.
Remi & Clavus. l. 11, f. 11.
Retia a captivis Columbis per auras deportata. l. 15, f. 16.
Rex & Ludi Magiſter. l. 10, f. 3.
Rex machinationibus procerum malè obſecutus. l. 9, f. 5.
Rhinoceros, cataphractus miles. l. 6, f. 13.

Rivuli duo, alter nobilis delectat, alter humilis prodeſt. l. 12, f. 14.
Rivulus arrogantiam Ciſternæ retundit. l. 14, f. 31.
Roſa & Amaranthus. l. 2, f. 43.
Roſæ & Papilio. l. 1, f. 8.
Rubus ruinâ Cedri oppreſſus. l. 15, f. 11.
Rubus & Ovis. l. 9, f. 16.
Rubus Vulpem, dum ſervat, pungit. l. 5, f. 11.
Ruſtici & Sarmenta. l. 3, f. 26.
Ruſticus, divinam auſus culpare providentiam, reſipiſcit. l. 1, f. 14.
Ruſticus, ejus Filius, & ejuſdem Aſellus. l. 14, f. 10.
Ruſticus & Aſinus. l. 4, f. 13.
Ruſticus & Canis. l. 9, f. 30.
Ruſticus & pagi Dominus. l. 15, f. 38.
Ruſticus & Silva. l. 1, f. 25.
Ruſticus & Sophus. l. 9, f. 6.
Ruſticus & Venti. l. 15, f. 5.
Ruſticus tempeſtatum potens. l. 7, f. 5.

S.

SALIX & Agricola. l. 12, f. 28.
Samii ab Æſopo deterrentur, ne rei publicæ adminiſtrum, furem beatum, morte afficiant. l. 3, f. 41.
Saxum piſcatoriis retibus captum. l. 15, f. 10.
Scarabæus & Aquila. l. 11, f. 20.
Sciurus & Canis. l. 13, f. 29.
Sciurus & Nuces. l. 14, f. 30.
Sculptores duo. l. 6, f. 16.
Senex & Mors. l. 7, f. 23.
Sepes malè evulſa. l. 5, f. 38.
Serpens, dum a Corvo rapitur, ipſum necat. l. 3, f. 25.

Serpens & ejus Filius. l. 10, f. 9.
Serpens & Talpa. l. 9, f. 12.
Sidera & Sol. l. 8, f. 19.
Silva præbet arma Ruſtico perniciem ejus meditanti. l. 1, f. 25.
Simia & ejus Filius. l. 9, f. 26.
Simia & Nux. l. 15, f. 19.
Simia & Vulpis. l. 3, f. 19.
Simia, Porcus, & Vulpis. l. 5, f. 29.
Simiæ & Vulpecula. l. 11, f. 3.
Simii navigantes. l. 11, f. 22.
Simioli & Pyra. l. 8, f. 8.
Simiolus & Bos. l. 15, f. 32.
Simius, imitatrix beſtia, virum probum simulare nequit. l. 11, f. 12.
Simius ad tabellam elegantem. l. 12, f. 11.
Simius & Hinnuleus. l. 1, f. 11.
Simius & Speculum. l. 9, f. 10.
Simius & Vulpecula. l. 15, f. 34.
Simius Leoni gratioſus. l. 14, f. 33.
Simius nimis loquax. l. 5, f. 13.
Simius Troſſuli ornatu inſtructus. l. 12, f. 4.
Sol & Aquilo. l. 3, f. 1.
Sol & Luna. l. 13, f. 20.
Sol, Mons, & Vallis. l. 14, f. 14.
Sol & Nebula. l. 12, f. 35.
Sol & Noctua. l. 5, f. 40.
Sol illuſtrat omnia, & ipſe videt nihil. l. 1, f. 28.
Soli invidet Luna. l. 13, f. 20.
Solitudo picta. l. 9, f. 4.
Simia & Caſtaneæ Nuces. l. 15, f. 30.
Sophiſta quidam miratur & laudat Asinum concionantem. l. 8, f. 7.
Sophus ſubvenire vult ſummæ necessitati per artem longam, ac proinde inutilem. l. 9, f. 6.
Sorex & Mus. l. 10, f. 41.

Spicæ, quarum una tollit ſupra alias caput, vacuum videlicet. l. 14, f. 1.
Statua insignis, quæ priùs fuerat marmorea moles, urbis ſordibus inquinata. l. 12, f. 12.
Struthiocamelus altùm volandi cupidus. l. 3, f. 13.
Struthiocamelus & Alauda. l. 11, f. 13.
Sturni parasiti Porcum ſtipantes. l. 8, f. 16.
Sturnus & Cuculus. l. 12, f. 10.
Sturnus, Hirundo, & aves aliæ. l. 11, f. 28.
Surculus, culturæ impatiens. l. 15, f. 9.
Sus & Apes. l. 9, f. 3.
Sus & Equus. l. 15, f. 23.
Sus & Leæna. l. 4, f. 1.
Sus opima. l. 5, f. 19.
Sutor monetur, ne ſupra crepidam judicet. l. 13, f. 6.

T.

Talpa ejicere non poteſt Ericium, quem imprudenter admisit. l. 1, f. 5.
Talpa & Olitor. l. 7, f. 15.
Talpa Murem admonet inconſultum, ut ſapiat. l. 10, f. 20.
Talpa ſonum audit ſagittæ, Lyncis oculos in caliginem æternam demerſuræ. l. 11, f. 24.
Talpa, ſuam cæcitatem memorans, Asini & Simiæ querelas reprimit. l. 2, f. 30.
Tauri quatuor & Leo. l. 2, f. 13.
Taurus ad certamen ab Ariete provocatus. l. 1, f. 18.
Taurus culicem errore anxio liberat. l. 5, f. 17.
Taurus, dente Muris improbi clam petitus, furit. l. 11, f. 21.
Taurus & Canes duo. l. 15, f. 39.
Taurus & Canis. l. 12, f. 19.
Taurus & Caper. l. 5, f. 22.

Taurus ſidentem ſuis dentibus Canem cornibus fodit. l. 11, f. 5.
Templum Bovis. l. 12, f. 24.
Teſtudo cum Lepore de præmio curſûs contendit. l. 5, f. 33.
Teſtudo & Anates duæ. l. 7, f. 24.
Teſtudo & Aquila. l. 2, f. 5.
Teſtudo onus, quod utile eſt, non reputat grave. l. 1, f. 4.
Tethys & Halcyon. l. 12, f. 20.
Thales & Ancilla. l. 15, f. 45.
Theſaurus ab Homine deſperato inventus. l. 8, f. 14.
Thunnus in ſcapham Piſcatoris insilit. l. 5, f. 12.
Tigris, in Viatorem irruens, a Corcodilo corripitur. l. 10, f. 7.
Tirunculus in pilæ ludo, & ludi Magiſter. l. 11, f. 15.
Tubicen & Hoſtes. l. 3, f. 37.
Tulipa, quò eſt formosior, eò difficiliùs cuſtoditur. l. 2, f. 39.
Turdi peregrè abeunt ingenti numero; paucissimi revertuntur. l. 10, f. 16.
Turdus & Hirundo. l. 13, f. 24.

V.

VENATOR Cuniculum necat. l. 12, f. 26.
Venator & Leo. l. 3, f. 24.
Venator Leonem irruentem interficit. l. 12, f. 31.
Venator, Palumbes, & Cornix. l. 5, f. 8.
Veſpertilio & Muſtelæ duæ. l. 3, f. 35.
Veſpertilio damnat feram Philomelæ prudentiam l. 10, f. 28.
Viator & Ignis fatuus. l. 11, f. 18.
Viator & Lapides. l. 5, f. 2.

Viator & Platanus. l. 7, f. 2.
Viator & Pyra. l. 15, f. 21.
Viator, Tigris, & Crocodilus. l. 10, f. 7.
Viatores de Chamæleontis colore diſputantes. l. 10, f. 21.
Viatores de Oſtrea inventa litigantes. l. 6, f. 15.
Viatores duo & Latro. l. 9, f. 21.
Villica datam Perdici fidem violat. l. 11, f. 17.
Villicus & Canes. l. 14, f. 5.
Villicus & Canis. l. 6, f. 1.
Villicus & Columba. l. 9, f. 17.
Villicus, Felis, & Caſeus. l. 10, f. 22.
Villicus, Vulpis, & Canis. l. 9, f. 8.
Vinum & Amphoræ. l. 14, f. 19.
Vir eruditus & Troſſulus. l. 2, f. 33.
Vir ſapiens & ejus inimicus. l. 4, f. 11.
Vitula pinguis immolatur. l. 3, f. 15.
Vomeres duo : nitens unus & ſplendidus, quia exercitatus. l. 12, f. 26.
Urſa & Leæna. l. 10, f. 42.
Urſi erga Hominem amicitia exitialis. l. 10, f. 24.
Urſi viventis pellem non eſſe vendendam, Urſus ipſe duos Juvenes docet. l. 4, f. 25.
Urſus & Vulpis. l. 9, f. 37.
Urſus & Uxor ejus. l. 6, f. 2.
Urſus, Leo, & Lupus. l. 3, f. 29.
Vulpecula negat ullum eſſe animal, quod Simium velit imitari. l. 15, f. 34.
Vulpecula delet Leonis tyrannidem. l. 8, f. 21.
Vulpecula & Gallina. l. 2, f. 4.
Vulpecula Simias deterret ab incepto periculoſo. l. 11, f. 3.
Vulpeculæ dolus meliore dolo refutatus. l. 14, f. 27.
Vulpem Aſini calamitas doctiorem facit. l. 4, f. 4.
Vulpis apponit lucro negligentiam Villici. l. 9, f. 8.

Vulpis Asinorum par inficetum irridet. l. 6, f. 17.
Vulpis, Asinus, & Leo. l. 4, f. 21.
Vulpis a ſpecu Leonis refugiens. l. 2, f. 20.
Vulpis Cani fecundæ objicit, quòd catulos cæcos parit. l. 5, f. 6.
Vulpis caudæ ſuæ partem Simiæ denegat. l. 3, f. 19.
Vulpis Corvum, in ipsa, tanquam in cadavere, conſidere auſum, corripit. l. 15, f. 17.
Vulpis decipit Vulturium. l. 10, f. 25.
Vulpis Ericii contra Muſcas opem recuſat. l. 3, f. 41.
Vulpis & Canis. l. 1, f. 16.
Vulpis & Caper. l. 3, f. 10.
Vulpis & Cervus, l. 5, f. 3.
Vulpis & Felis ſubtiliter philoſophantur. l. 11, f. 27.
Vulpis & Rubus. l. 5, f. 11.
Vulpis, meatum eumdem & anguſtiorem, & mox laxiorem eſſe, queritur. l. 9, f. 15.
Vulpis Pardum gloriantem irridet. l. 4, f. 23.
Vulpis perit cum ſuis centum artibus, dum Ericius unâ, quam novit, adhibitâ, evadit necem. l. 5, f. 37.
Vulpis perſonatum Asinum agnoſcit. l. 10, f. 33.
Vulpis perſuadet Lupo, ut in puteum deſcendat. l. 8, f. 24.
Vulpis Porcum, ſtultè geſtientem, redarguit. l. 5, f. 29.
Vulpis prædatur Cancrum. l. 3, f. 12.
Vulpis rogat Lupum, ut sibi, in foveam delapſæ, auxilium ferat. l. 9, f. 20.
Vulpis sibi timet ab Edicto Leonis, & mutat ſolum. l. 1, f. 27.
Vulpis sine cauda. l. 4, f. 17.

Vulpis ſuadet Leoni, ut pellem lupinam induat. l. 1, f. 6.
Vulpis vitam Leonis nefariam culpâ omni liberat. l. 1, f. 1.
Vulpis Urſum adhortatur ad corpora mandenda mortua, modò vivis abſtineat. l. 9, f. 37.
Vulpium commiſſa pugna cum Canibus. l. 9, f. 6.
Vultur & Columbæ. l. 13, f. 23.
Vultur triumphantem Gallum rapit & vorat. l. 9 f. 23, 24.
Vulturius, Oſtrea, & Vulpis. l. 10, f. 25.

NOMINUM QUORUMDAM
EXPLICATIO.

A.

ACANTHIS, *Roſſignol*: aliis, *chardonneret.*
Accipiter, *Epervier.*
Adamas, *Diamant.*
Adminiſter Imperii, *Miniſtre d'Etat.*
Ægithus, *Fauvette.*
Æſculus, *Chêne de la grande eſpece.*
Agaſo, *Conducteur d'ânes, de chevaux, de mulets.*
Alauda, *Alouette.*
Alba-ſpina, *Aube-épine.*
Ales Junonius, *Paon.*
Amaranthus, *Amarante, paſſe-velours.*
Amygdala, vel amygdalus, *Amandier.*
Anas, *Canard.*
Anicula, *Vieille femme, petite vieille.*
Antennæ, *Antennes, Vergues.*
Anthus, *Bréant, oiſeau*: aliis, *bruant.*
Apathia, *Apathie, inſenſibilité.*
Apiarium, *Lieu où l'on place les ruches des abeilles.*
Ardelio, *Tracassier.*
Ardea, *Héron.*
Armamenta, *Equipement de vaiſſeau.*
Arundinetum, *Lieu où il croît des roſeaux.*
Aſinus ſilveſtris, ſive onager, *Ane ſauvage.*
Atrienſis, *Valet qui a ſoin du veſtibule & de l'antichambre.*
Auceps, *Oiſeleur.*
Avellanæ, *Noiſettes, avelines.*
Aviarium, *Voliere.*

B.

Bajulus, *Porte-faix.*
Barbus, *Barbeau.*
Bellaria, *Friandiſes.*
Bibulus puer, *Enfant qui aime le vin.*
Blitum, *Blette.*
Bombus, *Bourdonnement.*
Bombyx. *Ver à ſoie.*
Boreæ flagitia, *Ravages de l'aquilon.*
Bos operarius, *Bœuf de labour.*
Botulus, *Boudin.*
Braſſica, *Chou.*
Bruma, *Hiver, fort de l'hiver.*
Bubile, *Etable à bœufs.*
Bubo, *Hibou, chat-huant.*
Bubulcus, *Bouvier.*
Bufo, *Crapaud.*

C.

Caccabus, *Marmite.*
Cadus, *Tonneau.*
Cæmentum, *Maçonnage de moilon.*
Caltha, *Souci.*
Camelus, *Chameau.*
Camera, vel camara, *Voûte.*
Cancer, *Cancre, crâbe : écreviſſe.*
Canis venaticus, *Chien de chaſſe.*
Caniſtrum, *Corbeille. panier.*
Cannabis, *Chanvre.*
Cantrix, *Chanteuſe.*
Capiſtrum, *Licou.*
Capo, vel capus, *Chapon.*
Caprarius, *Chévrier.*
Capreolus, *Chevreuil.*
Caprile, *Etable à Chevres.*
Capſa, *Boête, caiſſe, ſac, gibbeciere.*
Capulus, vel capulum, *manche d'inſtrument.*
Carbonarius, *Charbonnier.*
Carduelis, *Chardonneret.*
Carduus, *Chardon.*
Caro oleagina, *La chair de l'olive.*
Cartilago, *Cartilage, ſubſtance intermédiaire entre les os & la chair.*
Caſtanea, *Châtaigne & châtaignier.*
Caſtanea nux, *Châtaigne.*
Catella, *Petite chienne.*
Catellus, *Petit chien.*
Catinus, *un Plat.*
Catuli muſtelæ, *Les petits d'une belette.*
Catulus leænæ, *Lionceau.*
Catulus lupæ, *Louveteau.*
Catulus ſcrofæ, *Cochon de lait.*
Catulus urſæ, *Ourſon.*
Cavea, textilis cavea, *Cage.*
Cavilla, *Raillerie.*
Caulis, *Chou : tige d'herbe, ou de fleur.*
Cautio, *Aſſurance, cautionnement.*
Cautio eſt, *Il faut ſe donner de garde.*
Cavus, *Trou, tanniere.*
Chors, vel cohors, *Baſſecour pour la Volaille.*
Chortales, vel cohortales aves, *Volailles de baſſecour.*
Cibaria, *Proviſions de bouche.*
Cibatus, *Nourriture.*
Cicada, *Cigale.*
Cichoreum, *Chicorée.*
Cicindela, sive lampyris, *Ver-luiſant.*
Ciconia, *Cigogne.*
Cimex, *Punaiſe.*
Circulator, *Charlatan.*
Ciſta, ciſtula, ciſtellula, *Malle, caiſſe, petit coffre, caſſette.*
Citrus, *Citronier.*
Clathri, *Barreaux, grille.*
Clavus, *Gouvernail.*
Clitellæ, *Bât.*
Coactor, *Collecteur, celui*

qui leve la taille & les impôts.
Cochlea, *Eſcargot.*
Coluber, vel colubra, *Couleuvre.*
Columba plumipes, *Pigeon pattu, pigeon de voliere.*
Columba ſaxatilis, *Pigeon fuyard.*
Columbulus, *Pigeonneau.*
Combibones, *Compagnons de bouteilles, biberons.*
Comitia, *Comices, aſſemblée générale.*
Compago lapidum, *L'aſſiſe des pierres.*
Concio, *Aſſemblée, auditoire.*
Concoctio, *Digeſtion.*
Conſpicillum, *Verre qui grossit les objets.* Les anciens ne connoiſſoient pas nos lunettes.
Corbis, *Panier, corbeille.*
Coriarius, *Tanneur.*
Corpuſcula, *Corpuſcules, atômes.*
Coxendix, *Cuiſſe.*
Creditor, *Créancier.*
Crepida, *Chauſſure.*
Crepido, *Rivage eſcarpé.*
Crepitus tinnulus, *Tintement.*
Crepuſculum, *Crépuſcule, fin du jour.*
Cucullus paſtorius, *Capote de berger.*
Cuculus, *Coucou.*
Cucumis *Concombre.*
Cucurbita, *Citrouille.*
Culcita plumea, *Lit de plume.*
Cumulus mercedis, *Ce qui ſe donne par deſſus le marché.*
Cuniculus, *Lapin.*
Curatio difficilis, *Guériſon difficile.*
Cymbium lactis, *Grand vaſe à large ventre, plein de lait.*
Cymbula, *Bateau.*
Cynicus, *Philoſophe cynique.*
Cyprinus, *une Carpe.*

D.

Dicteria, *Mots piquants, brocards.*
Divinus, *Devin, diſeur de bonne aventure.*

E.

Edera, *Lierre.*
Elephanti manus, *Trompe d'éléphant.*
Elephas, vel elephantus, *Eléphant.*
Enectus fame, *Qui meurt de faim.*
Enectus siti, *Qui meurt de ſoif.*
Equile, *Ecurie.*
Ericius, *Hériſſon.*
Eruca, *Chenille.*
Exemplum vivum, *Exemple*, ou *modele vivant.*

F.

Faba, *Feve.*
Fabulator, *Vain diſcoureur.*

Facinus nobile, *Belle action.*
Falcula, *Griffe, ſerre d'oiſeau de proie.*
Familia, *Parens, enfans, domeſtiques.*
Faſcia, *Bandelette.*
Feciales, *Hérauts.*
Ficedula, *Bec-figue.*
Ficus, *Figue & figuier.*
Figlina vaſa, *Vaſes d'argile, pots de terre.*
Figulus, *Potier.*
Filius ex nepote, *Arriere-petit-fils.*
Forfex, *Ciſeaux, forces.*
Fori, *Les ponts d'un vaiſſeau, le tillac.*
Formæ tales, *De ſi charmantes figures.*
Fornix tepens, *Serre pour les plantes pendant l'hiver.*
Fovea, *Foſſe, piege.*
Fringuilla, *Pinſon.*
Frutetum, *Broſſailles.*
Fullo, *Foulon.*

G.

Galbula : aliis galgulus, *Loriot.*
Gallinarium, *Poulailler.*
Geniſta, *Geneſt.*
Getulus, *De Gétulie, grand pays ſitué entre la Nigritie & la Mauritanie tingitane.*
Gibber, *Boſſe.*
Gibberi, *Boſſus.*
Glis, *Loir, rat des Alpes.*
Gobio, *Goujon.*
Graculus, *Graille, ou choucas, eſpece de corneille.*
Granarium, *Grenier.*
Gregales, *Camarades.*
Gruis, vel Grus, *Grue.*

H.

Hariolus, *Devin.*
Heliotropium, *Tourneſol.*
Helluo, *Glouton.*
Hemerobion inſectum, *Inſecte éphémere.*
Hinnuleus, *Faon.*
Hirudo, *Sang-ſue.*
Hirundo, *Hirondelle.*
Hiſtrionia, *Art mimique.*
Homulus, & Homullus, *Petit homme.*
Homuncio, *Petit homme.*
Homunculi miſelli, *Pauvres mortels.*
Homunculus, *Petit homme, freluquet.*
Hora duodecima, *La derniere heure du jour.*
Horreum, *Lieu où l'on ſerre toutes ſortes de proviſions.*
Hydra, *Gros ſerpent.*
Hyſtrix, *Porc-épic.*

I.

Janitor, *Portier.*
Ictericus, *Qui a la jauniſſe.*
Ignis fatuus, *Feu follet.*
Incitæ, *Derniers retranchemens, derniere reſſource, extrêmité.*

Inferiæ, *Sacrifices pour les morts.*
Ingluvies, *Jabot, eſtomac, ventre : gourmandiſe.*
Intercapedo, *Interruption.*
Internecinum prælium, *Combat à outrance.*
Internuncius, *Envoyé, courier.*
Intubus, vel intubum, *Chicorée blanche.*
Jubæ, *Criniere.*
Juniperus, *Genievre, & genévrier.*
Juſculum, *Jus, bouillon.*

L.

Lacerta, vel lacertus, *Léſard, ou léſarde.*
Lagena fictilis, *Bouteille de grès.*
Lanius, *Boucher.*
Lanugo Pulli, *Coton, duvet de pouſſin.*
Lapathum, *Oſeille.*
Laquearia, *Lambris.*
Larix, *Le larix, grand arbre incombuſtible.*
Later, *Brique.*
Latibulum, *Trou, taniere, repaire.*
Librarius, *Copiſte.*
Liger, vel Ligeris, *La Loire.*
Lignarius faber, *Charpentier.*
Ligo, *Hoyau, pic, pioche.*
Limax, *Limace.*
Loquentia, *Babil.*
Loris amiſsis, *A bride abatue.*
Lucius, *Brochet.*
Ludio, *Saltimbanque.*
Lupus marinus, *Loup-marin.*
Luſcinia, vel luſcinius, *Roſsignol.*
Luſitanus, *Portugais.*

M.

Maculæ, *les mailles d'un filet.*
Magus, *Magicien.*
Malagma, *Cataplaſme.*
Malea, *Promontoire du Péloponeſe, appelé aujourd'hui, cap de ſaint ange.*
Malum, *Pomme.*
Malum aureum, *Orange.*
Malum perſicum, *Pêche.*
Malus, *Pommier.*
Malus perſica, *Pêcher.*
Mantica, *Beſace.*
Mare magnum, *Mer atlantique.*
Marſupium, *Bourſe.*
Maſſa ferri, *Barre de fer.*
Maſſa fimi, *Maſſe de fumier.*
Maurusia tellus, *Mauritanie tingitane, dont fait aujourd'hui partie le royaume de Maroc.*
Melezia, *Meleze, arbre différent du larix.*
Membrana turcica, *Maroquin du levant.*
Merula, *Merle.*
Miluus, *Milan.*
Minaciæ, *Menaces peu effrayantes.*
Minutia fragilis, *Petite partie qui ne fait presque*

plus de réſiſtance, *filet aiſé à rompre.*
Moloſſus, *Dogue*, *mâtin.*
Muſcipulum, *Ratiere*, *ſouriciere.*
Muſtela, *Belette.*
Muſtela silveſtris, *Belette ſauvage.*

N.

Nænia funebris, *Chant funèbre*, *chanſon lugubre.*
Næniæ, aniles næniæ, *Chanſons*, *contes de vieille.*
Natura conciliatrix, *Sympathie.*
Nidor, *Fumée de viande*; *odeur forte*; *vapeur onctueuſe.*
Nitedula, *Mulot.*
Noctua, *Chouette.*
Noxia, *Faute*, *dommage.*
Nuces ſaccharo circumlitæ, *Dragées.*
Nucleus, *Cerneau*, *noyau.*
Nugæ, *Bagatelles.*
Nugæ aniles, *Rêveries.*
Nugator, *Conteur de fauſſetés.*
Nutans, *Dont la tête va & vient comme celle d'une pagode.*

O.

Ofella panis, *Soupe*, *potage.*
Offendiculum, *Embarras*, *obſtacle qui ſe rencontre dans un chemin.*
Olitor, *Jardinier.*
Olla, *Marmite*, *pot.*
Olor, vel cycnus, *Cygne.*
Opilio, vel upilio, *Berger.*
Opſonium, *Proviſion de bouche*; *vivres.*
Ornithon, *Lieu fermé*, *où l'on éleve de la volaille.*
Oſtrea, vel oſtreum, *Huître.*
Ovile, *Bergerie*, *bercail.*

P.

Pactio, *Convention.*
Paganus, *Villageois.*
Palumbes vel palumbus, *Pigeon ramier.*
Panarium, *Panetiere.*
Pandiculans, *Dont les jambes & les bras ſont pendants.*
Pardus, *Léopard.*
Paſſer & paſſerculus, *Moineau.*
Pavo, vel pavus, *Paon.*
Pediſequus, *Valet de pied*, *laquais.*
Pedum, *Houlette.*
Pellio, *Pelletier*, *foureur.*
Penſum, *Tâche journaliere.*
Pepo, *Melon.*
Pera, *Poche.*
Perca, *Perche*, *poiſſon.*
Pergamenum tegmen, *Couverture de parchemin.*
Pergula, *Boutique dreſſée ſous un auvent*: *Treille*: *tonnelle*: *appentis*: *baraque*: *balcon.*
Periclymenus, *Chevrefeuille*
Perna, *Jambon.*

Perſa, *Perſan.*
Perſis, *La Perſe.*
Perticalis arbuſcula, *Arbriſſeau propre à faire une perche.*
Pica, *Pie.*
Pila, *Balle de paume.*
Pinna, *Nageoire de poiſſon.*
Piper, *Poivre.*
Piſcis volans, *Poiſſon volant.*
Plagæ, *Les liſieres d'un filet, & le filet même.*
Planta clemens, *Patte de velours.*
Platanus, *Platane.*
Plumbum miſſile, *Plomb à tirer.*
Podagra, *La goutte aux pieds, ou ſimplement la goutte, parce que pour l'ordinaire elle ſe jette ſur les pieds.*
Popellus, *Menu peuple, populace.*
Porrum, vel porrus, *Porreau.*
Præjudicata opinio, *Préjugé.*
Pretium vehendi, pretium legendi, *Récompenſe du conducteur, du lecteur.*
Proboſcis, *Trompe d'éléphant, de mouche, & de couſin.*
Procne, *Hirondelle.*
Prunæ, *Charbons ardents.*
Pſittacus, *Perroquet.*
Pubentes fructus, *Fruits verts.*
Pulex, *Puce.*
Pulmentarium, *Ragoût.*
Pulpitum humile, *Petit théâtre.*
Pumilus, *Nain.*
Punctiuncula, *Piquure légere.*
Punctus, *Piquure.*
Pupus, *Poupon.*
Putamina nucis, *Coques de noix.*
Pyrum, *Poire.*
Pyrus, *Poirier.*

R.

Radius ferreus, *Verge de fer.*
Ranunculus, *Petite grenouille.*
Rapulum, rapum, rapa, raphanus, *Raifort.*
Raſtrum, *Râteau, pic à deux dents.*
Reliquiæ, *Reſtes, reliquats.*
Remi, *Rames.*
Reticulum, *Filet, réſeau, raquette.*
Rictus, *Gueule ouverte, gueule béante.*
Ronchus, *Ronflement.*
Roſtrum, *Bec, mufle, muſeau, grouin.*
Rotunditas circinata, *Rondeur parfaite.*

S.

Saccharum, *Sucre.*
Sacrificulus, *Preſtolet : pauvre prêtre.*
Sagum, *Surtout, caſaquin.*
Saliva, *Saveur, ſalive.*
Salix, *Saule.*
Salmo, *Saumon.*
Samii, *Habitants de l'île de*

Samos dans l'Archipel.
Sanna, *Riſée, moquerie.*
Sartago, *Poële à frire.*
Scapha, *Barque.*
Scarabæus, *Eſcarbot.* Scarabæorum varia ſunt genera.
Sciurus, *Ecureuil.*
Scopæ, *Balai.*
Scrofa, *Truie.*
Scurra, *Boufon.*
Seges, *Blé en herbe : terre enſemencée.*
Sentes, *Ronces, épines.*
Sepes, *Haie.*
Serpyllum, *Serpolet.*
Singultus, *Cri d'une poule qui gouſſe pour raſſembler ſes pouſſins.*
Situlus, *Seau à puiſer de l'eau.*
Sonipes, *Cheval.*
Sophiſta, vel ſophiſtes, *Rhéteur : Sophiſte : faux philoſophe.*
Sorex, *Souris.*
Specula, *Lieu élevé, d'où l'on obſerve les objets.*
Speculum, *Miroir.*
Spina lumborum, *L'épine du dos.*
Spongia, *Eponge.*
Stamen, *Trame, & proprement chaîne de tiſſerand.*
Stolones, *Rameaux paraſites.*
Stramenta, *Litiere.*
Strigoſus canis, *Chien maigre.*
Stropha, *Subtilité, tour d'adreſſe.*
Struthiocamelus, *Autruche.*
Sturnus, *Etourneau.*
Suburbium, *Fauxbourg.*
Suffitus, *Parfum, fumigation.*
Suile, *Porcherie.*
Surculus, *Rejetton.*
Sutor, *Cordonnier.*

T.

Tænarius portus, *Port de l'ancienne ville de Ténare, ou cap le plus méridional de la Morée, appelé aujourd'hui cap Matapan, ou cap des cailles.*
Techna, *Tromperie, fourberie.*
Temo, *Timon.*
Teruncius, *petite monnoie, quatrieme partie de l'as romain.*
Teſqua, *Lieux incultes & raboteux.*
Teſtudo, *Tortue : voûte : muſette : violon.*
Textrix mala, *Malheureuſe tiſſerande.*
Thunnus, *Thon.*
Thymum, *Thym.*
Tignarius faber, *Charpentier.*
Tinca, *Tenche.*
Tineæ, *Vers qui rongent les livres : teignes.*
Tintinnabulum, *Clochette, grelot.*
Topiarius, *Valet qui a ſoin des treilles & des verdures.*

Tori cervicis, *Muſcles du cou.*
Tormentum lene, *Douce violence.*
Trabs, *Poutre.*
Trochilus, *Roitelet, oiſeau.*
Troſſulus, *Petit-maître, talon rouge.*
Tubicen, *Un trompette.*
Tuburcinans, *Glouton qui mange vîte.*
Tugurium, *Cabane.*
Turbines, *Ouragans, tourbillons.*
Turbo, *Toupie, ſabot.*
Turdus, *Grive.*
Turtur, *Tourterelle.*

V.

Vacuum, *Place vide.*
Veru, *Broche.*
Veſpa, *Guêpe.*
Veſpertilio, *Chauve-ſouris.*
Veterator, *Vieux routier, fin matois.*
Villica, *Fermiere.*
Villicus, *Fermier.*
Violaceus color, *Couleur violette.*
Virgultum, *Sion, gaulis, arbriſſeau.*
Vivarium, *Parc pour les bêtes ſauvages : vivier pour les poiſſons.*
Ulva, *Herbe marécageuſe.*
Ungulæ, *Pieds de quadrupède, fourchus & non fourchus.*
Unio, *Perle.*
Vomer, vel vomis, *Soc de charrue.*
Vomica, *Abcès.*
Urſa, *Ourſe.*
Urſus, *Ours.*
Utilitates, *Services : qualités utiles.*
Vulpis, & vulpes, & vulpecula, *Renard.*
Vultur & vulturius, *Vautour.*

X.

Xyſtus, vel xyſtum, *Allée d'arbres.*

APPROBATIO.

JUSSU Illuſtriſſimi Galliarum Vice-Cancellarii legi *Desbillons Fabulas*, eaſque prelo dignas cenſui. Pariſiis, 31 Auguſti 1768.

MARIN.

Le Privilege ſe trouve à la fin des Lettres de Pline en latin, qui ſe vendent chez le même Libraire.

Literæ quibus impreſſus eſt hic Liber, a P. S. FOURNIER Juniore inciſæ ſunt.

JAN 1 5 1945